




# INSTITUTIONES THEOLOGICÆ,

*QUAS*

AD USUM SEMINARIORUM

*è Fusioribus suis Prælectionibus contraxit*

PETRUS COLLET

Presbyter *Congregationis Missionis*, Sacræ Theologiæ Professor, & in Sorbona Doctor.

---

## TOMUS QUARTUS

Continens cum reliquo de Pœnitentia Tractatus

*I. DE EXTREMA UNCTIONE.*
*II. DE ORDINE.*
*III. DE MATRIMONIO.*
*IV. DE INDULGENTIIS.*
*V. DE BENEFICIIS & SIMONIA.*
*VI. DE CENSURIS,*
*VII. DE IRREGULARITATIBUS.*



Post Quintam Parisiensem editionem Prima


CULMÆ IN PRUSSIA

§ M. DCC. LXV.

Adulterium
Mixtus concubitus conjugatorum tam ex una
incestus est peccatum luxuriae cum persona
cognata v affine intra gradus prohibitos.

~~[illegible]~~
~~[illegible]~~

[illegible] glauben



# INDEX TRACTATUUM ET CAPITUM

# TRACTATUS DE PŒNITENTIA

CAPUT UNICUM *De Ministro Pœnitentiæ.* pag. - - - 1
§. I. *An solus Sacerdos sit Minister Pœnitentiæ,* - - - - ibid.
§. II. *An solvendi potestas Presbyteris insit, vi ordinis.* - - - 4
§. III. *De subjecto jurisdictionis,* - - - - - - - - 6
§. IV. *De casibus reservatis. An & qui possint casus sibi reservare,* 15
§. V. *De potestate Presbyterorum, sæcularium,* - - - - - 20
§. VI. *De potestate regularium erga casus reservatos,* - - - - 27
§. VII. *De jurisdictione in articulo mortis,* - - - - - - 29
§. VIII. *De dilatione absolutionis,* - - - - - - - 30
§. IX. *De defectibus à Confessario commissis,* - - - - - 47
§. X. *De sigillo Confessionis,* - - - - - - - - - 54

## TRACTATUS
## DE EXTREMA UNCTIONE.

CAPUT I. *De nomine & essentiâ Extr. Unctionis,* - - - - 70
CAPUT II. *De causis Unctionis Extremæ,* - - - - - - 73
§. I. *De materia Sacramenti Extr. Unctionis,* - - - - - ibid.
§. II. *De forma Sacramenti Extr. Unctionis,* - - - - - - 77
§. III. *De autore Sacramenti Extr. Unctionis,* - - - - - 80
§. IV. *De Ministro Sacramenti Extr. Unctionis,* - - - - - 81
CAPUT III. *De subjecto Extr. Unctionis,* - - - - - - - 83
CAPUT IV. *De effectibus Unctionis Extr.* - - - - - - - 86
CAPUT V. *De proprietatibus Extr. Unctionis,* - - - - - 90

## TRACTATUS
## DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPUT I. *De existentiâ Ordinis,* - - - - - - - - - 93
CAPUT II. *De essentiâ Ordinis,* - - - - - - - - - 96
CAPUT III. *De causis Ordinationis,* - - - - - - - - 97
§. I. *De authore & ministro Ordinis,* - - - - - - - - 97
§. II. *De subjecto Ordinationis,* - - - - - - - - - 100
§. III. *De conditionibus ad Ordines prærequisitis* - - - - 107
CAPUT IV. *De effectibus Sacramenti Ordinis,* - - - - - 109
CAPUT V. *De variis Ordinis speciebus,* - - - - - - - 110
§. I. *De Episcopatu,* - - - - - - - - - - - - - 112
§. II. *De materiâ, formâ, &c. Episcopatus,* - - - - - - 114
§. III. *De Presbyteratu,* - - - - - - - - - - - 119
§. IV. *De Diaconatu,* - - - - - - - - - - - - 122
§. V. *De Subdiaconatu,* - - - - - - - - - - - 126
§. VI. *De minoribus Ordinibus, & Tonsurâ Clericali,* - - - 128
CAPUT VI. *De Cælibatu sacris Ordinibus annexo,* - - - 130

## TRACTATUS
## DE MATRIMONIO.

CAPUT I. *De nomine & essentiâ Matrimonii,* - - - - 133
CAPUT II. *De institutione Matrimonii,* - - - - 135
§. I. *De institutione Matrim. ut est officium naturæ,* - - - 140
§. II. *De institutione Matrim. ut est Sacramentum,* - - - - ibid.
CAPUT III. *De causis ad Matrim. disponentibus,* - - - - 142
§. I. *De Sponsalibus,* - - - 160
*De naturâ & divisione Sponsalium,* - - ibid.
ibid.

De

*De circumstantiis Sponsalium,* - - 163
*De Ministro Sponsalium, ejusque Officio,* - - 173
*De necessitate & effectibus Sponsalium,* - 177
*De dissolutione Sponsalium ex fornicatione,* 180
*An & quando dissolvantur Sponsalia ex Partium dissensu vel reclamatione,* - - - 183
*An Sponsalia per discessionem vel moram alterius Partis dissolvi possint,* - - - - 186
*An Sponsalia per Religionis ingressum, susceptionem Ordinis, &c. dissolvantur,* - - - 188
*An priora Sponsalia solvantur per posteriora,* - 190
*De ceteris Sponsalia dissolvendi causis,* - - 194
§. II. *De Bannorum promulgatione,* - 196
§. III. *De consensu Parentum,* 205
CAPUT IV. *De causa efficiente Matrimonii,* 207
§. I. *De consensu ad Matrim. requisito,* ibid.
§. II. *De Ministro Matrimonii,* 214
CAPUT V. *De proprietatibus Matrimonii,* 221
§. I *De unitate Matrimonii,* 222
§. II. *De indissolubilitate Matrimonii,* 228
*An Infidelium conjugia solvi possint,* ibid.
*De libello repudii,* 231
*An Matrimonia solvantur per adulterium,* 233
*An Matrimonium dirimatur Professione religiosâ, vel dispensatione,* 240
*An & quibus de causis Matrimonium quoad thorum & cohabitationem solvi possit.* 244
CAPUT VI. *De effectibus, bonis & usu Matrimonii,* 246
§. I. *De effectibus Motrimonii,* ibid.
§. II. *De bonis Matrimonii,* 249
CAPUT VII. *De impedimentis Matrimonii,* 254
§. I. *De impedimentis in genere,* ibid.
§. II. *De impedimentis Matrim. in specie,* 256
*De impedimento erroris.* ibid.
*De impedimento conditionis,* 258
*De impedimento voti,* 259
*De impedimento cognationis,* 261
*De impedimento criminis* 273
*De impedimento disparitatis cultûs,* 278
*De impedimento vis,* 280
*De impedimento Ordinis,* 285
*De impedimento ligaminis,* 286
*De impedimento honestatis,* 288
*De impedimento amentiæ,* 291
*De impedimento affinitatis,* 292
*De impedimento clandestinitatis,* 301
*De impedimento impotentiæ,* 304
*De impedimento raptûs,* 310
§. III. *De impedimentis prohibentibus,* 313
§. IV. *De dispensatione impedimentorum,* 317
§. V. *De executione dispensationis,* 320

# APPENDIX
## DE INDULGENTIIS.

CAPUT I. *De naturâ, divisione & effectu Indulgentiarum,* 331
CAPUT II. *An possit Ecclesia Indulgentias dispensare,* 338
CAPUT III. *De Thesauro, Indulgentiarum fonte,* 344
CAPUT IV. *De Indulgent. validitate & usu,* 347
§. I. *De requisitis ad valorem Indulgentiæ,* ibid.
§. II. *De requisitis ad Indulg. consecutionem,* 349
CAPUT V. *De Indulgentiarum subjecto,* 353
CAPUT VI. *Solvuntur variæ Quæstiones de Indulgentiis,* 356
CAPUT VII. *De Indulgentiarum abusu,* 360

# TRACTATUS
## DE BENEFICIIS ET SIMONIA.

PARS PRIMA. *De Beneficiis.* 361
CAPUT I. *De essentia & divisione Beneficii,* ibid.
CAPUT II. *De modis acquirendi Beneficii,* 363
CAPUT III. *De qualitatibus ad obtinenda ritè Beneficia necessariis,* 370
CAPUT IV. *De Beneficiorum vacatione, Resignatione, &c.* 372
PARS SECUNDA *De Simonia,* 376
CAPUT I. *Quid & quotuplex sit Simonia,* ibid.
CAPUT II. *Quale peccatum Simonia & qui committatur,* 383
CAPUT III. *De causis Simoniæ,* 386
ART. I. *De materia proxima Simoniæ ubi de causis à Simonia excusantibus,* 388
ART. II. *De munere simoniaco,* 391
ART. III. *De materia spirituali Simoniæ,* 395
SECTIO I. *De Simonia in Sacramentis & sacramentalibus.* 396
SECTIO II. *De Simonia in collatione & exercitio Ordinum,* 398
SECTIO III. *De Simonia in ingressu Religionis,* 401
SECTIO IV. *De Simonia in Beneficiis, permutationibus, &c.* 403
CAPUT IV. *De canonicis Simoniacorum pœnis,* 406
ARTICU. I. *De pœnis contra Simoniam in Ordine & ingressu Religionis,* 407
ARTICU. II. *De pœnis contra simoniam in Beneficiis, & earum relaxatione.* 408
ARTICU. III. *De Obligatione restituendi accepta simoniacè.* 412

TRA-

# TRACTATUS
# DE CENSURIS


PARS PRIMA. *De Censuris in Genere,* 417
CAPUT I. *Quid, & quotuplex Censura,* ibid.
CAPUT II. *De causâ efficiente Censurarum,* 422
CAPUT III. *De conditionibus ad Censuram requisitis,* 426
ART. I. *Quam ob causam ferri possit Censura,* 427
ART. II. *De subjecto Censuræ,* 431
ART. III. *De formâ Censuræ,* 436
SECTIO I. *An ad Censuras prærequiratur monitio,* ibid.
SECTIO II. *De iis quæ Censuram comitantur, & sequuntur.* 443
CAPUT IV. *De causis ab incurrendâ Censurâ excusantibus,* 448
CAPUT V. *De absolutione à Censuris,* 454
ART. I. *Quis absolvere possit à Censuris,* ibid.
ART. II. *De subjecto Censuræ, &c.* 466
PARS SECUNDA. *De Censuris in specie,* 470
CAPUT I. *Excommunicatione,* ibid.
ART. II. *Excommunicationis natura, divisio, &c.* ibid.
ART. III *De effectibus Excommunicationis majoris,* 472
SECTIO I. *De privatione suffragiorum,* ibid.
SECTIO II. *De privatione usûs Sacramentorum,* 477
SECTIO III. *De privatione rerum sacrarum,* 482
SECTIO IV. *De inhabilitate ad Beneficia, & privatione jurisdictionis,* 485
ART. III. *De præcipuis Excommunicationibus,* 489
SECTIO I. *De Excommunicatione contra percussores Clericorum,* 490
SECTIO II. *De Excommunicatione in Monitoriis,* 494
ART. IV *De Excommunicatione minori,* 503
CAPUT II. *De Suspensione.* 506
ART. I. *De effectibus Suspensionis,* 507
ART. II. *De Suspensionibus quæ ipso jure contrahuntur,* 513
CAPUT III. *De interdicto,* 518
ART. I. *De essentiâ & divisione Interdicti,* ibid.
ART. II. *De effectibus Interdicti,* 523
APPENDIX. *De depositione, degradatione, &c.* 527


# TRACTATUS
# DE IRREGULARITATIBUS.


PARS PRIMA. *De Irregularitatibus in genere,* 532
CAPUT I. *De naturâ & divisione Irregularitatis.* ibid.
CAPUT II. *De causis Irregularitatis,* 535
CAPUT III. *De effectibus Irregularitatis,* 537


CAPUT

CAPUT IV. *De iis quæ ab incurrendâ irregularitate excusant,* 542
PARS SECUNDA. *De Irregularitate ex defectu,* 548
CAPUT I. *De Irregularitate ex defectu natalium,* ibid.
CAPUT II. *De Irregularitate ex defectu animi,* 554
CAPUT III. *De Irregularitate ex defectu corporis,* 560
CAPUT IV. *De Irregularitate ex defectu ætatis,* 565
CAPUT V. *De Irregularitate ex defectu libertatis,* 568
CAPUT VI. *De Irregularitate ex defectu famæ* 570
CAPUT VII. De *Irregularitate Bigamiæ,* 575
CAPUT VIII. De *Irregularitate ex defectu lenitatis,* 581
ART. I. *An Irregularis sit qui occidit ad defensionem vitæ, &c.* 584
ART. II. De *occidentibus in ordine judiciario,* 586
ART. III. De *Militibus & Chirurgis,* 590
PARS TERTIA De *Irregularitatibus ex delicto.* 594
CAPUT I. De *Irregularitate ex homicidio,* ibid.
ART. I. De *Irregularitate ex homicidio voluntario,* 596
ART. II. De *Irregularitate ex homicidio casuali,* 600
CAPUT II. De *Irregularitate ex iteratione Baptismi,* 604
CAPUT III De *Irregularitate ex occasione Ordinum,* 605
CAPUT IV. De *Irregularitate ex delicto hæresis,* 608
CAPUT ULTIMUM. De *dispensatione Irregularitatis.* 609

FINIS INDICIS.



TRA-



# TRACTATUS
## DE
# PŒNITENTIA

## CAPUT UNICUM

### *De Ministro Pœnitentiæ.*

TRia inquirimus 1mò. an Sacerdos solus sit Pœnitentiæ Minister: 2do. an ministerium illud ei tantum competat qui à Superiore debitam jurisdictionem accipit: 3tio. quis jurisdictionem illam habere censeatur.

### § I. *An solus Sacerdos sit Minister Pœnitentiæ.*

Docuit Wiclefus *Laicum, si vir frugi fuerit, clavium potestatem accepisse.* Waldenses senserunt Laicum bonum absolvere posse, non malum Sacerdotem. Existimavit Morinus Diaconos olim in necessitatis casu absolutionis sacramentalis Ministros fuisse. Sit contra eos omnes.

Conclusio. Solis *Sacerdotibus* competit absolvendi facultas, non Laicis vel Diaconis.

Prob. 1mò. ex Scripturâ: Iis solis competit potestas absolvendi, quibus solis dictum est: *Quorum remiseritis peccata,* &c. Atqui id solis *Apostolis & eorum legitimis Successoribus* dictum est; ut patet tum ex ipso Evangelii contextu, tum quia hoc *universorum Patrum consensus semper intellexit,* ut habet Trid.

Prob. 2do. ex Patribus. Ambrosius, Lib. 1. de Pœnit. c. 2. *Jus hoc*, absolvendi, *solis permissum est Sacerdotibus.* Basilius, in Reg. brev. iis peccata necessariò vult aperiri, *quibus credita est dispensatio Mysteriorum Dei*; seu, ut sibi interpres est, Sacerdotibus. Ceteros omitto, ut qui passim allegati sint.

Prob. 3tio. ex Concilio Constantiensi, cujus fidem secutus Martinus V. suspectos Wiclefiani erroris interrogari voluit, an crederent *quòd Christianus, habita copia Sacerdotis idonei, teneatur de necessitate salutis confiteri Sacerdoti.* Meritò igitur Trid. sess. 14. can. 10. *Si quis dixerit Sacerdotes qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi & solvendi non habere aut non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis*, &c. *Anathema sit.*

Obj. 1mo. id Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Atqui hic & de sacramentali confessione agitur, cùm sermo fit de infirmis, quos ad confessionem hanc Apostolus hortatur: & hæc confessio cuilibet fieri potest, ut indicat vox *alterutrum.* R. neg. min. Dato enim, quod negat Scotus, Apostolum de confessione sacramentali, non autem de confessione humilitatis loqui; sensus ejus est non uni Deo confitendum, sed hominibus, iis nempè qui ad hoc potestatem habent. Sic cum Paulus Ephes. 5. vult ut Fideles *subjecti* sint *invicem*, non jubet omnes esse *subjectos*, sed inferiores Superioribus. Et verò nullus Patrum ex Jacobi verbis collegit potestatem solvendi Laicis perinde ac Sacerdotibus esse concessam. Moris quidem aliquando fuit ut absente Sacerdote Laicus Laico confiteretur; sed ut monitis ejus juvaretur, utve apud supervenientem Sacerdotem vices interpretis ageret; non ut absolveret sacramentaliter.

Inst. Ideò Jacobi verba ad Laicos extendi nolumus, quia solis Apostolis dictum sit: *Quæcumque solveritis.* Atqui hæc ratio caduca est: Solis enim Apostolis dictum est: *Baptisate*; & tamen Laici in necessitate baptisant, R. neg. maj. Non enim sola hæc Christi verba urgemus, sed affixum iis constanti Traditione sensum, qui ea ad Laicos protendi vetat. Aliud est de Baptismate, quod ab ipsis etiam mulieribus in necessitatis casu administrari posse eadem traditio docuit; ne pereant infantes, qui succurrere sibi non possunt; cùm adultis, qui soli ad confessionem tenentur, *sufficiat contritio, cùm proposito confitendi & desiderio absolutionis*, ita S. Thomas.

Obj. 2do. S. Cyprianus, Ep. 12. decernit ut lapsi qui *incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia* ipsius *apud Presbyterum quemque præsentem*,

vel

*vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace.* Unde sic: Cyprianus hic concedit Diaconis ob absentiam Presbyteri, id quod concedit Presbyteris ob absentiam Episcopi. Atqui Cyprianus indubiè permisit Presbyteris ut infirmos à peccatis sacramentaliter absolverent. R. neg. maj. Verba enim Cypriani accomodatè intelligi debent, ità ut absente Sacerdote præstet Diaconus id quod potest, seu vi Ordinis, seu vi jurisdictionis sibi per Episcopum commissæ. Neque necessarium fuit ut S. Martyr enucleatiùs mentem suam evolveret, cùm Diaconorum potestatis limites omnibus noti forent.

Inst. 1mo. Permittit Cyprianus ut Diaconi Lapsis infirmis manus imponant. Atqui impositio hæc erat absolutio sacramentalis. Quandoquidem *exomologesim*, seu confessionem peccati sequebatur. R. ad. 1. neg. min. Hæc enim impositio nihil aliud erat quàm absolutio ab excommunicatione quasi minori, per quam Lapsi ab Eucharistia prohibebantur; secundum id Cypriani L. de Orat. Domin. *Intercedente aliquo graviori delicto, abstenti & non communicantes à cælesti pane prohibemur.* Hanc porrò excommunicationem tollebat vel absolutio sacramentalis, vel indulgentia Ecclesiæ ad Martyrum preces concessa. Primam solus dabat Episcopus, & eo absente Presbyter: secundam utroque absente Diaconus; unde in objecto loco concedit Cyprianus, ut accepta horumce Lapsorum exomologesi manum eis imponat Diaconus in pœnitentiam, quam si convaluerint, persolvere teneantur; continuòque ab excommunicatione, qua sacris interdicebantur, illos absolvat, & Ecclesiæ reconciliatos, Viatico corporis Christi reficiat, ut ità veniant ad Dominum cum pace: Quia, inquit S. Thomas, Suppl. q. 8. a. 2. *quamvis Sacramentum efficere non possit* qui non est Sacerdos, *defectum tamen Sacerdotis summus Sacerdos supplet*, propter humilitatem, ac fervens suscipiendi Sacramenti desiderium. Atque sic Cyprianus annuit, quantùm potest, votis Martyrum, qui hanc lapsis indulgentiam concedi per supplices libellos expetierant.

Ad 2 neg. maj. Ut enim manuum impositio, quæ exomologesim sequebatur, non semper fuerit sacramentalis, sufficit ut apud Antiquos fuerit quædam delictorum confessio, quæ sacramentalis non esset. Atqui rem ità esse constat ex Decreto Synodi Arausicanæ an. 441. Ibi nempè præcipitur ut *excommunicato, qui terrâ prostratus veniam postulat, & culpam confitetur, Episcopus communionem & societatem christianam reddat, &c.* Atqui confessio illa quæ fiebat coram Episcopo,

Presbyteris duodecim, & iis etiam quibus nocuerat Pœnitens, etsi prævia foret ad Communionem Christianam conditio, non erat tamen sacramentalis. Ergo neque necessum est ut sacramentalis fingatur confessio apud Diaconos peracta.

Inst. 2do. Pœnitentes illi, post suam hanc exomologesim, & absolutionem à Diacono datam, admittebantur ad sacram Communionem: quam *pacis* nomine designat Cyprianus. Sed qui ad Communionem admittebantur, sacramentaliter reconciliati erant. Ergo lapsi illi absolutionem sacramentalem receperant à Diaconis. R. 1mo. neg. maj. Neque enim necessum est ut *pacis* nomine Eucharistia ipsa intelligatur: per eam siquidem intelligi potest canonica reconciliatio, quæ ante concederetur quàm Eucharistia. Neque aliud exigit objectus Cypriani locus. R. 2do. neg. min. Potuit enim hisce Pœnitentibus tribui Commmunio non præmissa sacramentali absolutione; quomodo nunc Sacerdos cui deest Confessarii copia, elicito solùm contritionis actu, celebrare potest. Quod enim aliquando concessa sit Eucharistia iis qui sacramentaliter reconciliati non fuissent, patet ex historia Serapionis, qui cùm idolis sacrificasset, nec unquam potuisset Ecclesiæ reconciliari, sacra Communione ad se per puerum delata recreatus est, cùm Sacerdos ad eum absolvendum venire non potuisset. Ergo à fortiori potuit iis Viaticum tribui, qui à Diaconis utcumque absoluti fuissent. Ceterùm non desunt qui Diaconos de quibus loquitur Cyprianus putent fuisse Sacerdotes, sine animarum cura. Ita Amort. de Indulg.

§. II. *An absolvendi potestas Presbyteris insit vi ordinis.*

Potestas alia *ordinis*, quæ in Ordinatione confertur; alia *jurisdictionis*. Jurisdictio autem est potestas qua Sacerdos ut Judex in alterum tanquam in subditum sententiam fert in foro conscientiæ. Unde jurisdictio differt ab approbatione; quia hæc nudè sumpta nihil est quam testimonium authenticum de idoneitate alicujus ad excipiendas confessiones: porrò non eò quis deputatur, quòd deputari posse judicetur. Jam quæritur an Jurisdictio ad licitè & validè absolvendum necessaria sit.

Negant in praxi, & in pluribus quos ea de re ediderunt Libris, hujus ævi Novatores; quos inter eminet Autor Operis cui titulus: *Potestas primi & secundi Ordinis* &c: Gallicè editi an. 1744. Sit

Conclusio. Non sufficit Sacerdoti potestas Ordinis, ut validè absolvat; sed necessaria est potestas Jurisdictionis.

Prob. 1mo. ex Trid. sess. 14. can. 7. *Quoniam natura & ratio*

*ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit .... nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Atqui absolutio *nullius momenti* non solùm illicita est sed & planè nulla; alioqui enim multum valeret, ut multùm valet quæ à Sacerdote improbo datur.

Confirm. ex Canone XI. ejusdem Sessionis, ubi sic: *Si quis dixerit Casuum reservationem non prohibere quominus Sacerdos à reservatis verè absolvat; anathema sit.* Atqui si Sacerdos quique vi Ordinis solius absolvendi potestatem habet, fieri quidem potest ut illicitè absolvat; at semper ab ipsis etiam *reservatis vere absolvet*, quod reprobat S. Synodus.

Prob. 2do. Si Sacerdos quilibet vi sola Ordinis sui validè absolvat, possunt Parochi & Moniales sibi in Confessarium eligere quemlibet Sacerdotem etiam ab Ordinario non approbatum. Atqui propositiones illas n. 100. & 108. reprobavit Clerus Gallic. an. 1700. uti *falsas, temerarias, Tridentinæ Synodo adversas*, &c.

Prob. 3tio. quia Consultatio quæ an. 1734. opinionem hanc docebat, movit stomachum omnibus qui Ecclesiam amant: ejus propositiones 44. reprobarunt applaudente Orbe Catholico Parisienses Magistri 86. Harum prima: *Sacramenti Pænitentiæ valor non pendet à jurisdictione*, proscripta est ut erronea, & hæresim à Trident. condemnatam redolens, &c.

Obj. 1mo. Potestas jurisdictionis sita est in absolvendi potestate. Atqui hanc recepêre Sacerdotes in Ordinatione; cùm eis nec falsò dictum sit: *Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis*, &c. R. dist. Potestas jurisdictionis sita est in absolvendi potestate completa, tam ex parte principii, quam ex parte termini, C. in potestate radicali tantum & incompletâ, N. Porrò potestas quam in Ordinatione recipiunt Sacerdotes, est tantùm radicalis & incompleta *ex parte termini*, seu subditorum. Unde sicut Judex à Rege constitutus, ut iis jus dicat qui à Provinciæ Præfecto sibi assignabuntur, licèt id audierit à Rege: *Ito solve, liga: Quæcumque solveris, soluta erunt*, neminem tamen ligare potest aut solvere, donec sibi designentur quos solvat aut liget: sic & in Ordinatione accipit Sacerdos potestatem ligandi & solvendi, nec tamen exercere eam potest, nisi de Ecclesiæ mandato; quia qui potestatem dedit Christus, subditos non assignavit ipse, sed Ecclesiæ determinandos reliquit & pro sapientia sua relinquere debuit. Quid non enim sequeretur mali, si Sacerdos ex pio corruptus, ex perito indoctus, ex Ca-

tholico hæreticus, quia jam irrevocabiliter Sacerdos, ubique claves exercere, id est, ubique Fideles disperdere valeret?

Obj. 2do. Id vi Ordinis sui possunt hodierni Sacerdotes, quod Apostoli vi consecrationis suæ. Atqui Apostoli, &c. R. neg. maj. Apostoli enim, præter absolvendi potestatem his datam verbis, *Quorum remiseritis peccata*, &c. specialem accepere missionem per hæc verba Joannis 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Hæc autem missio, utpotè deputatio vera, vera erat jurisdictio.

## §. III. *De Subjecto Jurisdictionis.*

Jurisdictio duplex; ordinaria, & delegata. Jurisdictio ordinaria ea est quæ alicui competit ratione officii sui, & hanc habent ii omnes qui ex officio sunt Pastores animarum: ac proindè Rom. Pontifex in tota Ecclesia; Episcopus in sua Diœcesi; Abbates exempti, Generales Ordinum, Provinciales, suos quique erga subditos; Parochi in Parochiâ sua, sed cum debita ad Episcopos subordinatione. Hæc jurisdictio magis afficit personas loci quam locum: unde Episcopus aut Parochus possunt subditos suos ubique locorum absolvere. Ad amovendum tamen scandalum, quod daret ignotus Sacerdos, in alterius Ecclesia confessiones audiendo, debet ab isto licentiam petere.

Jurisdictio ordinaria acquiritur, 1mo. ratione officii, ut mox dictum est; 2do. ratione domicilii aut quasi domicilii Pœnitentis; 3tio. ratione privilegii aut consuetudinis, quæ privilegio æquivaleat; 4to. ratione periculi mortis, quod subit Pœnitens; 5to. ratione erroris communis.

1mo. Acquiritur ratione domicilii, &c. Qui enim in alicujus territorio degit etiam ad tempus, Parocho subjacet quoad absolutionem, nè necessariis vel admodùm utilibus Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis diù privetur. Hinc qui duabus in Parochiis duo paris fermè moræ habet domicilia, alterutri Parocho pro nutu confiteri potest, atque ei etiam cujus intra fines actu non versatur, licet diversæ sit Diœceseos; quia is non magis desinit esse Porochus Titii, eo quod Titius actu degat in alia Parochia, quam si alibicumque degeret. Hinc etiam ordinarius Confessor Mercatorum in nundinis, Studentium in Academiis, &c. est ipse Parochus locorum in quibus iidem degunt; hic enim habent quasi domicilium, id est, habitationem legitimam per aliquod anni tempus. Hinc & vagi quo in loco ad præsens degunt, ibi confiteri valent, idque apud Parochum pro annuâ confessione, vel alium de Parochi licentia.

2do. Acquiritur jurisdictio per privilegium, aut quæ privilegio æquivaleat consuetudinem; quia hæc, etsi per se conferre nequit jurisdictionem, quæ à Superiore oriri debet, est tamen indicium consensus sufficienter à Superiore præstiti. Hinc 1mo. *possunt tam Prælati Regulares, quam Confessores Regularium, audire confessiones illorum secularium qui inibi sunt vere de familia, & continui commensales;* prout an. 1670. sanxit Clemens IX. Hinc 2do. Confessor quem Episcopus Monialibus sibi subditis præficit, non autem Parochus, habet regimen Monialium & Commensalium de quibus modo.

3tio. Acquiritur Sacerdoti cuilibet jurisdictio plena, ratione articuli mortis. Quode infra.

4to. Acquiritur ratione erroris, non quidem *privati*, qui paucorum est; sed *communis*, quo nempe laborant omnes, aut penè omnes, qui degunt in loco ubi quis jurisdictionem exercet. Ut autem error communis jurisdictionem tribuat duo sufficiunt & requiruntur; 1mo. ut junctus sit cum titulo colorato, id est, qui pro vero & legitimo publicè habeatur; ut cùm aliquis Parochi functiones exequitur, licèt reipsa Parochus non sit, quia Beneficium suum simoniacè possidet: 2do. ut nullum obstet ex parte subjecti circa quod versatur error, naturale impedimentum.

Et quidem quòd sufficiat error communis cum titulo colorato, patet quia alioqui simoniaci Pastoris impietas causa esset cur Fideles innumeri perirent. Unde Ecclesia his casibus jurisdictionis defectum supplet, sivè tituli sui nullitatem compertam habeat Sacerdos, sive hanc ignoret. Hinc valet absolutio data tum ab eo qui necdum didicit approbationem suam esse revocatam; tum & ab eo qui solus revocationem hanc cognoscit. Is enim titulum coloratum habet cum errore communi.

Quòd verò ad jurisdictionem requiratur titulus coloratus, constat ex communiori theologorum opinione, quæ licet gravibus obnoxia incommodis, in praxi uti tutior est tenenda. Unde si quis resciat se confessum esse Sacerdoti fallaci vel intruso, qui v. g. falsas approbationis literas finxit, aut electus quidem fuit ad Beneficium, sed ab Episcopo non est confirmatus, tenetur eadem peccata denuò confiteri. Idem à fortiori dicendum, si excipiens confessionem naturali impedimento laboret, ut si Laicus se pro Sacerdote gerat, quia defectum hunc supplere nequit Ecclesia.

Jurisdictio delegata ea est quæ alicui ab habente ordinariam legitimè committitur, vel *directè* ut si Episcopus quempiam approbet ad audiendas in Diœcesi vel in Diœcesis parte con-

fessiones, vel *indirectè* ut si idem alicui permittat ut cui volet, confiteatur.

Dixi 1mo. *ab habente ordinariam*, delegatus enim, nisi id ipsi expresse fuerit concessum, subdelegare non potest, ne quodammodo fiat Ordinarius.

Dixi 2do. *legitimè.* Ut enim deleget Ordinarius, requiritur 1mo. ut delegare non prohibeatur, seu à *jure*, ut excommunicati vitandi, seu à *consuetudine* ut quorumdam Ordinum Superiores. 2do. Ut nonnisi intra jurisdictionis suæ limites deleget, quia extra ipsos jus non habet. 3tio. Ut delegatus delegari non prohibeatur, uti prohibentur qui censuris ligati sunt, vel ab Episcopis non approbati: unde etsi olim possent Parochi Sacerdotem quemlibet audiendis suorum confessionibus præficere, quia id ipsis ab Episcopo, ut hodie generalibus Vicariis, concessum erat; at id jam revocata hac propter graves abusus facultate non possunt, uti declaravit S. Congregatio, & probat unanimis fidelium sensus. Sicut autem potest Parochus quempiam ex approbatis delegare, ut sibi in audiendis confessionibus opem ferat, sic & illud potest cui commissum est vicarii Parochi, seu ægroti, seu absentis officium, nisi tamen hoc ei prohibitum sit. Verum adscitus ille, seu à Parocho seu ab ejus vicem gerente, Sacerdos, non potest alium subdelegare, nisi aliud ferat generalis postremi hujus approbatio, aut locorum usus.

Jurisdictio delegata tripliciter acquiritur; 1mo. *ab homine*, cùm is qui ordinaria jurisdictione gaudet, illam alteri committit aut cuipiam permittit ut sibi Confessarium eligat. 2do. *A jure*, cùm canonico jure, aut Lege Pontificia certis concessum est personis, ut absolvant, vel ab eo quem eligent Confessario absolvantur: quod ultimum quoad Principes supremos, ac Bullæ *Cruciatæ* participes, *privilegium* nominatur. 3tio. *A consuetudine legitima*: quia, ut legitima sit debet esse tacitè approbata: approbatio autem, etiam tacita, modò vera, Superioris consensum exhibet; isque tandiu durat donec ab illo revocetur.

Quæres. 1mo. quibus *à jure* concessum sit ut absolvant, vel absolvantur. R. ad 1. Mendicantes, modò à suis Superioribus legitimè præsentati sint, & ab Episcopis approbati, à jure habere sed non ubique recepto, ut Fideles omnes qui ad eos confluunt absolvere possint; cùm ipsi etiam Parochi ad oves suas aliquando restringantur.

R. ad 2. his Gregorii IX. verbis, c. 16. *De Pænitent. & Remiss. Ne pro dilatione pænitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis & aliis Superioribus, necnon minoribus*

*bus Prœlatis exemptis, ut etiam præter Superioris sui licentiam providum & discretum sibi eligere valeant Confessarium*, Hic porrò per *Episcopos* non intelliguntur simpliciter electi, aut nominati tantùm, sed ceteri, sive consecrati sint, sive tantum confirmati, sive Sedem habeant, sive non, ut mere titulares, sive qui Sedi suæ renuntiaverunt. Aliud est tum de degradatis; quia jam pene habentur ac si Episcopi non essent; tum verisimiliter de excommunicatis vel depositis quia ad minùs dubium est an Ecclesia insigniter Reis favores suos prorogare velit. Per *minores* verò *Prælatos*, intelliguntur ii qui præsunt aliis cum spirituali jurisdictione fori contentiosi, ut Abbates, Præpositi vel Priores Conventuales: Quia ii soli verè & propriè sunt Prælati, qui jurisdictionem externam habent.

Verùm hic triplex exurgit difficultas. Prima est, an Episcopi vi Gregorianæ Constitutionis, possint etiamnùm eligere sibi Confessorem non subditum qui à proprio Ordinario approbatus non sit ad præscriptum Concil. Trident. sess. 23. can. 15. Negat Fagnan: quia cùm ad hujus dubii decisionem deputata fuisset à Gregorio XIII. decem Cardinalium Congregatio, qui duas in partes abierunt, re discussa Pontifex respondit: *In re dubia tutius est adhærere Decreto Concilii Trident.* præviam Ordinarii approbationem requirentis. Ad id tamen prodest Gregorii IX. privilegium ut possit Episcopus à Sacerdote quem in propria Diœcesi approbaverit, absolvi etiam extra Diæcesim suam; quod alias non posset, quia Presbyteri qui parochiale beneficium non habent, non possunt audire confessiones etiam subditorum Episcopi approbantis extra Diœcesim in qua sunt approbati, ut sæpius declaravit S. Congregatio.

Secunda difficultas est an concessa per Gregorii IX. Decretalem Episcopis & aliis Superioribus facultas ad Parochos extendatur. Unde tria hic inquiri possunt 1mo. an Parochi apud quemcumque Sacerdotem, etiam ab Ordinario non approbatum, confiteri possint: 2do. an saltem apud eos omnes qui in Diœcesi approbati sunt, valide confiteantur 3tio. an generalem hanc licentiam revocare possit Episcopus.

R. ad 1. negat. Patet tum ex unanimi Catholicorum Doctorum sensu; tum quia propositionem hanc reprobavit Alexander VII. anno 1666. *Qui Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere Confessarium, simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario*; eamque doceri, vel in praxim redigi vetuit, sub pœna excommunicationis *ipso facto*, S. Pontifici reservatæ.

R. ad 2. cum multis contra Sambovium, Pontas &c. incertum videri an Parochi Gregoriana Constitutione includantur.

Si

Si enim ea contineantur, vel ſub iis vocibus, *& aliis Superioribus*; vel ſub iſtis, *necnon minoribus Prælatis*; vel ex paritate rationis, quæ pro Parochis non minùs militet quàm pro Epiſcopis. Atqui nullum ex his tribus dici poteſt, ſaltèm cum eo certitudinis gradu qui ad juriſdictionem, quam indubiam eſſe oportet, requiritur. Non 1. Illud enim, *& aliis Superioribus*, non ineptè ab Interpretibus multis intelligitur de iis qui gradum Epiſcopali Superiorem habent, quales ſunt Archiepiſcopi, Primates, &c. Non 2. quia Prælati ad quos ſpectat Privilegium Gregorianum, ſunt exempti: nemo autem Parochos *exemptis* annumerabit. Non 3. cùm, uti advertit Fagnan in cit. cap. *Generaliter in Privilegiis non fiat extenſio de perſona ad perſonam, etiam ex majoritate rationis.*

An autem vigeat hæc conſuetudo, (quæ ut juriſdictionem certam tribuat, ab Epiſcopo approbata eſſe debet, ut probat Suarez ex Cap. 2. *de Pœnit.* &c. in 6.) quæſtio eſt facti, quæ ex ſolo locorum uſu definiri poteſt. Ubi verò viget, ſedulò, niſi grave quid obſit, ab Epiſcopis eſt conſervanda: 1mo. quia *ipſa mutatio conſuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*, ex Auguſt. Epiſt. 54. 2do. quia rariùs confiterentur qui venialia ſola haberent: 3tio. quia ſæpiùs contingeret Parochus gravi irretitos peccato, ſacra facturos ſinè prævia confeſſione, eo prætextu quòd obvium non haberent Confeſſorem.

Dicendum tamen cum Suare, diſp. 27. ſect. 3. n. 6. hujuſmodi conſuetudines ſemper ab Epiſcopo, gravibus de cauſis poſſe revocari: quia conſuetudo irrevocabilis eſſet *valdè oneroſa Paſtoribus Eccleſiæ, multumque contraria convenienti regimini animarum.* Et verò ſint in aliqua Diœceſis parte quatuor aut quinque Parochi, qui, ut ſæpiùs olim evenit, ludo, epulis, venationi vacent, qui ſanctiora Diœceſis Statuta, & latas iiſdem cenſuras palàm aſpernentur, qui nullibi minùs reſideant quàm in Parochia, qui plebem ſibi commiſſam vix quater in anno erudiant; & tamen alii ab aliis funeſtam abſolutionem recipiant, quam differrent, aut ſinè gravibus monitis non darent Preſbyteri alii religioſiores: Quis Epiſcopo in vitium vertat, ſi erga ipſos conſuetudinem, peccati æternæque damnationis incentivam revocet ad tempus? Sanè ſi quid conceſſit, nuſquam conceſſit Gregorius ut Parochi ſibi pro nutu Confeſſarium eligerent, ſed, quod hinc procul diſtat, ut *providum & diſcretum*, eligerent. An porrò facultate hac miſerè non abutuntur, qui eum eligunt, quem ſapientiores quique Parochi cum Epiſcopo & ipſa ſæpiùs plebe improvidum & malum judicant? Ergo malè ſibi provident, qui, contradicente Epiſcopo, Sambovii ac Pontaſii deciſionem ſequuntur in praxi.

Sed an potest simplex Sacerdos apud alium quemcumque approbatum confiteri? Potest, ex tacito Episcoporum & Parochorum consensu. Cum enim his onerosum fuisset singulos, qui sæpe confiteri debent, Sacerdotes audire; sæpiusque in fracti sigilli suspicionem venissent, qui eos ob res aliunde cognitas redarguissent; facilè jam à principio consenserunt, ut inter se se confiterentur: qui consensus non revocatus, consuetudine quasi continuatur.

Eadem de causa viatores & peregrini, quamvis suum in alia Diœcesi domicilium retineant, possunt vel Parocho loci ad quem devenere, vel alii cuipiam qui eo in loco approbatus sit, confiteri, modò non veniant in fraudem, & ut proprio se Pastori subducant.

Quæres 2do. A quo concedi debeat jurisdictio in alterius Diœcesis Pœnitentem, an ab Episcopo loci in quo confitetur; an à proprio Pœnitentis Episcopo. R. Necessariam esse utriusque Episcopi Jurisdictionem: nec enim in Parisiensi territorio vel indigenæ, vel extranei, qui ad me, solius confessionis gratia, accessit, peccata excipere possum, nisi ab Episcopo Parisiensi appobatus sim; cùm jurisdictio delegata locum afficiat. Rursùm nec sinè licentia formali vel tacita Carnutensis Episcopi excipere possum subditi ejus confessionem; quia is Parisiensi Archiepiscopo ex hypothesi non subjacet.

Dixi 1mo. *Vel advenæ, qui ad me solius confessionis gratia accesserit.* Si enim is bona fide Versaliis per aliquot dies habitet, censebitur membrum Parochiæ in quâ degit, non quidem quoad matrimonium, sed quoad jus recipiendi Sacramenta ad salutem utilia. Imò si dum Versaliis ad aliquot horas negotiorum causa degit, inspecta plenariæ Indulgentiæ tabella, confiteri velit, ut oblatam Fidelibus gratiam lucretur, vix dubitem, ex viri gravis judicio, quin validè confiteatur. Non quòd sufficiat bona pœnitentis fides; alioqui rusticorum imperitia jurisdictionis limites tranverteret: sed quia approbat Ecclesia, ut quis præsenti, nec quæsitâ contra leges gratia utatur, cùm inde nihil in legitimam authoritatem resultat mali.

Dixi 2do. *Sinè licentia formali vel tacita:* nec enim prima quæ verbis expressis vel scripto datur, necessaria est, sed sufficit secunda; cùm nempè Episcopus non contradicit notæ consuetudini, secundùm quam vicini ejusdem vel diversæ Diœceseos Parochi, se se mutuò in hisce functionibus adjuvant. A contrario Parochus qui alienos (ejusdem etiam Diœcesis) Parochianos absolveret, Episcopo propter graves causas contradicente, inaniter vel ex solo jurisdictionis defectu absolveret. Ceterum graves illæ causæ, dum etiam non apparent, supponi debent;

debent; quia in Superioris favorem præsumi jubent æquitas & religio.

Sed quid si Parochus, silente Episcopo, prohibeat, nè Parochiani sui ad Parochum alium recurrant? R. 1mo. Parochis curandum ut hac in parte faciles se præbeant; nisi suspicio sit subditos ad alium confugere, quia omni manu absolvit. 2do. Absolutionem in proposito casu irritam fore; quia Episcopus ea tantùm conditione consuetudinem hanc approbare præsumitur, ut in eam consentiat Parochus; qui ovium suarum necessitates meliùs novit, quàm alius. 3tio. Cum Parochi prohibitio non est in ædificationem, sed ex animo moroso procedit, Episcopi esse ut Parochianis cognita causa licentiam det, ipso etiam Paschali tempore, adeundi, renitente licèt Parocho, alios probatæ vitæ & doctrinæ Directores.

Quæres 3tio. An Sacerdos in una Diœcesi approbatus, in certis approbatus censeatur. R. negat. Qui enim hunc approbavit Parisiensis v. g. Archiepiscopus, nihil per se, nec proinde per alios, juris habet in subditos Episcopi Sylvanectensis. Imò nequidem approbatus Parisiis Sacerdos posset Sylvanecti Parisiensem quempiam absolvere; ut definiit Clemens X. in Constitutione *Superna*, die Junii 21. anno 1676. num. 4.

Quæres 4to. An ad tacitam approbationem sufficiat interpretativa Episcopi intentio, aut ratihabitio legitimè sperata; qualis esset respectu Sacerdotis, quem certò rogaret Episcopus audire confessiones, si sciret eum solemni die diversari in loco, cujus Parochus ægrotat, & ubi plures Sacramenta expetunt. R. negat. quia ad absolutionis validitatem requiritur jurisdictio actualis, quæ in casibus modò adductis non reperitur. Intentio enim interpretativa est quidem dispositio ad approbandum, si hic vel ille rerum status ab Episcopo cognosceretur: Pariter ratihabitio sperata est tantùm præsumptio futuri consensûs. Neutra porrò actualem jurisdictionem confert; quia hæc sinè actuali & præsenti voluntate non confertur. Unde absolutiones sic datæ ex sequenti Episcopi assensu non convalescunt. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.*

Imò nec sufficit ratihabitio de præsenti tantùm præsumpta; qualis erit si Episcopus aliquem quem certò sciat non esse approbatum, in sacro Tribunali videat confessiones audientem. Fieri enim potest ut eum hic & nunc non redarguat, nè vel infamet, vel scandalum præbeat multitudini. Hinc ad minus dubiæ sunt absolutiones quas dederit Sacerdos, præsumens quidem, sed necdum certus ex Nuncio quem misit, facultates suas à Vicario generali renovatas esse. Fieri enim poterat ut

abesset

abesset Vicarius generalis, vel ut falso mali rumore deceptus approbare nollet. Adde quòd approbatio necdum manifestata nihil vel parum differt ab ea quæ merè est interior. Hæc autem non valet juxta Sylvium; quia hujus Tribunalis potestas debet conferri modo humano.

Quæres 5to. An Confessarius licitè & validè uti possit jurisdictione, non quidem indubia, sed quam vel probabiliter se habere putat, seu in personam, seu in certum Pœnitentis peccatum; vel saltèm probabiliùs se habere confidit.

Fatentur omnes neminem jurisdictione tantùm probabili uti posse citrà gravem causam, quia exponit se periculo Sacramentum efficiendi nullum; illudque de facto nullum facit, si reipsa desit jurisdictio, quam sibi adesse probabiliter credit; nisi concurrat ex parte pœnitentium error communis. Tota igitur quæstio est, an ejusmodi jurisdictione gravem ob causam uti liceat; putà ergà Sacerdotem, qui necessariò tenetur celebrare, nec quempiam habet certa aut probabiliori jurisdictione donatum, aut cui hic & nunc confiteri possit.

R. ad 1. negat. Quia extrà necessitatis casum non licet gravi nullitatis periculo Sacramentum exponere. Atquì in præsenti casu 1mo. exponitur Sacramentum periculo nullitatis: imò verè nullum est, si reipsa desit, quæ ut probabiliter adesse, sic & probabiliter deesse potest jurisdictio. 2do. Exponitur extrà necessitatis extremæ casum, ut suponitur, & patet ex allato exemplo, quòd licèt graves causas importet, nullam tamen invehit necessitatem extremam. Et certè opinio quæ in præsenti casu absolutionem impendi sinit, non est certa, sed tantùm probabilis, ex Adversariorum confesso. Atqui *Non licet in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramentali, relicta tutiore.* Ergo opinionem hanc practicè sequi non licet, nisi in locis ubi eam doceri scienter permittunt Episcopi. Erit enim licentia hæc ad minus tacita jurisdictionis collatio.

R. ad 2. Licet uti jurisdictione probabiliùs adesse judicata; 1mo. Quia jurisdictio acquiritur consuetudine. Ea porrò est ordinaria Confessariorum consuetudo, ut quam sibi probabiliùs inesse putant jurisdictionem, ea securè utantur. 2do. Quia Confessarii perpetua alioqui anxietate gravarentur: cùm casus iste frequens sit. Unde moraliter certum est Ecclesiam, ut incommodis ceteroqui secuturis occurrat, supplere jurisdictionem, si hanc fortassis deesse contingat. 3tio. Quia licet opinionem probabiliorem sequi, tametsi non omninò indubiam. At notandum quòd ea solùm opinio probabilior dicatur, quæ multo & certo rationum gradu superat oppositam. Imò, cùm

scrupulus

ſcrupulus omnis auferri à Superiore poteſt, ad eum, quàm citò licet, recurrendum eſt; nè pœnitens & confeſſarius ipſe anxietati objiciantur.

Quæres 6to. An Epiſcopus eos qui ſe ad examen offerunt, ab eo repellere poſſit, vel poſt examen, tametſi capaces, non approbare. R. Id illicitum eſſe; quia Epiſcopus, cùm ſpiritualis miniſterii dominus non ſit, ſed diſpenſator, non ad libitum, ſed juxta leges à Domino conſtitutas, poteſtate ſua uti debet. Ceterùm qui etiam poſt examen capax repertus, approbatus non fuit, abſolvere non poteſt: quia ſola ſubjecti idoneitas miſſionem non largitur. Unde reprobata eſt anno 1665. propoſitio hæc ab Alexandro VII. *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, & ab eo injuſtè reprobato.* Qua ſanctione multò plus gravantur Seculares Preſbyteri; quibus neceſſariæ ſunt juriſdictio & approbatio: cùm Regulares ab Apoſtolicâ Sede juriſdictionem mutuentur, tantumque approbatione indigeant.

Quæres 7mo. An Epiſcopus poſſit approbationem quoad tempus, locum & perſonas limitare. R. affirmat. Patet 1mo. ex quotidianâ praxi. 2do. quia Alexander VII. propoſitionem hanc ut erroneam damnavit anno 1659. *Non poſſunt Epiſcopi limitare ſeu reſtringere approbationes, quas Regularibus concedunt ad confeſſiones audiendas, neque ulla ex cauſa revocare.* 3tio. quia qui habet approbationem juſtè vel injuſtè reſtrictam ad tempus, &c. locum, vel perſonas, actuali caret approbatione pro alio tempore, &c.

Quatuor hic obſervanda, 1mo. approbationem ad certum tempus datam, eo finito deſinere: quia hæc eſt approbantis voluntas. 2do. Approbationes *ad beneplacitum* datas, permanere donec revocentur: unde nec omninò perpetuæ ſunt, nec omninò ad tempus. 3tio. Parochum, qui Beneficio ceſſit, indigere approbatione ad excipiendas in eadem Parochiâ confeſſiones: quia totum jus ejus in Beneficio fundatum erat. Quòd ſi ante initam Beneficii poſſeſſionem approbatus erat, deſinente ordinariâ Beneficii juriſdictione, perſeverat delegata; niſi aliam ſibi eſſe mentem certò vel dubiè oſtenderit Epiſcopus; putà Parochum hunc ad Parochianos ſuos reſtringendo. 4to. Approbationes, in quibus nec Monialium, nec Caſuum reſervatorum mentio fit ſpecialis, limitatas eſſe quoad perſonas, & quoad materiam: prout quoad tempus, & quoad locum limitatæ ſunt, quæ ad annum dantur, vel in certâ Parochiâ, ejuſve viciniâ. Hæc autem vicinia ad omnes Parœcias quæ approbati Parœciam proximè ambiunt, extenditur, non ultra, niſi aliud conſtet ex notâ Superioribus conſuetudine.

Quæres

Quæres 8vo. An qui semel ab Episcopo approbatus est, possit iterum ad examen revocari, ut prorogetur, vel auferatur ejus approbatio. R. affirmat. 1mo. enim nemo dubitat quin sua secularibus adimi possit approbatio; cùm id evincat quotidiana praxis; & ità fieri non raro exigat necessitas: cùm plures optimæ spei intrà aliquot annos eò usque à partâ in Seminariis quantulâcumque scientiâ & à bonis moribus excidant, ut reprobari potiùs quàm approbari mereantur. 2do. nec dubium grave de Regularibus moveri potest in Galliâ; tum quia Clerus Gallic. anno 1700. hanc damnavit propositionem: *In Ministro Pœnitentiæ requiritur etiam approbatio Ordinarii, quæ potest limitari, sed non revocari sinè causâ.*

Quæres 9no. An approbatio expiret morte, cessione, vel depositione Episcopi approbantis. R. negat. Et id patet tum ex quotidianâ praxi, tum quia grave esset ac periculosum, ut Sacerdotes quotquot in Diœcesi delegati sunt, simul & semel à jurisdictione exciderent. Et id quoad casus etiam reservatos locum habet, ut alibi diximus contra Pontas. Ceterùm qui confessiones audit non approbatus, nullam incurrit pœnam, nisi aliter locorum lege constitutum sit, ut esse potest; cùm gravissimum sit scelus alienæ jurisdictionis invasio.

## §. IV. *De reservatione Casuum.*

Reservatio est jurisdictionis alicui ad confessiones audiendas concessæ limitatio, vi cujus à certo peccatorum genere absolvere nequit. Unde sequitur 1mo. reservationem directè & primariò afficere Confessarium, cujus potestas restringitur: licèt indirectè afficiat Pœnitentem, qui à tali Confessario absolvi non potest: 2do. Casum reservatum bene definiri, peccatum, cujus Superior, adeò sibi absolutionem retinuit, ut hæc à Confessariis communi tantùm potestate præditis concedi non possit. Videndum an & quibus competat facultas casus sibi reservandi. Sit

CONCLUSIO I. Est in Ecclesiâ potestas casus reservandi. *Est dogma Catholicum,* ait Sylvius.

Prob. 1mo. ex Conciliis: Illiberitanum Can. 32. hæc habet: *Apud Presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam morbi inciderit, placuit agere pænitentiam non debere, sed apud Episcopum.* Ergo gravis lapsus jam tum Episcopis reservatus erat. Concilium Londin. anno. 1200. statuit Can. 7. ut *qui in dispendium cujuslibet scienter pejeraverint, non absolvantur nisi ab Episcopo, aut ejus authoritate.* Idem sanxit Trident. Sess. 14. Can. 11. ubi hæc: *Si quis dixerit Episcopos non habere*

*jus*

*jus sibi reservandi Casus, nisi quoad externam politiam, atque adeò Casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos à reservatis validè absolvat; Anathema sit.* Quod autem dicit Fra-Paolo, decisionem hanc Lovaniensibus Theologis displicuisse, mera est calumnia.

Prob. 2do. Jurisdictio ad absolutionem validè impendendam necessaria, descendit à Superioribus ad inferiores. Ergò si hanc Superiores negent quoad hoc vel illud peccatum, inferiores qui tentant absolvere, inaniter absolvunt.

Conclusio II. Casus reservandi potestas competit Papæ, Episcopis, Religionum Superioribus, & iis qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent.

Prob. Quia hi omnes vel à se, ut Episcopi, vel à Papâ, ut Regulares, potestatem habent jurisdictionis inferioribus suis communicandæ. Atqui eo ipso hanc extendere possunt vel coarctare, prout exigit rerum status. Ergo potest Papa in Orbe toto, Episcopus in Diœcesi, &c. quædam sibi reservare peccata. Unde

Casus reservati dividuntur in Papales, Episcopales & Regulares. Ex Episcopalibus verò alii reservantur *in jure*, ut quædam Clerici percussiones; alii *à Statuto*, quos sibi per speciale Statutum reservat Episcopus.

Quæres 1mo. An Parochi possint sibi casus reservare, relativè ad Sacerdotes sibi subditos? R. Reservationem hanc vix unquam sinè multâ Parochianorum commotione fieri posse: cùm inoleverit consuetudo contraria; nec augendus sit Casuum reservatorum numerus. Et verò ad quid reservatio illa, cùm Parochus impedire non possit, nè Sacerdotes vi jurisdictionis acceptæ ab Episcopo, * *cujus imperio tota Parochorum jurisdictio subest*, absolvant, pro gradu authoritatis sibi ab eo concessæ. Quapropter hortari quidem debet Parochus Sacerdotes suos, ut in hoc vel illo casu pœnitentibus strenuè vigilent; non autem eum sibi reservare, nisi consulto priùs Episcopo.

Quæres 2do. An peccatum quodlibet reservari possit. R. Plura ad peccati reservationem requiri. 1mo. enim debet esse mortale: quia venialium reservatio plurimos ab utili eorum Confessione arceret, & quandantenùs inutilis foret, cum venialia aliâ quàm Confessionis via dimitti possint.

Hinc peccatum nullatenùs reservatum est, quoties à mortali excusatur, sive propter ignorantiam; sive ob defectum plenæ deliberationis, ut contingit in primis iis motibus, qui advertentiam ad letale peccatum necessariam auferunt. Quare ut à censuris, sic & à reservatione excusare potest ignorantia venialiter

* Benedictus XIV.

nialiter tantùm culpabilis. In casibus Papæ reservatis, quidquid excusat à censurâ, excusat à reservatione; quia casus illi nonnisi propter censuram reservari solent.

At hic animadvertendum, * *materiam quæ secundùm se levis est, vel etiam indifferens, ex circumstantiis tamen & fine quem sibi præstituit Legislator, posse esse gravissimam, & prohiberi etiam sub censuris reservatis, utpotè quæ viam aperiat multis criminibus. Sic plures Episcopi, propter gravissimas causas prohibent Clericis frequentare popinas, licèt temperanter comedere & bibere in popina non sit res per se mala.* Sic olim consulti an Episcopus, N. chartharum ludos sub gravi censurâ vetare potuisset, respondimus, id eum potuisse in ea nempè Diœcesi, quæ ab Hæreticis circumdata, perpetuam Pseudo-Ministris ansam præbeat Rom. Ecclesiæ Pastores impetendi, ut tempus inaniter terentes, &c. Unde etiam docent nonnulli, Regulares Prælatos posse sibi venialia quædam reservare, maximè cum illa percrebrescunt, ut frequenter violare legem silentii, alterius cubiculum ingredi, &c. quæ Superiores sub pœnâ mortalis, si sæpiùs contingant coërcere, tenentur.

2do. Peccatum ut reservetur, externum esse debet. Aliàs superior *injiceret laqueum intolerabilem fidelibus, qui sæpe sunt anxii, an cogitationibus internis consenserint, an non.* Hinc Hæresis & simonia mere mentalis, quamvis gravia coram DEO peccata, non incurrunt pœnas juris, ut alibi diximus: hinc etiam qui intùs in corde dicit: *Nullus est infernus,* à quolibet absolvi potest. Secùs si hæresim dicto, verbo, aut facto prodidisset, etiam conscio nemine: Hæc enim peccata verè & per se externa sunt, tantumque per *accidens* Ecclesiæ ignota.

Sed quid, si peccatum prout externum est, ex objecto, & specie veniale sit; sed grave ex intentione peccantis: ut si quis Monialis manum tangat affectu libidinoso? R. Peccatum id, generaliter loquendo, reservatum non esse. Si enim ad reservationem requiritur peccatum mortale exterius, ubi deficit alterutrum, nulla est reservatio. Atqui in præsenti casu deficit conditio externi peccati ut letaliter gravis: cùm actus, prout exterior, levis esse supponatur. Posset tamen reservari impudicitia cum Monialibus, *quocumque modo attentata*, adeoque mortifera in animo, etsi levis in opere, prout die 16. Aprilis 1744. judicavit Romana Inquisitio.

3tio. Peccatum reservandum debet in genere suo esse completum: tum quia reservatio, utpotè pœnalis, restringi debet; tum quia si Superior opus etiam tentatum reservare voluisset, poterat mentem suam exprimere disertiùs. Hinc 1mo. si reserva-



* *Habert.*

reservatum sit homicidium, is duntaxat reservationi subjacet, qui de facto occidit; non qui venit ad verbera, si mors secuta non sit, aut necdum secuta sit; aut si non ex vulnere, sed ex inopino, qui prævideri non poterat, casu, orta sit, etsi citra vulnus oritura non fuisset. Hinc 2do. si reservata sint adulterium & incestus, qui hæc non plenè, seu non emisso intra vas semine exercet, licèt tunc graviùs delinquat, liber est à reservatione; nisi, quod curare debent Superiores, ipsa criminis attentatio expressè reservetur; prout reservari solet provocatio ad duellum, licèt non sequatur conflictus; & sapientissimè Parisiis reservatur *sodomiticum peccatum, non modò consummatum*, quod perrarò contingit, *sed & actu ad id per se ducente tentatum.*

410. Juxta plures peccatum debet esse certum, ea certitudine quæ dubium omne excludat. Ut id intelligatur, duplex secerni debet dubium, aliud *facti*, quo quis dubitat, an peccatum, quod certò constat esse reservatum, commiserit, vel quoad substantiam; putà an Clericus esset is quem percussit; vel quoad modum, putà an Clericum percusserit graviter; vel quoad tempus putà an cum percussit, pubes esset. Aliud *Juris*, quo quis certus quidem se hoc peccatum admisisse, dubitat an peccatum illud sub lege reservationis contineatur.

His positis, docent multi, ad reservationem requiri illud certitudinis genus, quod dubium & facti, & Juris excludat: dubium, inquam, prudens, & ortum non ab imperitia Confessarii qui Jus ignorat, sed à Jure, quod sanioribus Casuistis ambiguum videtur. Sicut enim reservationis ignorantia in Pœnitente, eum à reservatione non eximit, sic nec Confessarii ignorantia eidem jurisdictionem confert. Jam

Probatur hæc opinio (præsertim qua parte respicit dubium Juris, de quo ferè solo controversia est; cùm Episcopi multi dubios facti casus à reservatione exemerint: alii verò à Theologis eximi permittant.) Prob. inquam, 1mo. quia ex Reg. 15. Juris in 6. *Odia restringi convenit*; & Reg. 49. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Atqui reservatio & odiosa est, tum Confessariis, quorum jurisdictionem coarctat; tum pœnitentibus, qui à peccato mundari non possunt, dum alii mundantur; & pœnalis est utrisque; cùm Pœnitentes coram Superioribus sistere se teneantur, vel eorum loco Confessarii, ut absolutionis iisdem impertiendæ facultatem obtineant.

Prob. 2do. Nulla est reservatio ubi Jus ipsum reservationem tollit. Atqui in dubio Juris Jus... cùm Legislatoris verba, præcisè quia ambigua mitiori sensu intelligi decernat, in hâc Reg. 57. in 6. *Contra eum qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.*

Fateor equidem eum qui dubitat an censuram incurrerit, ad obtinendam ejus absolutionem teneri. Sed nihil inde pro præsenti casu. 1mo. quia statuit Innocentius III. Can. 5. *De Cler. excomm. minist.* ut qui de latâ in se sententiâ dubitat, viam eligat tutiorem, & à sacris abstineat: Nihil autem hujusmodi sancitum est in materiâ reservationis; 2do. quia longè frequentiores sunt reservationis casus, quàm censurarum: undè frequentior è primis, quàm è secundis orietur Confessariorum anxietas.

Opinionem hanc sequerer in locis omnibus, ubi publicè docetur, nec aliud contrariâ superiorum lege constitutum est. Sed quia in variis Diœcesibus, putà Parisiensi, Bituricensi, Vivariensi, &c. præscriptum est ut *quando dubitatur, an hoc peccatum in terminis comprehendatur, quibus casus reservatus expressus est, ad Superiorem recurratur, qui sensum legis exponat;* debet quisque Diœcesis suæ leges sequi.

5to. Ad reservationem requiri solet, ut à pubere, id est à mare post annum 14. à puellâ verò post anno 12. impletum committatur. Non quòd ea ætas ad reservationem necessariâ sit, cùm nec ad censuras requiratur; sed quia plus indulgentiæ meretur ætas levis & immatura. Si Pœnitens admissum ante pubertatem scelus confiteatur jam pubes: vel ut ætatis dubius confiteatur id quod posteà certò deprehendit à se jam viro esse perpetratum, in utroque casu à communi Sacerdote validè absolvetur. In primo quidem, quia superveniens ætas non inducit in actionem præteritam illud gravitatis genus, quod plectere voluit Ecclesia. In secundo autem, quia non manet reservatio peccati verè & directè remissi.

Hic quatuor notanda, 1mo. ad reservationem non requiri ut casus sit frequens. Reservari enim potest peccatum, tum propter atrocitatem, tum nè, licèt hodiè rarum, sensim inolescat. 2do. in reservationis materiâ valere istud: *Favores auge; restringas odia;* quia reservatio strictiori, quo prudenter potest, sensu intelligi debet, & ejus tollendæ potestas extendi. Sic approbatus à Papa pro casibus reservatis, pro censuris approbatus intelligitur: quia omnes penè casus Pontificii ratione censuræ iisdem annexæ reservantur. Sic peccatum, nisi aliud lex ferat, tunc solùm reservatur, quando completum est. Hæc tamen regula *fallit* in pluribus: qui enim ab Episcopo pro casibus reservatis approbatus est, non ideò à censuris ab eodem latis absolvit. Qui ab eodem habet jus eligendi sibi Confessarium, non idcircò, si *communem* eligat, à reservatis solvi potest. 3tio. in eadem materiâ non valere argumentum à fortiori, nedum valeat à pari. Hinc malè quis dicat: Reser

vata est lectio Librorum Calvinianorum: ergo à potiori, quæ periculosior est auditio Calvinianæ prædicationis. Potuit enim illa, non hæc, prohiberi; quia nullum est hujus in his partibus periculum, grave verò illius. Idem constat exemplo incestûs per novum crimen non consummati. 4to. reservationem adversus eos qui crimen exequuntur, non afficere illos qui crimen illud mandarunt, nisi ipsi mandantes reservationis lege contineantur.

### §. V. *De potestate Presbyterorum secularium.*

Ex casibus Papæ reservatis alii continentur in Bullâ *Cænæ Domini*, alii in corpore Juris. Neutros referam; non priores, quia Bulla *Cænæ* in Galliis non viget: ✲ Non posteriores, qui ad 29. reduci possunt, quia de iis dicam ubi de censuris. Solum animadvertam, 1mo. ex iis 29. casibus esse non paucos, putà hæresim etiam publicam, à quibus Episcopi nostri pleno jure absolvant; 2do. quædam esse graviora delicta, quæ in Galliâ & alibi S. Pontifici reservari solent. De his quisque Rituale suum consulat: & quia monere solent Episcopi à se non recenseri casus omnes Papæ reservatos, sed eos duntaxat, qui *his in partibus*, frequentiùs contingunt; ideò è re est ut Confessarii aliquam casuum omnium S. Pontifici reservatorum notionem habeant; ut si quem nacti sint, ad Episcopum recurrant. 3tio. graviora hæc delicta non esse Papæ reservata, quoties occulta sunt, seu non publica juris aut facti; vel ab iis commissa, qui ad S. Sedem, præ senio, sexu, infirmitate, bello, statu, ut Moniales, & similibus causis, physicè vel moraliter recurrere non possunt: & tunc juxta præsentem disciplinam necesse non est ut à S. Pontifice obtineatur absolvendi potestas. 4to. Sublatâ per Papam excommunicatione tolli simul reservationem Pontificiam: quia etsi tam peccatum quàm censura reservetur; plus tamen reservatur censura quàm peccatum.

Quod spectat ad casus Episcopis reservatos, ii tot sunt, tamque diversi diversis in Diœcesibus, ut hic à nobis nequidem delibari possint. De his quisque Rituale suum consulat, & in dubiis doctiores & ipsum quandoque legislatorem interrogare nè vereatur.

Quantùm ad regulares, sanxit anno 1593. Clemens VIII nè plures quàm XI. casus in Religione reservari possent sinè licentiâ Capituli, vel Provincialis. Ii porrò sunt 1mo. veneficia, incantationes, sacrilegia. 2do. Apostasia à Religione, sive habitu

✲ Viget hæc Bulla in Polonia, & quotannis in Paræciis è suggestu publicari solet juxta Constit. Synodorum Provincialium.

habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenit ut extrasepta Monasterii seu Conventûs fiat egressio. 3tio. nocturna ac furtiva è Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4to. proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5to. juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo, 6to. procuratio abortûs post animatum fœtum, etiam effectu non secuto. 7mo. falsificatio manûs sigilli Officialium Monasterii; ut si quis arrepto Conventûs sigillo Literas obedientiales, vel dimissorias fabricet. 8vo. furtum de rebus Monasterii in ea quantitate quæ sit peccatum mortale. 9no. lapsus carnis voluntarius opere consummatus: id est ipsa etiam pollutio, non tamen amplexus soli. 10mo. gravis percussio cujuscumque personæ. 11mo. malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores. Jam quæritur quis à reservatis casibus absolvere valeat, & id 1mo. expendendum quoad Presbyteros seculares. Sit

CONCLUSIO. A reservatis absolvere potest virtute ordinariâ. 1mo. qui reservavit; 2do. ejus successor; 3tio. & ejus in foro pœnitentiæ Superior: Potest verò potestate delegatâ, tum qui ad hoc approbatus est; tum Sacerdos omnis in articulo mortis.

Prob. 1. pars: Qui potest ligare, potest & solvere, nisi quid obstet: porrò qui casus sibi reservat, ligare potest.

Prob. 2. pars: Quia eadem est successoris potestas, quæ prædecessoris; cùm prior posteriori manus ligare non potuerit.

Prob. 3. pars: Quia superior in eodem foro plus potest quàm Inferior. Hinc Papa absolvere potest à casibus quos sibi Episcopus reservavit. Non tamen Archiepiscopus, qui est duntaxat Superior, quoad forum exterius, excepto visitationis casu.

Prob. 4. pars. Quia Ecclesiæ interest ut qui reservat, facultatem absolvendi communicare possit: & hæc est totius Ecclesiæ praxis.

Ceterum cui datur delegata, imò & ordinaria quædam, ut Parochis facultas audiendi confessiones, non ideò datur potestas absolvendi a reservatis: sed hæc expresim concedi debet. Neque cui datur generalis facultas à reservatis absolvendi, ideò semper datur facultas ab universis prorsùs absolvendi: cùm aliquos nonnunquam sibi specialissimè reservent Superiores. Nec demùm cui specialissima hæc facultas tribuitur, hanc ideò quoad Moniales exercere valet. Imò qui in hoc Ordine, non ideò in alio, professas absolvere potest.

Pars quinta uberiùs infrà expendetur.

Quæres 1mo. An Confessarius *communis*, seu pro reservatis

minimè

minimè approbatus, Pœnitentem alterius Diœcesis absolvere possit, vel à casibus qui in Diœcesi Pœnitentis reservati non sunt, sunt verò reservati in Diœcesi Confessoris; vel à casibus qui in Diœcesi Pœnitentis sunt reservati, non autem in Diœcesi Confessoris. Supponimus alienigenam hunc non venisse animo mutandi domicilium: quia alioqui jam non subjaceret legibus antiqui domicilii, sed novi.

R. ad 1. negat. 1mo. quia tota Confessarii jurisdictio ab eo dimanat, cujus in Diœcesi confessiones excipit. Atqui is nullam pro præsenti casu jurisdictionem tribuit. 2do. quia qui in certâ hypothesi commodum sentit, in aliâ incommodum sentire debet: Porrò pœnitens in hypothesi contrariâ commodum sentit, ut statim innotescet. Interim colliges, eum qui peccatum antè commisit quàm reservaretur, ab eo postmodùm reservato absolvi non posse nisi à Sacerdote pro reservatis approbato.

R. ad 2. affirm. 1mo. Quia id à contrario probant rationes mox allatæ; 2do. quia opinio hæc jam ab omnibus passim tenetur; & ut minimùm nititur tacitâ Episcoporum approbatione. Neque ideò Parochus, qui subditum suum à casu Meldis reservato absolvere non potest; poterit eundem absolvere Parisiis, ubi idem peccatum non subjacet reservationi. Quia cùm Parochus ille subditum suum Parisiis absolvat, non vi jurisdictionis Archiepiscopi Paris. ut supponimus, sed vi jurisdictionis à proprio Episcopo receptæ, nihil plus in illum potest Parisiis, quàm in propriâ suâ Diœcesi. Pari & simul contrariâ ratione poterit idem Parochus subditum suum ibidem absolvere à casu Parisiis, non autem Meldis reservato, ut bene docet Lugo.

Quæres 2do. An sicut casus sinè censurâ à quocumque Sacerdote *communiter* approbato, solvi potest in aliâ Diœcesi ubi reservatus non est; sic & possit ab eodem dimitti casus cum censurâ. R. affirm. Atque id eò nunc audentiùs profitemur, quòd ubique jam approbatum videatur. Sed cave 1mo. nè hæc intelligas de censurâ ab homine per sententiam specialem; qualis est quæ à *Monitoriorum* contemptoribus incurritur. Cave 2do. juxta Bullam *Superna*, nè decisionem hanc ad eos extendas qui ad alienam Diœcesim *in fraudem reservationis* migrant, id est ut fugiant absolutionis difficultatem, correctionisque, & remediorum quæ tunc præscribi solent, severitatem. Porrò non censetur venire in fraudem, qui ad vicinum alterius Diœcesis Sacerdotem, more ab Episcopis approbato, recurrit.

Quæres 3tio. A quo absolvi possit, qui hic & nunc absolvi indiget,

indiget, putà Parochus, cui imminet gravis festa die celebrandi necessitas; quique ad Superiorem, aliumve ab eo approbatum recurrere non potest.

R. 1mo. Optandum esse ut Superiores in eo casu reservationem suspendant, id enim possunt: neque hinc periclitatur disciplina; cùm è contra idem peccatum bis aperiri debeat, 1mo. ad absolutionem; 2do. ad exequenda Superioris, aut ejus delegati mandata

R. 2do. Hominem hunc non posse absolvi à communi Sacerdote. Unde celebrabit quidem sinè confessione, sed non sinè intensâ quantum poterit contritione. Ratio est 1mo. quia si posset Pœnitens cuipiam pro reservatis non approbato, propter gravem celebrandi vel communicandi necessitatem confiteri; ei etiam qui nullatenus approbatus erit, in eodem casu poterit confiteri. Quidni enim pia mater Ecclesia in uno non secùs ac in alio casu jurisdictionem conferre dicatur? Atqui tamen postremum hoc sinè gravi periculo admitti non potest. 2do. generatim decernit Trid. Sess. 14. cap. 7. *Nullius momenti absolutionem eam esse, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam jurisdictionem non habet.* Atqui Sacerdos in præsenti casu nullam etiam subdelegatam jurisdictionem habet. Non *ab homine*; cùm supponam nihil hoc in puncto à Superioribus fuisse constitutum. Non *à jure*; cùm jus, Trident. scilicet, quo nullum in istâ materie clarius habetur, solum à generali regulâ casum mortis excipiendo, ceteros omnes in eadem regulâ inclusisse censeri debeat. Hinc Episcopi non pauci, nè, disciplinæ consulendo, famæ vel saluti Diœcesanorum nocerent, permisere ut quilibet in certis ejusmodi casibus à communi Confessario absolvi posset. Sic Vicarii nulla est reservatio quoad feminas uno ante partum mense; quoad desponsatas, quæ in ordine ad Matrimonium confitentur; quoad infirmos qui lecto tenentur.

Quæres 4to. An qui apud communem Confessarium peccata deposuit, & reservati oblitus est, istud, cùm in memoriam redit, Sacerdoti pro reservatis approbato aperire teneatur. R. affirm. Tum quia hæc est vulgaris Theologorum sententia; tum quia qui non satisfacit legi & scopo reservationis, eidem deinde satisfacere debet, nisi Lex contrarium statuat, quod in præsenti locum non habet. Quòd si Pœnitens apud Superiorem, vel alium ab eo pro reservatis approbatum confessus sit; censet unanimis penè Doctorum turma cum Sylvio, Navarro, Pontas, &c. reservationem esse tunc ablatam, adeoque satis esse ut peccatum illud communi etiam Confessario declaretur.

Et verò, ideo tunc maneret onus reservata confitendi apud Superiorem aut ab eo delegatum, quia ceteroqui reservatio suo careret effectu, qui is est, ut Pœnitens pro tali crimine ad Superiorem recurrat, ejusque monitis obsequatur. Atqui hæc ratio vel nulla est, vel tanti non est, ut propter eam turbanda sit Pœnitentis conscientia. Aliter qui in Jubilæo absoluti fuere ab oblito peccato, non possent deinceps absolvi nisi per Sacerdotem pro reservatis approbatum; quod negant penè omnes, & passim Episcopi. Parisiis tamen Pœnitens reservati qui sibi exciderat casûs *memor factus, debet, si facilè potest, ad eundem cui priùs confessus est regredi.* Quòd si regressum hunc specialis locorum lex absolutè præcipiat, erit omninò parendum. Excipe 1mo. si Pœnitens expresse recurrerit ad Superiorem ut ab eo solveretur à reservatis. Tunc enim Superior omne Pœnitentis gravamen auferre intendit. 2do. Si tempore Jubilæi, indulgentiam lucratus fuerit: quia Papa intendit ut quisquis privilegio illo uti volet, à Confessario secundùm plenitudinem potestatis ipsi tunc concessæ absolvatur; eademque est Pœnitentis intentio.

Quæres 5to. An tollatur reservatio, cùm Pœnitens confessionem defectu dispositionis invalidam emisit apud aliquem pro reservatis approbatum. R. Cum distinctione. Vel enim confessio nulla est ex defectu mortaliter culpabili, ut cùm Pœnitens letale aliquod peccatum reticet ex verecundiâ, &c. Vel nulla est ex defectu nullatenus aut leviter culpabili; ut cùm falsò credit Pœnitens se dolore supernaturali moveri. Si I. reservatio non tollitur, seu à delegato, utpotè qui sacramentaliter tantùm a reservatis absolvere valeat; seu probabiliter ab ipso etiam Superiore: quia is licèt extra Sacramentum reservationem tollere queat; cùm tamen in ipso Sacramento absolvit, secundùm communes sacri Tribunalis regulas operari velle censetur, adeoque dolo & fraudi favere nolle. Si II. non ægrè crediderim tolli reservationem, nisi contrarium speciali Diœceseon lege constitutum sit. Ità enim docent Episcopi multi, quorum textus retuli Tom. XI. Prælect. pag. 633.

Quæres 6to. Quomodo gerere se debeat Confessor communis, qui in confessione audit reservatum aliquod. R. Monendum esse Pœnitentem, ut vel Superiorem, aliumve ab ipso delegatum adeat, si hic & nunc urgeat quædam celebrandi aut communicandi necessitas; vel expectet donec absolvendi facultatem acceperit à Superioribus. Tunc autem vel obtinenda est generalis potestas à ceteris qui fortè in decursu occurrent casibus absolvendi; vel expectandus confessionis finis, ut simul & semel omnium absolvendorum facultas obtineatur.

Quæres

Quæres 7mo. Quid agendum Confessario *communi*, qui quempiam à reservatis casibus, vel censuris absolvit? R. Optandum quidem res ità ab Episcopis constitui, ut nullus bonæ fidei Pœnitens ob Confessarii oscitantiam vel malitiam, hâc reservatorum casuum occasione æternæ damnationis periculum unquam subeat. Quoniam verò nec vota nostra, nec communiter rejecta quorumdam opinio jurisdictionem conferunt; dicendum, rebus ut nunc sunt positis, 1mo. irritam esse hanc absolutionem; 2do. enitendum esse Confessario, ut quâ poterit sagaciori viâ, & consulendo suo ac præsertim Pœnitentis honori, eum ad se revocet; vel saltèm petitâ humiliter, & obtentâ licentiâ eum alloquendi de re ad præcedentem ejus confessionem necessariâ, commoneat erroris à se inadvertenter commissi, & apud se, vel apud alium Sacerdotem reparandi. 3tio. Si id præstare nequit, seu quia Pœnitentem à ceteris secernere non potest, seu quia prævidet eum inde graviter commotum iri; hinc quidem Deum supplex deprecari debet, nè quid alter ex errato suo patiatur detrimenti; inde verò Pœnitentem bonæ suæ fidei dimittere sub spe justificationis ab eo in sequenti confessione obtinendæ. In hâc enim Pœnitens & à non reservatis quæ deponet, directè absolvetur, & indirectè à reservatis quæ vel oblitus est, vel invalidè confessus fuit. Ità habet communis sententia, cui, eo ipso consentire censentur Superiores, quo ei non contradicunt, cùm eam ignorare non possint. Addit Henno Confessarium qui malè absolvit Pœnitentem à censurâ reservatâ, posse, *obtenta ad id licentia* speciali, *ipsum nescientem, imò absentem, absolvere*: quia absolutio hæc Pœnitentis præsentiam non requirit, sicut sacramentalis absolutio.

Quæres 8vo. An Superior à reservatis absolvere possit, & ad Inferiorem pro communibus remittere. R. Nunc communi usu receptum esse, ut vel Superior, ejusve delegatus à reservatis & non reservatis simul absolvant; vel communiter tantùm approbatus, cùm reservata detegit, ad Superiores vel aliàs approbatum remittat, aut reservata dimittendi facultatem impetret. Quòd si Superior reservata sola audire velit, etsi tunc non à culpâ, sed à solâ reservatione absolvat, nihilominùs ad sigillum tenetur: quia hæc confessio quandantenus est Sacramentalis; cùm usum clavium importet.

Quæres 9no. An Confessarius, qui à Superiore obtinuit facultatem absolvendi ab uno casu, possit absolvere ab aliis etiam quorum Pœnitens recordatus est, aut quæ postmodùm commisit. R. Si verba concessionis generalem sensum præferant, ut ista: *Licèt Confessario latoris præsentium ipsum à casibus reservatis, pro hac vice absolvere;* poterit is Pœnitentem ab

aliis

aliis quæ commiserat, aut posteà commisit reservatis semel absolvere, cùm eum absolutioni maturum judicabit. Si verò Superior responderit, *Fiat ut petitur*, tunc videndum an crimen quod posteà meminit aut commisit Pœnitens, idem sit specie cum eo quod accusaverat, ac proinde numero duntaxat distinctum; an verò speciei sit diversæ. Si 1. ab eo absolvere poterit Confessarius (nisi Superior facultatem suam ad numerum sibi expositum limitaverit.) Si 2. non poterit; quia *Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum*: qui autem pro casu isto licentiam dat, non vult dare pro alio, de quo nequidem cogitat.

Duo hic moventur dubia I. an qui incautè petiit licentiam absolvendi à casu non reservato, vi facultatis hujus absolvere possit ab alio casu reservato, quem posteà detexit in Pœnitente. II. An qui licentiam obtinuit absolvendi aliquem à casu reservato, possit, si eum deinceps non absolvat, vi facultatis hujus alium ejusdem peccati reum absolvere. R. ad 1. negat. Posito quòd casum hunc distinctè conceperit animo, vel expresserit Superiori; quia nihil est cur præsumatur hæc ejus intentio fuisse. Quòd autem Confessarium ab errore suo non retraxit, inadvertentiæ tribui potest, nisi ut sæpius Romæ contingit, id factum dicatur ad pacandam Pœnitentis, vel ipsius Ministri conscientiam. R. ad 2. negat. Talis enim facultas talem numero personam spectabat, non aliam. Ecquis obtentâ Titio irregularitatis occultæ dispensatione, hanc Paulo in Titii defectum applicare ausit?.

Quæres 10mo. An qui ex speciali Superioris licentiâ sibi Confessarium elegit, per eum possit à reservatis absolvi. R. negat. ex cap. 2. *De Pœnit. & remiss.* in 6.

Quæres 11mo. An potestas à reservatis absolvendi expiret per cessum vel decessum Superioris. R. negat. Contra S. Antoninum Pontas & N. Alexand. 1mo. quia eorum opinio nullâ solidâ ratione nititur; 2do. quia pari de causa expiraret potestas à communibus etiam peccatis absolvendi; cùm hæc tantùm sit delegata; 3tio. quia *concessum à Principe beneficium non* expirat *re etiam integrâ per obitum concedentis*, cap. 36. *De Præbend.* in 6. quod ipse Pontas in dimissorialibus literis admittit.

Quæres 12mo. An reservationem incurrant, qui ab Episcopi jurisdictione immunes peccatum ab eodem Episcopo reservatum perpetrant. R. negat. Quia Episcopus nullam jurisdictionem habet in eos qui ab ipsa immunes esse supponuntur. Si tamen Canonici exempti grave, venando v. g. in Diœcesi scandalum præberent connivente Capitulo, ab Episcopo per censuras

censuras coerceri possent; quia ad eum devolvitur jurisdictio, cujus in gravi casu exercitium negligunt Superiores immediati.

Quæres. 13tio. an secularis Sacerdos à reservatis absolvere possit Regularem exemptum. R. Bened. XIV. (Tract. de Sacrificio L. 3. cap. 11.) *Cuilibet Regulari, sive Sacerdoti sive Converso, dum extra claustra moratur, cum bona venia, & in loco ubi non alius quispiam ex eorum Ordine reperiatur, facultatem* concessit *confitendi peccata & absolutionem recipiendi à quocumque Sacerdote, qui vel Secularis à suo Ordinario, vel Regularis à suo Superiore ad confessiones audiendas sit approbatus. Quam facultatem* extendit *etiam ad casus juxta Constitutionem Ordinis reservatos, & ad censuras in quas inciderint; addita obligatione tamen, ubi primum potuerint, coram Superiore se se sistendi, & novam ab illis casibus & censuris absolutionem impertiendi.*

Quæres. 14to. quam incurrant pœnam qui sine licentia absolvunt à reservatis. R. ex Clementina I. *De Privilegiis* Regulares, *qui excommunicatos à Canone, vel à Sententiis per Statuta Provincialia aut Synodalia promulgatis. absolvere* sine licentia *præsumpserint, excommunicationis* R. Pontifici reservatæ *ipso facto incurrere sententiam;* à quâ, utpotè quæ *præsumptionem* exigat, excusant bona fides & ignorantia, modo non affectata. At seculares Presbyteri, nullam, à reservatis temere absolvendo, pœnam incurrunt de jure communi; quia nulla iis constituta est.

### §. VI. *De potestate Regularium erga casus reservatos.*

Regulares in Tribunali vel personas ex Ordine suo regunt, vel Regulares alterius Ordinis, vel utriusque sexus Seculares. Jam

Quæres 1mo. quid possint Regulares quantùm ad Familiam suam, id est, quoad Professos, Novitios, Postulantes; vel eos, qui licet Seculares in perpetuum eorum domibus sunt alligati; vel famulos qui iis ad tempus pro suo vel Dominorum nutu deserviunt.

R. 1mo. Regulares, qui mutuò se percusserint, possunt absolvi à suo Prælato, ex C. 2. *De sentent. excom.* idque extenditur ad eos, qui ante ingressum Religionis tale quid commiserunt *nisi excessus ipsorum extiterit difficilis, & enormis,* de quo infra.

R. 2do. Prælati Regulares omnes exempti, à casibus Apostolicæ Sedi reservatis, subditos suos absolvere possunt, modo iidem casus non sint enormes. Ita Dominicanis iis proinde qui cum

iisdem

iisdem in privilegiis communicant indulsit Pius V. Porro in enormi casu censentur *hæretici relapsi, schismatici, Literarum Apostolicarum falsificatores, ad partes Infidelium prohibita deferentes, Bigami & homicidæ voluntarii.*

Dixi 1mo. *Prælati* quales sunt Generalis in toto Ordine, Provincialis in Provincia sua, Prior conventualis in suo Conventu, ejusque absentis Vicarius; hoc tamen discrimine quòd priores duo delegare possint; posterior non item, saltem in quibusdam Ordinibus: qua de re quisque Religionis suæ leges consulat.

Dixi 2do. *Religiosi exempti*: qui enim Episcoporum jurisdictioni subjacent, nonisi à Sacerdotibus per eos approbatis absolvi possunt. Quòd si, ait Suarez, *circa hoc habuerint aliqua specialia privilegia, juxta illa debent quoad hanc partem ab Episcopis gubernari.*

Dixi 3tio. *Omnes.* Ita Benedictus XIV. lib. 3. de Sacrif. Idem passim docent novi variorum Ordinum Scriptores; qui tamen simul observant non posse Regulares vi privilegiorum absolvere suos à censuris ab homine per specialem sententiam extra Monasterium latis; sicut nec ab interdicto locali.

R. 3tio. Posse eosdem, non tantùm Novitios sed & Postulantes [ modo utrique bonæ fidei sint ] absolvere, tum à casibus Episcopo reservatis, tum & ab iisdem casibus à quibus Professos absolvunt. Sic enim habet communis Doctorum sententia, cui consentit Religionum usus, Aliunde verò Novitii in favorabilibus veniunt nomine Religiosorum; unde gaudent privilegio Canonis & fori.

R. 4to. Prælati Regulares per se suosve possunt sine Episcopi licentia *audire confessiones illorum Secularium, qui inibi sunt, vere de familia & continui commensales, non autem illorum qui tantùm ipsis deserviunt.* Ita Clemens X. Bulla *Superna*, die 21. Junii 1670. & hæc ultima verba summopere pensanda sunt ab iis qui opinantur se nulla quoad Monasterii famulos indigere Episcopi approbatione.

Quæres. 2do. quid possint Religiosi quantùm ad irregularitates. R. eos posse cum subditis suis dispensare in omni irregularitate, excepta ea quæ oritur ex homicidio injusto & directè voluntario; vel ex injusta & voluntaria mutilatione; vel ex bigamia seu vera seu interpretativa, exceptis item irregularitatibus ex defectu animi vel corporis quandiu durat defectus. At nihil nunc tale possunt quoad Seculares ex Decerto Clementis VIII.

Quæres. 3tio quid possint iidem quoad Moniales sibi, non autem Episcopo subjectas. R. eas possunt ab iisdem casibus absolvere

absolvere, à quibus possunt Religiosos suos, Et verò à quibus absolverentur, quæ nulli alii subjacent? Excipitur casus clausuræ Regularis, in quo Moniales Episcopis subjacent. Porro mos est ut qui à Prælato suo præficitur Monialium directioni, pro reservatis casibus approbetur.

Quæres 4to. quid possint Regulares unius Ordinis erga Regulares Ordinis ejusdem, vel alterius Instituti, qui extra Monasterium suum legitima de causa versantur. R. ad 1. generatim in his omnibus consulenda esse Ordinum Statuta, quorum alia aliis sunt rigidiora. R. ad 2. Religiosos unius Ordinis nihil plus posse in Religiosos alterius instituti, quam in Seculares. Unde licet forte satius sit ut apud Regularem, quam apud Secularem confiteantur, cum parem utriusque copiam habent; tamen ne validè quidem Religioso alterius Ordinis confiteri possunt, cum deputatum habent Ordinis sui socium. Extra hunc casum possunt juxta citatum supra Benedicti XIV. Decretum, confiteri apud Regularem à proprio tantum Religionis suæ Præsule approbatum.

Quæres. 5to. quid possint Religiosi exempti erga Seculares extraneos. R. Regulares Superioribus suis legitimè præsentati, & ab Episcopo loci ubi confessiones excipiunt approbati, possunt quorumcumque Fidelium, ad eos undecumque accedentium [nisi expresse resistat horum Episcopus] confessiones audire, & ipsos absolvere; non quidem à casibus Episcopo reservatis sine ejus licentia: sed à casibus Papæ reservatis extra Bullam Cœnæ & censuras speciales ab homine; nisi obsit privata locorum disciplina, ut Romæ resistit quoad duellum, violationem clausuræ regularis ad malum finem, &c.

## §. VII. *De jurisdictione in articulo mortis.*

Conclusio. Quilibet Sacerdos, etiam ab Ecclesia nominatim præcisus, degradatus, schismaticusve vel hæreticus, quemlibet pœnitentem à quovis peccato absolvere potest in articulo mortis.

Prob. ex Trid. Sess. 14. C. 7. ubi sic: *Piè admodùm, ne hac ipsa*, casuum reservatorum *occasione aliquis pereat in Ecclesia custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pænitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Ubi vox *omnes Sacerdotes* tam latè patet quam vox, *omnes* seu *quoslibet pænitentes.* Atqui vox *quoslibet* ipsos etiam excommunicatos, &c. comprehendit. Et certè ideò Ecclesia omnem in articulo mortis reservationem sustulit, nè quis *hac occasione periret.*

Atqui

Atqui suum hunc scopum non assequetur, si facultas absolvendi in eo casu nemini excommunicato, vel hæretico competat. Perirent enim, quibus à nullo præter excommunicatum succurri posset.

Quædam hic emergunt dubia. I. An qui tunc à reservatis absolutus est Superiorem adire debeat, ut ab eo iterùm absolvatur. II. An approbatus qui scit pœnitentem multò libentiùs sua peccata confessurum esse non approbato teneatur morienti ministerium suum offerre. III. An in periculo esse credendus sit, is de quo incertum est an evadere queat.

R. ad 1. negat. Quia seclusa speciali locorum lege, opus non est ut qui rite absolutus est à peccatis, ab iis denuò absolvatur. Non idem est ubique de censuris ut alibi dicam.

R. ad 2. Generatim loquendo tutius esse ut pœnitens approbatum Sacerdotem accersat quàm alium. Quia tamen vereri est ne qui renitens cuipiam confitetur malè confiteatur; non male faciet, qui ut plenam morienti libertatem tribuat, ab eo tunc recedet. Hinc Parisiis non approbatus morientis confessionem excipere potest, cùm *prudenter* judicat *moribundum ægrè nimis laturum*, quòd advocetur alius qui facultatem habet *absolvendi à casibus reservatis*. Cavendum tamen nè qui plus placet moribundo, sit hæreticus, &c.

R. ad 3. affirmat. Quoti enim ea incertitudine delusi, vel nullam absolutionem darent morienti, vel tunc tantùm darent cùm monitis congruis destituta, multò minùs prodesset.

## §. VIII. *De dilatione absolutionis.*

Constat 1mo. ante omnia Confessario curandum esse, ut distinctam peccatorum pœnitentis quoad numerum, speciem & circumstantias etiam aggravantes confessionem eliciat. Unde certam in interrogationibus methodum sequi debet cujus ope singula Dei mandata, præcepta Ecclesiæ, capitalia delicta obligationes statui pœnitentis annexas decurrat. Hæc verò methodus, si fieri potest, aperienda erit pœnitenti ante confessionem, quò faciliùs examen suum instituat. In ipso autem confessionis decursu ad unum quodque peccatum certo vel dubiè mortiferum inquiret Confessarius *quoties* admissum sit, *quoties* animo propositum antequam admitteretur. Lenta quidem hæc procedendi ratio; at coràm summo Judice, *sat citò quod sat bene.*

Constat 2do. nusquam majori opus esse prudentia, quam in iis quæ ad castitatem pertinent. Hic addenda, junioribus præsertim puellis, fiducia, quæ dæmonem mutum abigat, &

standum

standum inter moderatæ interrogationis limites, nè doceantur quæ fortè nesciunt.

Constat 3tio. nitendum Confessario ut superflua à confessionibus resecet; ut proinde nec sinat Pœnitentem quoquoversum digredi, nec ipse propriæ curiositati indulgeat. Quin & ad confessionis calcem remitti debent quæ fusiori indigent examine, puta restitutiones, simoniæ, irregularitates. Ubi not. inauditos debere dimitti Sacerdotes, qui graviter rei, à celebrando abstinere nolunt, donec satis probentur. Quia verò penuriam objiciunt, huic mederi curabit Confessarius.

Constat 4to. contritionem esse potissimam hujus Sacramenti partem, ut quæ ceteras suppleat, & à nulla suppleri possit. Ad eam igitur omnimodis adducendus est Pœnitens; ad id autem proderunt quæ dixi Tom. III. Cap. 5. in fine.

Constat 5to. dandam esse absolutionem Pœnitenti, quem Confessarius moraliter judicat ritè dispositum. Sicut tamen quæ hodiè prodesset medicina, ad aliquot dies differtur aliquando, quia creditur profutura magis: sic & quandoque jam dispositis potest ad aliquod tempus suspendi absolutio; cùm prudenter judicatur futurum hinc ut magis à peccando revocentur & largiori prece majorem gratiæ copiam accersant; nec vereri est quin animis concidant, aut nimiùm affligantur.

Constat 6to differendam esse absolutionem iis quorum nulla est vel dubia conversio: quales sunt, 1mo. qui in occasione peccandi; 2do. qui in criminis habitu; 3tio. qui in funesta quapiam animi dispositione; 4to. qui in libera vel etiam coacta certarum rerum inscitia versantur; de quibus sit ordine retrogrado.

Conclusio I. Differenda est absolutio iis qui præcipua Fidei mysteria, Deique & Ecclesiæ præcepta ignorant; aut ab iis quorum curam gerunt, puta filiis vel domesticis, ignorari patiuntur.

Prob. 1. pars, quia Innoc. XI. propositionem istam 64. reprobavit: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum fidei; & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis* D. N. quam thesim an. 1700. proscripsit Clerus Gallic. ut *contumeliosam in Christi Mediatoris nomen, erroneam & hæreticam.* Præiverat S. Carolus Borr. in Instruct. Confess. ubi hæc C. 12. *Si Confessarius Pœnitentem reperiat istorum omnium ignarum, nec ad ea quàm primùm discenda dispositum non debet eum absolvere. Imo si ad ea discenda se paratum exhibuerit, si alias à Confessario suo, vel eodem, vel diverso, aut à*

*suo*

*ſuo Parocho ſit admonitus, nec debitam diligentiam adhibuerit ut ea ſecundum ingenii ſui modum captumque addiſceret, differatur illi abſolutio, donec huic obligationi aliqua ſaltem ex parte fecerit ſatis. Si vero ea de re nuſquam antea monitus fuerit ipſum* modò aliunde ſufficienter diſpoſitum, *abſolvat, præmiſſa ſemper inſtructione de his rebus neceſſaria, ut ſit inpræſentiarum abſolutionis capax.*

Prob. 2. pars quæ Patresfamilias, Præceptores, & Parochos ſpectat; ex 1. Timoth. 8. ubi: *Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Porro ut ſuorum curam non habet, qui iiſdem gravi correptis morbo neceſſaria ad corporis ſanitatem non providet; ſic & qui iiſdem circa animæ neceſſaria non invigilat. Idem late docet S. Carolus, ibid. C. 17. & hæc pleroſque Magnatum Confeſſarios terrere debent; cùm immaniter negligatur famulorum cura, quibus nec ſatis identidem attendunt ipſi Sacerdotes, vel etiam Communitates.

Ergo, inquies, qui in articulo mortis accuſat ſe, quòd primaria fidei Myſteria ediſcere neglexerit, nè tunc quidem abſolvi poterit, ſi ob imminens letum ea non poſſit edoceri. R. neg. ſeq. poterit enim is in eo dubii caſu abſolvi, 1mo. quia piè præſumitur Spiritum S. qui ad hujus ignorantiæ deteſtationem movit, id per ſe docere, quod jam homo docere nequit; 2do. quia dempta fide Dei remuneratoris, quæ vix homini confitenti deeſſe poteſt; diſputant Theologi an Trinitatis & Incarnationis fides ſit neceſſari a neceſſitate medii, an non ſolum ex præcepto: quæ autem ex præcepto ſolùm neceſſaria ſunt, cum impleri actu non valent, abſolutionis nullitatem non inducunt. Quia tamen multò certius eſt utriuſque Myſterii fidem neceſſariam eſſe neceſſitate medii, Pœnitens non eſſet tunc niſi conditionatè, *ſi capax ſit,* abſolvendus: unde extra neceſſitatis caſum iterari debent confeſſiones in eo ignorantiæ ſtatu factæ.

Quòd ſi Pœnitens quædam ignoret, quæ ſolùm de neceſſitate præcepti ſcienda aut credenda ſint: videndum an ignorantia illa invincibilis fuerit, an non. Si I. neceſſe non erit ut iterentur præteritæ confeſſiones; quia ubi eſt ſubſtantia fidei, ibi eſſe poteſt charitas. Unde etiam juxta S. Carolum abſolvi poteſt Pœnitens aliunde diſpoſitus, ſi hic & nunc quantùm ſatis eſt à Confeſſario erudiri poſſit; quòd vulgo difficile eſt. Si II. iterandæ erunt factæ in eo ſtatu confeſſiones, & accuſanda, præter hujus ignorantiæ peccatum, earumdem confeſſionum & communionum ſacrilegia. Idem eſt cùm prudenter ambigit Confeſſarius an ignorantia graviter culpabilis fuerit. Id autem ſæpius ſuſpicari poteſt, cum ignorantia hæc plerumque à libero Concio-

Concionum vel Catechismi neglectu, & salutis incuria originem ducat.

Quòd si Pœnitens hebes adeo sit, ut necessaria etiam necessitate medii addiscere non valeat, explorandum erit an hebetudo illa oriatur ex prava cordis dispositione, quæ interiorem oculum obscuret; an ex ingenii imbecillitate. Si I. quod sæpe fit, sensim excutiendus erit teter ille animi affectus qui facit ut homo dum etiam de terrenis rebus splendidè discurrit, quantum ad spiritualia palpet ut cœcus in meridie: Porrò hoc dæmoniorum genus non ejicitur, nisi in jejunio, oratione, eleemosynis; quibus quoniam parùm incumbunt hujusmodi homines, debet Director, tum per se, tum per peccatoris amicos, fratres, sponsam, matrem iisdem sedulo incumbere. Si II. Sacerdos nulli labori parcere debet, ut hisce rudibus fidem obtinendæ saluti necessariam inculcet; quia sanguinem animarum defectu instructionis pereuntium de manu Pastorum requiret DEUS, qui languidas etiam oves eorum curæ commisit.

Si post repetitas Catecheses perseveret illa mentis hebetudo, & Pœnitens acre discendi studium demonstret, christiane vivat atque ab iis declinet vitiis, quibus natura sola sufficit; * *quamvis Fidei Mysteria sub consuetis locutionum formalis profiteri nequeat, non videtur* omninò *Sacramentis privandus;* quia *stabilis christianæ vitæ tenor internæ fidei signum est.* Neque etiam iis in quibus senium hebetudinem illam parit, *subtrahenda videntur Sacramenta; si constet quòd congruam antea Mysteriorum illorum notitiam habuerint, & christiane cum timore Dei conversentur.* Nec est quod Pastor moras nectat spe futuri profectûs, quia illa intellectus debilitas crescit cum tempore. Ubi hot. senes qui diu in oblivione DEI vixerunt, interrogari debere circa primaria fidei capita; cùm constet eos etiam qui in terrenis cæterorum duces esse solent, non raro sui Catechismi prorsùs esse oblitos.

Quæres. an ad iterandas confessiones adigi debeat qui grave aliquod, puta mollitiei vel usuræ peccatum reticuit quia malitiam ejus ignorabat. R. pendere id à natura & gradu ignorantiæ ex qua peccatum est: Si enim hæc invincibilis fuerit, vel vincibilis quidem, sed per eam tantùm diligentiam quam attentissimi adhibere solent, non idcirco iterandæ erunt confessiones. Quot enim multæ etiam pietatis homines circa contractus decipiunt & decipiuntur eo dolo qui juxta Leges *dolus non est?* Si verò ignorantia cum solitis gratiæ & naturæ auxiliis propelli potuerit, nec à sacrilegio, nec prohinc ab iterandis confessioni-



* *Van-Roi.*

bus excusabit. Talis autem ut plurimùm est ignorantia malitiæ pollutionis.

Conclusio II. Iis etiam neganda est absolutio, qui necessaria ad professionem suam ignorant, nisi aut officio cedere parati sint aut scientiam quâ indigent quam primum comparare, & interim ab officio abstinere.

Prob. quia Confessarius v. g. Judex, Medicus, &c. qui artis suæ regulas ignorant, immane publicæ rei detrimentum afferunt, dum alter animas jugulat, alter fortunas civium subvertit alter corpora enecat. Quis porrò publicas ejusmodi pestes absolvere ausit? Neque satis est ut spondeant se debitam scientiam comparaturos: videndum enim 1mo. an ejus capaces sint; 2do. exigendum ut dum comparabunt, quod non est mensis unius, ab officio suo abstineant; 3tio. curandum ut illata proximo damna resarciant. Id quidem poterit Judex restituendo: at quî poterit Confessor vel Medicus? Uterque tamen sæpè ad restitutionem tenebitur; prior erga illos quos à debiti sui consecutione impediit; posterior erga uxorem, liberos, &c. quibus sponsum vel patrem auferendo, fortunam abstulit.

Quæres. an & quando teneatur Confessor monere Pœnitentem, qui ex ignorantia facit aliquid illiciti; R. explorandum esse 1mo. an Pœnitentis ignorantia vincibilis sit, an non. Dum autem id ex tota Pœnitentis agendi ratione expendit Sacerdos, singulari eget prudentia,* *nè prius quam oportet tollat bonam fidem in qua est Pœnitens*: 2do. an ignorantia illa sit facti vel juris; si juris an naturalis an divini vel humani: 3tio. an ignorantiæ ablatio fieri possit citra scandalum aut grave damnum: 4to. an ex Confessarii monitis fructus aliquis speretur, an nullus.

Dico 1mo. Moneri debet Pœnitens quoties error ejus vel ignorantia vincibilis est, etiamsi nullus hinc speretur successus, sed potiùs scandalum Pœnitentis. Ratio est quia ignorantia hæc peccatum est, & causa peccati; utrumque autem à Pœnitente pro viribus avertere debet Confessor. Nec obest quòd hinc non speretur fructus: Saltem enim proderit admonitio isthæc, ut Pænitens aliquando conscientiæ stimulis agitetur, & ut non conqueratur absolutionem sibi iniquè denegatam.

A fortiori monendus est Pœnitens, 1mo. cùm dubitat nùm actio sua vacet à peccato, eaque de re Sacerdotem interrogat; quià Confessarii taciturnitas Pœnitentem suo in errore confirmaret: 2do. cùm error Pœnitentis eidem est perniciosus, puta cùm pro gravi habet id quod leve peccatum est.

Ut autem detegat Confessarius an vincibilis sit Pœnitentis ignorantia

* *Garner.*

ignorantia: videndum an is nullum scrupulum vel dubium habeat: Id tamen erga eos duntaxat locum habet, qui non obtusæ sunt, aut esse incipiunt conscientiæ. Fieri etiam potest ut Pœnitens malæ olim, nunc bonæ fidei sit; putà si quosdam re vel fama doctos consuluerit, qui conscientiam ejus sedaverint. Quod si Pœnitens consultis duobus Theologis deteriorem partem amplexus sit, culpandus est si opinionem minùs vel solùm æquè probabilem amplexus sit, nisi hæc tradita sit à quopiam adeo gravi, ut ejus authoritas authoritati alterius longè prævaleret.

Dico 2do. Pœnitens quacumque juris vel facti laboret ignorantia, erudiendus est, 1mo. cum ex errore ejus sequitur grave aliquod malum, vel scandalum publicum; 2do. cùm error vergit in damnum injustum proximi, si tamen damnum illud sine graviori incommodo averti possit. Prob. 1. pars quia publicum bonum bono privato præferri debet. Unde moneri debet Parochus qui bona fide hæresim docet; rusticus qui remedium exitiale distribuit, &c. Prob. 2. pars, quia malum proximi averti debet, cum potest citra incommodum necessarium. Unde qui contractum usurarium fecit, aut iniqua via lucratus est, moneri debet ut resiliat ab uno, & aliud restituat. Quòd si facere nolit ipse sibi imputet: interim à Confessario absolvi non potest quia *noluit intelligere ut bene ageret.*

Hæc tamen doctrina limitanda videtur; 1mo. ut dixi cùm *damnum proximi sine graviori incommodo* averti nequit. Sic uxor quæ à putatitio conjuge indignè vapulat de matrimonii sui invaliditate moneri non debet, ne à tyranno suo recedat cum gravi Parochiæ scandalo, dispendio prolis &c. 2do. cum monitio quæ hic & nunc omittitur, deinceps profutura judicatur: fieri enim potest ut qui hodie nascentem pietatis scintillam in se potiùs suffocaret quam usurarium contractum rescinderet; post menses aliquot factus vegetior, non modo injustè parta restituat, sed & propria largiatur. In his tamen habenda est ratio circumstantiarum, puta an quem audis ad te reversurus sit; an proximè moriturus; an (quod rursus moneo solerter explorandum) error ejus spectato ejus statu sit inculpabilis. Hinc meritò quæsitum est à Capitaneo, ceteroquin exactè & *dolorosè* confesso, an duellum provocatus acceptaret; quia nulla circa dispositionis ejus nequitiam fingi potest ignorantia invincibilis. Ego quidem in hoc casu ut plurimùm à limine interrogarem quæ sit militis circa duellum dispositio. Si responderet sibi fixum esse animo id facere quod alii solent, hortarer ut singulis hujus hebdomadæ diebus flexo genu per Deiparæ merita à DEO expostularet quod uno antè mortem instanti

fecisse velit. Si meliores indueret spiritus, audirem lubenter si secus, non audirem; ut quid enim diu audias quem postmodùm absolvere non possis?

Dico 3tio. cum ex invincibili Pœnitentis errore sequitur malum aliquod etiam materiale, moneri debet Pœnitens, quoties monitio videtur citra scandalum & grave proximi damnum profutura: alias non. Unde qui matrimonii sui nullitatem inculpatè nescit, moneri debet cum prævidetur futurum ut dispensationem petat & obtineat, & interim abstineat ab ea quam discit non esse suam. Alias moneri non debet, sed differenda erit in aliud tempus monitio.

Prob. 1. pars, quia error in hypothesi facta grave invehit malum, nempè privationem gratiæ sacramentalis conjugibus adeò necessariæ.

Prob. 2. pars, 1mo. quia ad actum inutilem & gratis exitiosum nemo tenetur; 2do. quia monitio in præsenti se habet ut correptio fraterna; hæc autem sublata spe fructûs & à fortiori dum mali quid speratur, omitti debet.

Sed quid si uxor alia de causa debitum negat ei quem legitimum esse suum conjugem invincibiliter credit; an qui matrimonii hujus invaliditatem novit Confessor adigere eam poterit ut debitum reddat? R. affirm. Neque tunc mentietur Confessor quia alter reputatur conjux. *Sic verum dixit Virgo Luc. 2. cum dicit:* Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te; * *cum tamen Joseph non esset verus pater, sed sola reputatione.*

Conclusio III. Non potest, moraliter loquendo, absolvi qui in occasione proxima simul & præsenti sponte permanet neque etiam qui ab occasione absente recedere non vult, licet hanc inquirat sub prætextu boni etiam spiritualis, sive sui sive proximi. Occasionis definitio & divisio ex Tractatu de Peccatis repetendæ sunt.

Prob. 1mo. ex Eccli. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* 2do. ex Mat. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum* 3tio. ex censura ab Innocentio XI. huic inusta propositioni: *Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, &c. Non ergo*, ait Nat. Alex. *à sanctissimis illis regulis sinant Confessarii, se abduci falsa misericordia erga illos qui dicunt: Si hanc domum, si hoc officium, si hanc artem deseram, deest unde vivam. Nam contra hujusmodi excusationes in peccatis audiendus Dominus qui ait:* Quærite primum regnum Dei, &c. *Neque magna illorum habenda est ratio qui ut in proximis peccati occasionibus adhuc sordescant lamentando dicunt: Si hanc ejecero mulierem quæ*

* *Sanchez.*

*quæ consanguinea mea censetur, vel quæ uxori meæ servit veniam in suspicionem criminis: nam Salvator noster damnat eos qui dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Legatur S. Carolus in Instruct. Confess.

Neque etiam licet gravi peccandi periculo se exponere ob spirituale proximi bonum. *Quid enim prodest homini si universum mundum*, etiam spirituali modo, *lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Hinc qui certus est se conversurum esse meretricem, simulque, se eam oculo parum pudico intuiturum, à facie ejus fugere debet. Idem est de Confessario, qui dum duriora corda concutit, suum aperit libidini.

A fortiori famulæ quæ ad malum sollicitantur, non modò aliquam mercedis suæ partem, sed totam potius perdere debent quam in proximo ruinæ periculo commorari. Imo etsi auxiliante DEO, plenam sibi victoriam pollicentur, quamprimum exire debent è domo, ubi, licet invitæ, sunt occasio peccandi. Tunc tamen ne pacta sibi mercede, ampla potissimum priventur, ad aliquod tempus expectare possunt; quia quod præbent scandalum, si ita loqui fas est, acceptum est, non datum.

Sed quid de iis quæ habitu lasciviam spirante, nudatione pectoris, &c. peccandi occasionem dant? R. Misera hæc & efficacia diaboli instrumenta esse horrorem Cæli, ruinam terræ, sexus sui opprobrium. Unde qui iis absolutionem impendunt, ipsi se absolutione indignos præstant.

Dixi in Concl. 1mo. *qui in occasione proxima & præsente permanet.* Is enim cùm ex hypothesi occasionem illam statim dimittere valeat, satis testatur se habere cor peccato addictum.

Dixi, 2do. *moraliter loquendo;* quia mors aliquando tam proximè imminet ut absolvi debeat qui necdum amasiam ejecit. Quod si hanc statim ejicere valet, non ante erit absolvendus quam ejecerit. Poterit autem sub honesto prætextu quasi ad tempus eliminari, puta ut peregrinationem instituat pro impetranda infirmi valetudine, vel bona morte: sic enim moribundus ab objecti periculosi intuitu liber efficitur.

Dixi 3tio. nec absolvi posse eum *qui recedere non vult ab occasione, absente*, seu extra se quæsita, quales sunt choreæ, lusoriæ domus, tabernæ, personarum absolutè vel respectivè periculosarum frequentatio, &c. Qui enim hæc sibi funesta rursum invisere proponit amat periculum, & ruinam periculo annexam. Quod si spondeat se ab his esse recessurum videndum erit an non jam defuerit promissis; & tunc differenda erit absolutio, donec satis probatus fuerit. Quod si primùm peccata hæc confiteatur, vel olim confessus, non satis de eorum

gravitate monitus fuit tunc, si vera sinceri doloris argumenta exhibeat, hic & nunc, juxta S. Carolum, poterit absolvi. Quia tamen nostro hoc tempore plerique, juvenes potissimum, id omne quod volueris spondent, & eadem facilitate retractant, sibi suisque provide consulet Director si absolutionem differat ad tempus. Hujus autem diuturnitas, ex peccatorum modo, Pœnitentis conatibus, & aliis personæ, loci, festi etiam circumstantiis metienda erit. Interim pensandum Directoribus id quod docet Henno: *Vellem hic veritatem hanc omnibus Confessariis fortiter inculcare, nempe vix aut nè vix-quidem unum, qui mulieri cohabitanti aliquoties mortifere,* seu per ultimum crimen, seu per tactus vel oscula, *adhæsit, licet necdum res turpis abiisset in consuetudinem, aut occasionem proximam emendatum fuisse nisi per separationem. Certè ipsa peccati memoria, objecti præsentia, naturalis ad peccatum hoc propensio, &c. ita sensibiliter emolliunt cor hominis, ut non obstantibus omnibus cautelis aliquando & sæpius miserabiliter labatur.* Neque semper sufficit ut qui cum muliere lapsus est, ab ejus cohabitatione discedat, sed & ipsum ejus aspectum fugere, & quæ ideam ejus alliciunt munuscula procul abjicere debet. Hinc Pontas negat dandam esse absolutionem feminæ, quæ licet cum amasio suo duobus ab annis non peccet, ab eo identidem invisitur, literas ejus lubens recipit, & tabellam ejus conservat.

Conclusio. IV. Si occasio graviter peccandi proxima sit præsens, nec physice aut moraliter dimitti possit, Pœnitens absolvi non debet, donec eam quomodocumque poterit è proxima remotam fecerit.

Prob. ex iis quæ dixi in Tract. de Peccatis, quæ consuli & maturè expendi precor.

Porrò non pigebit repetiisse præcipua occasionis debilitandæ media esse orationem crebram, frequentem confessionis usum, frequentiorem ad Deiparam recursum, fugā otii Romanensium Librorum repulsam, piorum lectionem, cogitationem annorum æternorum, eamque potissimum sincèram humilitatem quæ omnia consequitur, &c. Specialia cujusque peccati remedia exhibui in eodem de Peccatis Tractatu.

Quæres an excipi debeat, ut in proxima occasione positus, qui semel in anno Lugdunum petit, ibique cum muliere fornicatur. R. hominem hunc, si falso jam promiserit se vel in eam urbem minime regressurum, vel si ex urgentibus negotiis regrederetur feminam hanc ne raptim quidem invisurum constanter probandum esse, donec moraliter judicet Confessarius fore ut totam, si opus erit, fortunam saluti suæ postponat. Nec tamen

men semper toto anno expectandum erit, quia plena conversio quandoque signis tam efficacibus se prodit, ut omnem dubio aditum præcludat.

Quæ hactenus dicta sunt, à fortiori locum habent in Ministris Christi. Hinc 1mo. cavebit Confessarius ne Sacerdos munus Præceptoris aut Capellani acceptet iis in domibus ubi mulieres lascivè comptas sæpius prospecturus sit, cum fieri nequeat quin volens, nolens, multa intueatur & audiat, quæ pacem animæ excutiant, & imaginationem phantasmatis conturbent. Hinc 2do. & magis ab iisdem domibus quamprimum retrahendus est, qui jam sensit virtutem suam labefactari. Nisi enim effugiat, vel tandem cedet, vel ut minimum ab ea cordis pace excidet, sine qua languet oratio, & mens referta nugis fit instar terræ *sine aqua*. Hinc 3tio. qui jam ad colloquia minus pudica, ad aspectus vel tactus ejusdem generis devenerunt etsi forte gemitibus primam absolutionem mereri possunt, non tamen secundam, nisi exierint, si penes eos fuerit exiisse. Quod si quis cum muliere, quam pro libito invisere potest, peccavit, ab ipso etiam oppido recedere debet, si, ut sæpe, grave aliquod novi lapsûs periculum impendeat. Hinc 4to. ab audiendis confessionibus omninò deterreri debet, qui sat virium non habet ut iis absolutionem neget, quæ mundano more induuntur, quæ in proxima peccati occasione degunt, quæ Parochiali Missæ continuo & libere desunt. Idem est tum de eo cui audita in confessione nova sunt occasio ruinæ; tum de eo qui vel plebem suam non pascit verbo; vel Beneficii sui reditus in aleam, epulas impendit.

Quæres. an etiam propter habitum peccandi neganda sit absolutio.

Not. Habitus peccati definiri solet; facilitas peccandi, seu propensio in peccatum per actus repetitos comparata. Multi tamen ex uno aut altero actu plus ad certum peccatum contrahunt facilitatis, quam qui illud pluries commisere. In aliis verò repetiti actus habitum quandoque imminuunt, quatenus fruitio tollit novitatis illecebras, & amatæ rei vanitatem ostendit. Unde nec semper habendus pro *consuetudinario* qui pluries in certo genere deliquit; nec semper pro non consuetudinario, qui ter aut quater tantum peccare incœpit. Jam quæritur 1mo. an Pœnitens qui peccatum aperiendo consuetudinem ejus silet, circa ipsam interrogari debeat, & respondere; 2do. an eidem si in habitu peccati deprehendatur differenda sit absolutio; 3tio. qua ratione à pravo habitu possit revocari. Sit

CONCLUSIO. V. Pœnitens ignotus cum grave quid confitetur inter-

interrogari debet an illud ex habitu committat, & interrogatus respondere tenetur,

Prob. 1. pars. Confessarius, ut Judex cavere debet ne eum præpropere solvat qui ligari meretur; ut Medicus non modo præterita vulnera curare debet, sed præcavere futura. Atqui neutrum præstare potest, nisi Pœnitentis statum & habitus cognoscat. Nec enim eum qui semel ex fragilitate vel malitia peccavit, excipiet eo modo ac qui peccatum velut aquam bibit. Nec rursus eadem malo jam obducto præscribet remedia quæ malo hodieque urgenti; nec semper absolutionem pro delicto raptim commisso differet, uti pro geminatis differre tenebitur nec ad interandas confessiones adiget, cum sæpe ad eas adigendi sint qui malo in habitu versantur.

Prob. 2. pars tum quia Inn. XI. hanc n. 58. thesim reprobavit: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*: Tum quia habitus peccandi quædam est circumstantia peccatum insigniter aggravans. Atqui hujusmodi circumstantias tenetur Pœnitens aperire Confessario etiam non interroganti.

Conclusio VI. Regulariter absolvi non debet qui mortalis peccati consuetudinem habet, donec idonea emendationis indicia præstiterit.

Prob. 1mo. ex tota Traditione, quæ festinam hujusmodi peccatoris absolvendi praxim, uti Pœnitentium æque ac Confessariorum ruinam semper exhorruit. Sic Clerus Rom. Epist. ad Cyprian. *Ubi vero*, inquit *indulgentiæ poterit medicina proficere, si ipse etiam Medicus tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria tempore remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed si verum dicere volumus, occidere.* Neque alia nunc est Ecclesiæ sententia. Unde Innoc. XI. hanc n. 60. thesim protrivit. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio; dummodo* quod arduum non est, *ore proferat se dolere, & emendationem proponere.* Quod opinionis portentum â Gall. Clero proscriptum est ut *erroneum & ad finalem impænitentiam ducens.*

Prob. 2do. Confessarius neminem de via communi absolvere potest, quin antea moraliter certus sit de efficaci ejus peccatum fugiendi proposito. Atqui Confessarius nedum moralem hanc certitudinem ex sola Pœnitentis *consuetudinarii* assertione habeat, plusquam moraliter certus est hunc de novo esse relapsurum. In hac enim quotidiani facti materia minus credendum est ratiocinationi, quam experientiæ: Hæc porro docet

eos

eos qui potandi, venereis indulgendi, proximos venenato dente insequendi habitum contraxerunt, in eundem, ubi semel & iterum aspirat occasio, totis pedibus proruere; quin & aliquando ea ipsa die qua Christi corpore refecti sunt. Et id qui praxi obliviscuntur Confessores, ipsi prædicant è suggestu, ubi id inclamant: *Si potest Æthiops mutare pellem suam* &c. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* &c.

Dixi *regulariter* non esse absolvendum, &c. quia in periculo mortis is etiam absolvitur qui dubia doloris specimina exhibet. Tunc autem si *Sacramenta damus, securitatem non damus.*

Potest etiam aliquando prima vice absolvi qui habitum jam excussit; vel à gratia potenter motus occasione damni aut inopinæ mortis eorum quibuscum peccabat, austeram pœnitentiæ viam ingressus est, & in ea constanter perseverat: Quanquam aliquando probandi sunt ii quos adversus casus ad DEUM revocasse videtur. Quot feminæ post funestam conjugis mortem seculo renuntiasse creduntur, quæ paulo post rursum mundi illecebris cedunt! *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

Qui vero publicum scandalum dedère, ejus causam auferre, & palam pro data populis offensione satisfacere debent secundùm Ritualis leges, quandoque etiam ad præscriptum Episcopi quem in his casibus consuli decet: quanquam qui post ablatam scandali causam pie & sancte perseverat, conceptam de se malam opinionem sensim delet.

Quæres. An extraordinaria doloris signa exhibere censeatur qui longam & difficilem viam confitendi gratia perfecit extra tempus paschale, ex motu proprio, non ex parentum aut Magistrorum jussu. R. non deesse qui peccata sua confitendi irrugiant, ut Esau, *clamore magno*; qui hactenus celata aperiant, præsertim ignoto Sacerdoti; qui aliquoties jejunent, &c. & qui tamen stupenda facilitate post hebdomades aliquot ad priora sua revertantur. Hi ergo juxta habitus gradum, frequentiam occasionis, nativam in certa vitia propensionem tentandi sunt. Sane qui fructus pœnitentiæ exigit Christus, non quoscumque sed *dignos* exigit.

Nec nocet id Christi, Luc. 17. *Si septies in die peccaverit in te frater tuus & septies in die conversus fuerit ad te dicens Pænitet me*, dimittas *illi* peccatum. 1mo. quia textus ille intelligitur de privata injuriæ condonatione, adeoque trahi nequit ad absolutionem sacramentalem. Alioqui sicut inimico à nobis intus averso noxam dimittere tenemur; sic & eum quem intus à DEO aversum esse sciremus, absolvere teneremur; quod nemo dixerit: 2do. quia etsi textus ille ad absolutionem sacramentalem

mentalem trahi posset, non illico absolvendus foret quicumque dicit: *Pœnitet me*; sed is tantum qui, ut in eodem textu fertur *conversus* dicit *Pœnitet me*. Atqui non dicitur vere *conversus*, cujus conversio, nedum certa sit, moraliter dubia est & plusquam dubia.

At inquies, ex doctrina quæ consuetudinariis absolutionem differt, sequitur 1mo. quod plures vix unquam absolvantur: si quis enim dum præscripta sibi remedia exequitur, in peccatum recidat, remittendus erit; & si denuo labitur, nova opus erit probatione quæ dum alia alii succedet, fluet vitæ tempus sine absolutione. 2do. Parochus qui in carnis peccatum pluries lapsus erit, vel Missam die solemni omittere, cum gravi plebis offensione, vel sacrilegè non absolutus celebrare tenebitur. 3tio. Absolvi non poterit omnibus etiam ad nuptias paratis qui ex habitu cum sponsa peccavit, quique hanc ideo ducere vult ut fornicandi finem faciat. Unde vel differendum erit cum immani scandalo matrimonium, vel celebrandum sacrilegè. 4to. Neque etiam absolvi poterunt qui ex habitu venialiter peccant, &c. Sed hæc non urgent.

Ad 1. quæro quid faciant adversarii erga peccatorem qui singulis mensibus confitetur, & in quo post multas pollicitationes nulla apparet habitus mali imminutio, nulla magis quam ante salutis cura, nulla occasionum fuga. Quid ergo si is prima, secunda tertia vice. sicque ad annos & annos in eodem statu permaneat, an erit absolvendus? Non sane. Ut quid ergo increpantur qui non proprie rigidi, sed cautiores reconciliationem differunt donec sibi moraliter constet de sincera Pœnitentis conversione? Not. tamen quod præter juvenes quosdam, qui ad oculum servientes ex Magistrorum pavore confitentur, pauci sunt qui humaniter excepti à Confessario tenerè admoniti, ad idonea pœnitentiæ opera benigne animati, non tam severè correpti, cùm aliquoties recidunt, quam de multiplici in tentationes victoria sua gratulanter laudati, interim tamen hortati ad meliora, trimestri spatio non sic fiant libidine superiores, ut ei vitæ ipsius dispendio resistere parati sint. Tantine verò sunt comparatè ad æternam salutem menses tres aut quatuor?

Ad 2. Sint qui absolvant Parochum qui totam noctem pro more indulsit crimini; malim ego, ut nunc sum affectus: vivus comburi quam eum vel *Absolutorem ejus* absolvere. At ingens sequetur Pastoris infamia, nisi celebret. Sed tunc eum absolvere ausis, si centies pari in casu absolutus, centies à Missa recens ad scortum suum redierit? Ut quid ergo in me redarguis quod ipse facias? Dices: *Ipse sibi imputet*, & hoc dico.

dico. Addes cum S. Damiano: *Salubrius esse in conspectu hominum temporalem pati verecundiam, quam ante Tribunal supremi Judicis æternam subire vindictam;* & hoc addo.

Ad 3. R. in hoc etiam casu intrepidè negandam absolutionem iis omnibus qui ad ipsum matrimonii tempus in crimine vixerint. Ratio una sed efficax, est, quod istorum actualis impœnitentia longe sit certior quam conversio, ut jam alibi monuimus. Et vero sint ambo addicti sodomiæ, cui favebit matrimonium, an ut scandalum vitetur, erunt sine ulla probatione absolvendi? Eorum alter vel uterque dirimens impedimentum contraxerit, an sub scandali prætextu sinendum erit ut nubant? Ad quid ergo tantus ob scandalum rumor cum ab eo ne ipsi quidem molliores Casuistæ semper se extricare valeant. Merito igitur certis in Parochiis unanimi Confessariorum calculo cautum est, ne quis ignotus pridie nuptiarum ad confessionem admittatur: ex his enim Pœnitentibus plures non tam de confessione solliciti sunt, quam de schedula confessionem testificante, sine qua passim non admittuntur. Hinc qui banna sua promulgari optant, ad minus tunc temporis monendi sunt ut quam primùm confiteantur. Quin optandum ut uno aut altero mense antea id præstent.

At inquies, qui *antea impudicè* conversabantur, matrimonii ope remedium adhibent contra *recidivam* efficacissimum. R. neg. ant. Ii enim duntaxat efficax adversus peccata remedium adhibent, qui ea sincerè detestantur supra omne detestabile; adeo ut mori malint quam in eadem relabi. Porro ii de quibus loquimur, à pia illa dispositione tam alieni sunt, ut si nuptias eorum differri contingat, non abstineant à crimine, nisi cum libera deest ejus admittendi occasio. Esto igitur in matrimonio inveniant peccati finem, at certe non inveniunt in eo pii & casti doloris principium. Quod addunt aliqui Apostolum, *I. Cor.* 7. velle ut incontinentes nubant si de iis intelligitur qui etiamnum incontinentiæ addicti sunt, nec suos in hac materia lapsus ex animo super omnia detestantur, insignis est in Apostolum Blasphemia.

Quapropter hic statuendum cum P. Antoine differendam esse absolutionem *implicatis consuetudine peccandi mortaliter qui nondum efficaciter conati sunt eam emendare licet emendationem promittant; donec vitiosum habitum sic vicerint, ut periculum proximum seu probabile peccandi sublatum sit.* Quandiu autem probari debeant qui in peccati habitu vel occasione versantur, nulla certa lege definiri potest; tum quia id pendet ex indiciis conversionis quæ per gratiam identidem talia sunt ut à consuetis legibus recedere jubeant; tum quia quandoque plus

se

ſe probat quis mali habitus victorem una hebdomada, quam alius toto menſe; ut ſi prior ſingulis diebus vocatus ad popinam conſtanter obſtiterit; poſterior vero ab ea toto menſe abſtinuerit, quia careret pecunia, &c.

Circa objectionem 5. quæ ex crebra venialium confeſſione & abſolutione petitur, brevem hanc mihi regulam efformavero. 1mo. Ex eo quod venialia ex habitu committens abſolvi poſſit non inferam abſolvi poſſe mortalibus ex habitu addictum. 2do. Abſolvam non difficulter ab iis etiam venialibus quæ incautis præ humana fragilitate irrepunt. 3tio. Severior ero quoad culpas quæ plenam ſupponunt advertentiam; & abſolutionem, multoque magis ſacram ſinaxim differam, donec aliqua appareat emendàtio niſi eam ante tempus dari exigat gravioris peccati vitandi neceſſitas, aliave quædam gravis cauſa. 4to. Nec ea patiar reticeri peccata, quæ licet ſtent intra lineam venialium, ad mortale facile deducerent. Confer quæ dixi in Tract. de Peccatis part. 2. c. 2. a. 3. in Tract. de Euch. parte. 1. c. 7. a. 2.

Quæres. an conſuetudinarii obligari debeant ad iterandas confeſſiones quas durante habitu fecerunt. R. Quandoque obligari debent, quandoque non. Exemplum ſit in adoleſcente ſecretis incontinentiis miſerè per tres aut quatuor annos addicto. Is quidem ſi in funeſto illo habitu pene ſemper vixerit, ita ut à crimine, cum urgebat Paſchale tempus, nonniſi una vel altera hebdomada ante vel poſt abſolutionem abſtineret, ad novam pro toto illo tempore confeſſionem adigendus eſt; quia ſicut dubia fuit ejus converſio, ſic & dubiæ ſunt, niſi certo málæ, eidem impenſæ abſolutiones. Si vero idem poſt abſolutionem ſpatio circiter bimeſtri à mollitie temperavit, aut eodem pene ſpatio ante abſolutionem, poſt quam relapſus ſit ex gravi, nec quæſita, nec vitatu facili occaſione, puta ex improviſo nebulonum conſortio, qui renitentem pene traxerint in ſcelus, tunc abſolutioni huic inniti poſſe videtur Confeſſarius. Ideo autem in eo qui paulo poſt obtentam abſolutionem recidit, exigo ut occaſioni vividæ ceſſerit; quia licet antea, duorum v. g. menſium ſpatio, fuerit probatus, ſi tamen mox ab abſolutione relapſus ſit, magis ex quadam denegatæ abſolutionis infamia, quam ex vero caſtitatis amore, continuiſſe videtur. Et hæc ſalvo meliori judicio dicta ſint. Hic ſuum quiſque onus portabit; utinam non alienum!

Quæres. an & quibus ob relapſum differenda ſit abſolutio. Not. Peccata alia eſſe quæ ex propenſione animi & guſtu committuntur ut eſſe ſolent venereæ; alia quæ animo repugnanti, tantumque ex obſequentia ut ebrietas in homine temperanti. His poſitis, R. 1mo.

R. 1mo. Homini ex gustu & propensione in idem scelus relapso absolutio communiter negari debet. Ratio est quia timendum 1mo. nè relapsus, præsertim facilis, initium sit perversi habitûs, qui nonnisi per remedia paululum aspera sanari possit. 2do. Nè confessio præcedens legitimâ contritione destituta fuerit: hæc enim etsi hominem non facit impeccabilem, efficit tamen ut saltèm ab ordinariis tentationibus aliquandiu se se tueatur. 3tio. Nè facilitas veniæ sit incentivum denuò peccandi. *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi*, ait Bellarminus.

Dixi *communiter*, ut præter casum mortis excipiam eum in quo insolita apparent doloris indicia.

R. 2do. Qui in peccatum sinè affectu, & occasioni quasi nolens cedendo, relapsus est, quandoque potest absolvi. Si quis enim à naturâ temperans ad ebrietatem penè coactus sit à viro iracundo, cui sensim cedere, vel gravibus injuriis affici oportuit, poterit is statim absolvi, si vera sinceri doloris indicia exhibeat, nec jam eidem obnoxius sit periculo, putà quia ità res suas constituit, ut ejus consortium omninò sit declinaturus. Nulla enim contra ipsum militat ratio ex iis quas in præced. resp. attulimus.

Dixi 1mo. *quandoque*, si quis enim, animo etiam renitente atro facinori, putà sodomiæ, consenserit, per tempus aliquod non tam probandus, quàm in asperis pœnitentiæ operibus exercendus erit, ut profundiùs sentiat quàm altum animæ suæ vulnus inflixerit.

Dixi 2do. *potest:* Si enim dilatio creditur profutura, poterit absolutio differri. Verùm hæc pendent à circumstantiis personæ & pœnitentiæ. Si quis enim horrore criminis extorti percitus se fermè desperationi dedat; si gravem ejus admissi suspicionem incurrat; si ipsum amarè defleverit, ut negationem suam Petrus, &c. aliter erit procedendum. Raro tamen, si fieri potest, permittendum ut ejusmodi homines statim à primâ absolutione ad synaxim accedant.

Quæres. Quæ aptiora consuetudinariis & recidivis possint præscribi remedia. R. Ea ipsis speciatim præscribenda esse virtutum opera, quæ deordinatis ipsorum propensionibus magis contraria sunt, ut ebriosis recessus à tabernâ, vini parcitas, fuga eorum qui ad bibendum potentes sunt; & alia quæ suprà passim, ac præcipuè in Tract. de Peccatis recensui. Generatim autem omnibus utiliter præscribetur non tantùm precatio matutina & serotina, sed & propositum à tali peccato abstinendi, Deo per Angelos Custodes cum Cælestis auxilii petitione offerendum; frequens, rapidus licèt, ad Deiparam recur-

sus;

ſus; Miſſæ auditio; quædam miſericordiæ opera; frequens confeſſio apud eundem, pium modò ac prudentem, Miniſtrum; lectio Librorum virtutem & bona exempla ſpirantium, ad arbitrium Confeſſarii minimè ſuſpecti; pravæ, ſtatim ut ingruerit, cogitationis repulſa; punitio quædam, putà largitio unius aſſis, cùm aliquod exciderit peccatum; abſtinentia quæpiam à cibo vel potu; examen conſcientiæ circa peccatum magis familiare; vivida de eodem, quoties admiſſum fuerit, contritio cum punitione; gratiarum actio, ſi commiſſum non fuerit; frequentatio Parochiæ, &c.

Quæres Iterùm an & quibus differenda ſit abſolutio propter defectum propoſiti. R. Differendam 1mo. iis qui aliena retinent cùm reſtituere poſſunt; vel illatam in famâ, honore, aliiſve bonis proximo injuriam pro viribus non reparant; idque quamvis ſpondeant ſe ſatisfacturos, ſi jam ſemel à Confeſſario vel à conſcientiâ moniti id omiſerint; 2do. iis qui cum proximo quantùm in ſe eſt reconciliari nolunt, quive eum alloqui, ſalutare, cum eo Chriſtianè verſari recuſant; quando hinc ſequitur ſcandalum, vel majus inimici odium, & ſpes affulget eum aliquo benevolentiæ ſigno placendi; 3tio. & iis qui priores fratrem graviter læſerunt, nec tamen eum priores inviſere, eique ſatisfacere volunt; 4to. his quoquè qui publicum dedêre ſcandalum, nec hactenus publicè emendati apparuerunt; 5to. & iis etiam qui peccandi occaſionem præbent, ſeu pectoris nuditate & picturis laſciviam exhalantibus, ſeu venditione librorum impietatem, hæreſim, vel obſcœnitatem ſpirantium, &c. 6to. iis qui illicita commercia vel artes prohibitas exercent, quales ſunt qui vetitas merces, aut licitas quidem, ſed fraudato vectigali introducunt, donec deſierint, itèm Comœdi; comœdiarumque Authores, larvarum pro bachanalibus artifices, &c. 7mo. & iis qui officium licitum exercent, ſed gravi cum negligentiâ, ut adoleſcentes plerique qui nugis penè toti incumbunt, vix ſtudio; Magiſtratus, aliique qui quæ ſui ſunt officii deſidioſè addiſcunt & exequuntur; 8vo. litigantibus, qui, cùm poſſent, nullam pacis viam ſequi volunt; partem adverſam dicteriis fatigant; eandem, cùm fieri poteſt ſinè periculo, ad amicitiam inviſere recuſant; 9no. & iis qui nimio veſtium ſupellectilium, dapumve apparatu, debita viribus ſuis majora contrahunt; 10mo. Beneficiariis, qui materialiter tantùm reſident; aut Eccleſiaſticos reditus profanè diſſipant; Clericis qui Clericalem habitum non gerunt, &c. 11mo. Confeſſariis omnibus qui horum quempiam ſacrilegè abſolvunt: 12mo. & iis qui minùs tutæ ſimulque minùs probabili Pœnitentium ſuorum opinioni aſſentiunt. Ità fermè

S. Carolus;

S. Carolus; & meritò, quia hi omnes nedum sincerum de peccatis suis dolorem & efficax vitæ novæ propositum gerant, actu letaliter delinquunt; cum ea spontè in ipso reconciliationis Sacramento facere renuant, sinè quibus cum DEO reconciliari non valent, & quibus omissis se se in inimicitiâ DEI confirmant.

Sed an potest Confessarius absolvere Pœnitentem, qui propriæ opinioni adhærens, id facere renuit quod contrariæ adhærens opinioni Confessarius credit esse faciendum? R. 1mo. Si Pœnitentis opinio, licèt in speciem speculativa, in praxim ejus influat, is nullo modo absolvi debet, cùm eadem opinio minùs tuta est & minùs probabilis. Hinc non absolvam eum qui practicè credit unum intra annos quinque charitatis actum sufficere. R. 2do. Si opinio sit practica, & communi graviorum Theologorum judicio minùs tuta, minusque probabilis, absolvi non potest qui contrariam amplecti mavult. R. 3tio. Si Pœnitens sit doctus, nec suæ adhæreat opinioni, nisi quia ipsam post maturum examen credit probabiliorem esse, prout & gravibus aliis pluribus videtur ob rationes multi momenti, non est cur ipsi denegetur absolutio; quia, inquit Antoninus, licet agere secundùm conscientiam benè formatam.

## §. IX. *De defectibus à Confessario commissis.*

Not. Quinque modis, quantùm ad præsens attinet, à Confessario peccari; 1mo. cùm ex imperitiâ, vel humano timore, certò vel dubiè indignos absolvit; 2do. cùm absolvit sinè jurisdictione; 3tio. cùm positivè, vel silentio suo inducit in errorem, unde sequitur præcepti alicujus violatio. 4to. cùm restitutionem indebitam præcipit, vel à debitâ deobligat. 5to. cùm malè interrogat circa numerum, circumstantias, obligationem statûs, &c.

Circa primum, constat à sacro ministerio negatâ etiam absolutione, removendum Parochum qui defectu scientiæ aut firmioris animi, obvios quosque absolvit: donec idoneam scientiam comparaverit, vel viriles animos induerit. Sed heu! quà ratione inustum anteà gregi vulnus sanabit?

De secundo quantùm spectat ad casus reservatos diximus suprà. Quòd si quis sciens & volens sinè approbatione confessiones audiisset, teneretur is exitialem hunc dolum resarcire, seu per se ipsum, si potest; seu aperiendo in confessione rem totam Parocho, cujus prudentiæ dimittat hujus suæ confessionis usum. Sic enim fiet ut sub variis prætextibus quædam saltèm iterentur confessiones; aut ad minus Pœnitentes novâ

donentur

donentur absolutione, quæ in confessa peccata directè cadat, indirectè verò in alia quæ confessa creduntur, & de quibus generalis exigetur contritio. Imò * *si subesset periculum damnationis infirmi, qui morietur cum illa invalida absolutione, vel in casu simili;* teneretur Confessor eum admonere etiam *cum gravi suo damno.*

Circa tertium caput, dico Confessarium qui Pœnitentes suos induxit in errorem, ex quo sequitur præcepti alicujus violatio, putà qui eos docuit necessum non esse ut Sacro minoribus Festis intersint, &c. teneri errores illos dedocere, tum quia tenetur quisque tollere causam mali etiam inculpatè à se positam, tum quia alioqui foret is causa cur gravia præcepta violarentur.

Hinc circa quartum caput Confessarius qui etiam inculpatè Pœnitentem deobligavit à restitutione debitâ, vel ad indebitam obligavit, tenetur, saltèm jure charitatis, eum errorem dedocere. Imò videtur ad id ex justitiâ teneri; & nisi faciat, obligari ad restituendum parti læsæ, non tantùm cùm ex malitiâ, vel ex ignorantiâ, vincibili, vel gravi advertendi negligentiâ, positivè à restitutione debitâ avertit, vel ad indebitam coëgit; sed etiam quando solùm omisit ex iisdem causis injungere restitutionem. Ratio est 1mo. quia longè minor est adversantium nobis Theologorum authoritas, quàm pro partibus nostris stantium, quales sunt Molina, Sayr, Navarrus, Sylvius, Habert, Collator Andeg. 2do. Quia ex adversariis Confessarius, si Pœnitenti interroganti an debeat restituere, nihil respondeat, tenetur pro eo restituere; quia qui in hâc occasione silet, causa est quadantenus positiva cur Pœnitens non restituat. Atqui hæc ratio coram Deo expensa militat pro casu præsenti. Annon enim Pœnitens Confessarium adit ut ab eo doceatur quâ ratione unicuique reddere debeat quod suum est? Annon se præcisè à restitutione liberum credit, quia hanc sibi non injunxerint Confessarius? Sanè si quis rei de quâ agitur conscius, Pœnitentem faciendæ restitutionis admoneat, is reponet illicò se ab ea liberum esse, cùm Confessarius re totâ auditâ nè verbum quidem habuerit de restitutione.

Quod spectat ad eos qui malè circa numerum & circumstantias peccatorum, circa obligationes status, circa fraudes in certis professionibus exerceri solitas interrogant; hi in posterùm curare debent ut circa quodcumque peccatum letale, letalisve suspectum inquirant, 1mo. quoties mente conceptum sit, antequam executioni mandaretur, cùm propositum & executio non possunt una eademque moralis actio censeri: 2do. quoties exteriùs perpetratum: 3tio. coram quibus & quot personis

* *Lugo.*

personis admissum sit, præsertim cùm de calumniâ, detractione, impudicitiâ sermo est: 4to. annon eis stipatum sit loci, temporis, personæ circumstantiis, quæ facinus notabiliter aggravant, vel mutant ejus speciem.

Etsi autem Confessarius circa hæc omnia interrogare debet, non tamen omnes, vel eodem modo. Plus enim examinandi sunt rudes quàm periti; & qui raro confitentur, quàm qui sæpius. Neque etiam interrogandi sunt Pœnitentes de his quæ verisimiliter non commiserunt. Hinc ante omnia inquirenda est ætas Pœnitentis, status, officium aut professio; examinandumque prudenter an quæ ab ejusdem statûs personis frequentiùs committuntur peccata commiserit. Ubi obiter notandum quandoque interrogandos esse circa quædam puncta eos etiam qui piè degere videntur; puta Pastores circa residentiam, mensæ epulas, Beneficiorum pluralitatem, &c. quia ex iis nonnulli circa hæc quasi inadvertenter hallucinantur. Ceterùm geminanda est attentio quoties de luxuriæ peccatis agitur, nè scandalum fiat Pœnitenti, aut quæ ignorat doceatur. Undè generatim interrogandus est num turpe quid cogitaverit, num à cogitatione ad exteriora profecerit, &c. Vide dicta ubi de VI. Decalogi præcepto. Sed & Confessario cavendum nè inutilia exploret, nè fortunam Pœnitentis sciscitetur nisi in ordine ad eleemosynam, nè interroget nomen ejus, &c. curandum etiam ut generalem, sed illæso semper confessionis sigillo, notitiam habeat, tum vitiorum quæ in loco ubi degit, dominantur; tum dolorum qui in certis professionibus exercentur. Hæc autem à piis ejusdem artis hominibus edisces facillimè.

Quæres 1mo. Quando adigendus sit Pœnitens ad generalem confessionem. R. 1mo. Averti debent à generali confessione, qui piè viventes, eam tantùm ex scrupulo iterare volunt: hæ enim confessiones, præterquàm aliæ aliis succedunt, nec pacem conciliant animæ, 1mo. multùm insumunt temporis quod utiliùs possit impendi; 2do. multa revocant in memoriam periculosa: quod, ut vidi, tristes quandoque parit exitus. Nec refert quòd hinc fieri possit, ut non iterentur confessiones quædam invalidæ: hunc enim defectum reparassent confessiones subsecutæ, cùm pia confessio incognitis præcedentium confessionum defectibus medeatur.

R. 2do. Generatim iterandam esse mortalium confessionem, 1mo. quoties absolutio fuit invalida defectu conditionis essentialis: 2do. cùm mortalia, verè quidem, sed indirectè tantùm remissa sunt. Unde qui aliquot ab annis sincerè conversus, detegit se suam ante conversionem pluries invalidè fuisse absolutum à certis peccatis, quæ falsò ratus esse venialia, conti-

cuerat; eadem, licèt per pias quæ exhinc bonâ fide peractæ sunt confessiones dimissa, simulque sacrilegia tunc temporis fortè admissa, denuò clavibus subjicere debet. Neque ideò ceteras quas subinde fecit confessiones iterare tenebitur: valent enim aliquando confessiones post confessionem nullam & non repetitam factæ, prout docent Sylvius, Pontas, &c.

R. 3tio. Speciatim adigendos esse ad iterandam confessionem, 1mo. eos qui voluntariè, vel ex defectu idonei examinis, vel ex imperitiâ notabiliter culpabili, peccatum grave, aut ex ignorantiâ habitum pro gravi reticuerunt: 2do. qui confessi sunt quo tempore primaria Religionis Mysteria ignorabant: 3tio. qui confessionis tempore cor gerebant malè affectum, putà qui creaturæ medullitùs hærebant, aut inimicum odio insequebantur.

Quæres 2do. An ad repetendam confessionem adigendus sit qui injunctam sibi satisfactionem omisit. R. Repetitionem hanc exigendam esse, 1mo. si Pœnitens absolutionis tempore non habuerit sinceram injunctum sibi pensum exequendi voluntatem. 2do. Si Pœnitens per aliquot tantùm dies pœnitentiâ suâ defunctus sit, quia valdè suspecta est conversio quæ in re gravissimâ tam citò tamque facilè deficit. Si tamen miles vel famulus, quia longum iter conficere jussi sunt, Ecclesias non inviserint, vel jejunio defuerint, &c. aliter judicandum erit. Item si Pœnitens sinceram tempore confessionis habuerit satisfaciendi voluntatem, & hanc primùm piè executus nonnisi temporis lapsu & per partes abjecerit, non ideò erit ad repetendam confessionem cogendus: nec enim quælibet bonæ voluntatis desitio indicium est falsæ conversionis.

Quæres 3tio. An iterandæ confessionis oneri subjaceant qui paulo post absolutionem in peccatum relabuntur. R. affirm. Communiter loquendo: etsi enim vera esse potest; attamen in praxi ut plurimùm suspecta esse debet justitia vix perseverans. *Quæ secundùm Deum tristitia est*, ait Apost. II. Cor. 7. *pœnitentiam in salutem stabilem operatur*; & hoc sensu *omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit*, I. Joan. 3. Equidem vel ipsi justi concidunt, ut liquet exemplo Davidis & Petri: At, quod annotari meretur, in toto Scripturæ contextu, qui annorum quater millium historiam complectitur, neminem reperies justum qui æqua lapsum inter & pœnitentiam partitione, frequenter resurrexit. Ergo dubium est an ii peccatorum veniam obtinuerint. In hoc autem dubio quis cum salutis dispendio confessionem suam iterare negligat?

In eo casu versari meritò judicantur qui relapsi sunt, quia ab occasionibus sibi funestis non recessêre, & præscripta sibi adversùs

adversùs peccatum media omiserunt. Quoad eos verò qui ad tempus fugerunt occasiones, & injuncta sibi remedia adhibuêre, examinandum erit 1mo. quoto tempore utrumque hoc præstiterint: 2do. an in his perseverare facilè possent: 3tio. an cesserint tentationi, quæ prævideri debuisset, & cum ordinariâ virtute posset superari: 4to. quale & quantum crimen admiserint. Quo enim minùs quis in remediorum usu perstitit, quò remedia hæc servatu erant faciliora, quò magis ordinaria fuit tentatio cui obtemperatum est; eò suspecta magis videbitur conversio.

Dixi iterandam à relapsis confessionem *moraliter loquendo*, quia mitiùs agi potest cum iis qui violentæ & extraordnariæ tentationi cesserunt, vel qui peccatum à confessis diversum commisêre. Si enim constat in peccata pluries commissa multò faciliùs prorumpi, constat & hominem verè conversum multò plus cautum esse debere adversùs peccata quibus pluries succubuit.

Quæres 4to. An Confessor aliquando teneatur non aperire Pœnitenti obligationem confessionis generalis instituendæ. R. affirm. Hâc duplici conditione, 1mo. quòd Pœnitens christianè vivat, & in bonâ circa præteritas suas confessiones fide versetur: 2do. quòd prævideatur ex imponendâ sibi generalis confessionis obligatione peccaturus mortaliter, putà quia nusquam adduci poterit, ut credat se ad illud onus teneri, aut quia ex tentatis olim hujusmodi confessionibus actum sit ut pluries deliquerit letaliter. Ratio est quia Pœnitens indirectè absolutus bonæ suæ fidei dimitti debet in his quæ juris sunt positivi, cùm à bonâ illâ fide sinè gravis mali periculo averti non potest. Ubi tamen exigit prudentia ut Pœnitens de alicujus suæ confessionis nullitate certior non fiat, ei confessio plus aut minùs generalis per modum consilii proponenda est. Quòd si penitùs reluctetur, saltèm solerter elicienda erit ab eo, quantùm poterit fieri aliqua generalis confessionis species.

Quæres 5to. Quid præcipuè iis commendandum sit qui extraordinariam confessionem meditantur. R. Hortandos esse sedulò ut magis de plenâ cordis conversione, quam de integrâ peccatorum accusatione solliciti sint. Nusquam malè confitebitur vir sincerè dolens de peccatis; at non rarò malè confitetur qui singula sua peccata strictè & minutim recenset.

Quæres 6to. Quomodò peccata confiteri debeant qui frequenter & graviter lapsi generalem exomologesim faciunt. R. Iis curandum esse & sufficere ut aperiant graviora, cum præcipuis ipsorum circumstantiis; cetera verò cum eorum etiam circumstantiis secundùm uniuscujusque speciem certas ad clas-

ses, certumque ad numerum qui verisimilior existimabitur, reducant. Is autem numerus ea etiam complectetur quæ se se memoriæ non obtulerunt, sed probabiliter admissa creduntur. Curandum etiam ut Pœnitens in generali confessione exprimat quænam mortalia necdum confessus sit; 1mo. quia alioqui non posset Minister materiam necessariam secernere ab ea quæ fortè necessaria non est; 2do. quia pœnitentiam leviorem imponeret, falsò existimans Pœnitentem peccata hæc jam esse confessum, & pro iis ex Confessoris præscripto satisfecisse.

Quæres 7mo. Quâ ratione adduci queat Pœnitens ad generalem confessionem, à quâ plurimùm alienus est.

R. Et piè & acriter ei inculcandum esse Christianos plerosque ideò perire, quia sibi falsò persuadent se peccatorum veniam consequi, statim ut hæc integrè confessi, eorum absolutionem obtinuerunt, licèt mores suos verè non emendaverint. Tum demonstratâ sinceræ conversionis necessitate, inquiret Confessarius an Pœnitens nihil circa præteritas confessiones habeat anxietatis. Si respondeat se generalem confessionem jam anteà fecisse, perpendendum erit an ex tunc per notabile tempus, putà duos, tresve menses Christianam vitam & à gravibus, saltem consuetis, immunem duxerit; annon è contra brevi ad pristina, quæ actù confitetur, peccata redierit. Si I. sufficiet ut generalem à tempore relapsûs sui confessionem peragat. Si II. ostendetur generalem hanc cui nititur, confessionem, ad summum esse valoris maximè dubii, & qui mentem tranquillare nequeat. Quòd si pergat ab intento Confessarii alienus esse, non erit tunc temporis urgendus, sed monendus leniter ut coram DEO cogitet quàm melius sit æternam sibi pacem struere laboris alicujus dispendio, quàm ejusdem laboris horrore subire æternæ reprobationis discrimen. Addetur concessum iri tempus sufficiens; non esse opus illud tam arduum, quàm primo intuitu videatur; affore sibi opem Confessarii qui adjuvet in examine, & interroget.

Quò autem examen illud facilius reddat Confessor, monebit Pœnitentem, ut DEI & Ecclesiæ leges, capitalia peccata, propria sui statûs munia, diversa in quibus vixit loca, diversas quas invisit sodalitates, diversa quæ gessit officia pervolvat. Poterit autem examen istud varias in ætates dividi, percurrendo quidquid à primo rationis usu ad duodenium, à duodenio ad ætatem 17. vel 18. annorum, ab ea ætate ad matrimonii tempus, inde autem ad tempus viduitatis gestum sit mali. Si ordinem hunc sequi non possit rudis Pœnitens, hunc ipsius loco in interrogando sequetur Confessarius, cui & curandum ut Pœnitens

tens aliena expendat peccata quæ verbis, actionibus, exemplo peperit.

Quæres 8vo. An Pœnitens qui generalem confessionem instituere tenetur, omnia peccata sua denuò confiteri debeat, si ad eum quo semper usus est Sacerdotem recurrat. R. Non esse necessum ut peccata hæc denuò accusentur, si Confessarius aliquam adhuc eorum ideam gerat, licèt non ità distinctam quàm quæ ex confessione ante aliquot dies factâ exurgit. Unde tunc sufficit ut Sacerdos recordetur quàm inordinata fuerit vita Pœnitentis; qui & quandiù perstiterint mali ejusdem habitus; quam proindè pœnitentiam, quæ remedia ei debeat præscribere. Praxis est ut Pœnitens tunc solùm dicat: *Accuso me de peccatis quæ jam confessus sum;* deinde addat peccata omissa, aut in quæ postea prolapsus est.

Quæres 9no. An expediat ut Confessor qui ex primâ alicujus confessione generalem confessionem ei necessariam esse videt, hanc ab initio proponat. R. negat. 1mo. Quia hi Pœnitentes *non* possunt *portare modò* tale consilium, sed eo territi aliquando à Tribunali planè recedunt. 2do. Quia si primùm iis generalis confessio injungatur, toti incumbent in sedulum vitæ totius examen, vix autem ingement, passiones suas crucifigent, contritionis donum precabuntur. Adde plerumque fieri ut longum in præcipitis ac prolixæ confessionis auditione tempus perperàm insumat Confessor; quia qui primò seriam conversionem meditari videbantur, media via hærent.

Aliter agendum 1mo. cum personis jam pridem conversis, sive his ob aliquem defectum necessaria judicetur confessio generalis, seu tantùm utilis ad humilitatem, &c. 2do. Si percipiat Confessarius aliquem eo tantùm à plenâ conversione deterreri, quòd generalis confessionis ideâ terreatur.

Quæres 10mo. An satiùs sit ut Pœnitens generalem confessionem instituat apud ordinarium suum Directorem, quàm apud alium; numque generatìm expediat mutare Confessarium.

R. 1mo. In genere curandum esse Pœnitenti, ut verè bonum, prudentem & doctum Confessorem inquirat. Is autem tum ex propriis, tum ex eorum, quos regit, fructibus non ægrè dignoscitur. Neque negligenda in re tanti momenti oratio, præsertim quia quandoque qui plures sanctè regit, uni regendo impar est, eò quòd statum ejus non capiat. Quoti singularium orationis viarum imperiti, id quod ignorant blasphemant!

R. 2do. Eum qui ad Confessarium recurrit, eo quia penè omnes miserâ facilitate absolvit, peccare letaliter, & ad repetendas confessiones teneri, quia gravi Sacerdotis hujus peccato cooperatur.

R. 3tio. Eum qui prudentem nactus est confessarium; eidem constanter adhærere debere. Qui enim Pœnitentis indolem, habitus, tentationes apprimè novit, remedia magis idonea subministrat, quàm qui parum eundem cognoscit. * In arduis tamen casibus licet alium à Confessario consulere; nec enim omnia videt oculus omnis.

R. 4to. Deficiendum à Confessario, non modò qui errorem inspirare nititur, aut ad pravum quid sollicitat, sed & qui nimius est nostri assentator &c. Quòd si Pœnitens vovisset se tali Confessario semper usurum esse, vituperio dignior foret quàm laude. Potest tamen Confessor exigere ut Pœnitens ad se per aliquot tempus redeat, cùm ex generali aut apertiori ejus confessione intelligit eum certis indigere consiliis, aut certâ ratione esse dirigendum; aut, si ad alium recurrat, in scrupulis fovendum esse, &c.

R. 5to. Novum Pœnitentem benignè interrogandum esse cur ab ordinario suo Directore recedat; & si nihil alleget solidi, hortandum ut ad eum, si nihil aliunde obsit, revertatur: *hortandum*, inquam, non urgendum acriter; tum quia hæc communis est timoratorum praxis; tum quia non raro fit ut Deus unius magis quàm alterius ministerio faveat. Duriùs agendum cum illo devotarum grege quæ omnes Parochiæ vel Urbis Ministros decurrunt animo levitatis.

R. 6to. Pœnitentes qui apud priorem Confessarium, ceteroqui non ineptum, generalem nuper exomologesim fecerunt, cujus suspecta sit sinceritas, ad eum remittendos esse ad tempus, ut novâ absolutione suppleat defectum præcedentis; aliàs enim, quod semper durum est & aliquando periculosum, ad ejusdem confessionis iterationem tenerentur. Postea verò à novo Directore recipi poterunt, si id è bono ipsorum esse credat.

Quæres 11mo. An qui impositam sibi generali in confessione pœnitentiam mutare cupit, confessionem hanc iterare teneatur, si ad eundem Confessarium pro commutatione hâc recurrere nolit aut non possit. R. Casum hunc à nobis expensum fuisse, Tom. I. pag. 465. ubi multa ad hanc Pœnitentiæ partem spectantia tetigimus, quæ relegi precamur.

Ex dictis Tom. II. ubi de Charitate, inferri potest quando Sacerdos simplex ob necessitatis casum confessiones excipere teneatur.

## §. X. *De Sigillo Confessionis.*

Sigillum definitur: Religiosa obligatio servandi secretum circa ea quæ

* *Babin.*

ea quæ per Confessionem sacramentalem, vel occasione ejus quocumque modo cognita sunt.

Quæres 1mo. Quo jure Sacerdos ad sigillum teneatur.

R. Teneri jure naturali, divino & Ecclesiastico.

Prob. 1. pars. Quia Sacerdos confessionis secretum prodere nequit sinè gravi præjudicio, tum charitatis, cùm vetet charitas nè quod nobis fieri nolimus, faciamus alteri; tum justitiæ, quia secreti fidem ad minùs tacite spondet qui confessionem alterius excipit; tum veritatis, cùm revelando detegat ut homo, quæ juxta D. Thomam, non scit ut homo *sed ut Deus*, seu ut vices Dei gerens; tum & alienæ salutis, quia sigilli proditio in causa foret cur multi, nisi omnes, à confessione deterrerentur.

Prob. 2. pars. Quia sigilli obligatio ex ipsa Sacramenti institutione oritur: Christus enim confessionem instituendo, voluit efficaciter eam frequentari. Ergo imperare debuit sigillum. Ecquis amplexus fuisset Religionem in quâ Pœnitens non modò intima quæque sua reserare teneretur: sed & ex eorum revelatione infamari.

Prob. 3. pars. Ex gravibus pœnis quas Ecclesia violatoribus sigilli decrevit. *Caveat omninò Sacerdos*, ait Innocentius III. Can. *Omnis utriusque sexûs, &c. nè verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ullâ expressione personæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm Sacerdotali Officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pænitentiam in arctum Monasterium detrudendum. Graviùs enim peccat Sacerdos qui peccatum revelat, quàm homo qui committit*, ait alibi idem Pontifex. Hinc mori maluit, quàm ad impii Venceslai minas Imperatricis confessionem revelare S. Joannes Nepomuc.

Obj. Arcta silentii lex quam sancimus, 1mo. Pœnitentis saluti adversa foret; cùm filius quandoque nonnisi à patre efficaciter corripi valeat. 2do. Et saluti multitudinis; ut si Provincia tota ferro devastanda sit, nisi venialis culpa, putà ejus qui ex levitate Epistolam resignavit, Magistratibus aperiatur. 3tio. Et Sacramenti reverentiæ; ut si ea quam ex fratris confessione graviter ream cognoscis, Sacramento abusura sit, nisi significes te crimen ejus compertum habere. R. Custodiam Sacramenti, quod sinè inviolatâ sigilli lege stare non potest, bonum esse longè majus, quàm facinorosi, ejusve complicis emendationem, ceteroqui plurimum incertam; imò quam provinciæ totius conservationem. Adde quòd qui unam

fracto sigillo Provinciam conservaret, eo ipso perdere posset innumeras; quia nemo jam iniqua quæ animo meditaretur consilia reseraret Sacerdoti, si hæc ab ipso revelari posse suspicaretur. Quoti autem per Confessarios ab iniqua machinatione retrahuntur!

Quæres 2do. Quomodò obliget lex secreti. R. Eam in quâcumque materiâ obligare sub mortali. Quia venialis culpæ revelatio, licèt gravem Pœnitenti infamiam non inurat, gravem semper in Sacramentum irreverentiam invehit, cùm homines à valdè utili venialium confessione retrahat, imò & mortalium; cum Pœnitentes multi venialia habent pro mortalibus; & aliquando malit, miles v. g. grave suum revelari, putà duellum, quàm veniale aliquod, putà invidiam in commilitonem. Sola igitur in præsens excusare potest inadvertentia, ut cùm quis quæ audivit, vidisse ratus, aliis renuntiat. Verùm, si usquam, certè cùm de Pœnitentium defectibus agitur, vigili opus est attentione.

Hinc colliges cum Sylvio Confessarios qui simul plures audiunt pueros doli capaces aut de quibus dubium sit an doli capaces sint, gravis sacrilegii reos esse; quia pueros illos morali exponunt periculo peccata sociorum revelandi.

Hic duo not. 1mo. ad sigillum pertinere id etiam quod statim ab absolutione dicitur velut præcedentium appendix; cùm ad idem judicium moraliter spectet, & aperiatur Ministro quâ tali. 2do. Sigilli legem extendi non solùm ad gravia vel venialia, sed & ad eorum etiam objecta, circumstantias, expositiva quædam, ea demum quæ Pœnitentem aut alium etiam indirectè infamarent; quia nihil horum revelari potest, quin confessio Pœnitenti vel alii reddatur onerosa.

Dixi 1mo. *Gravia vel venialia*, quia non licet ullum Pœnitentis grave vel leve delictum in specie revelare, putà quòd is vel illa mendacium officiosum confessi sint. Imò nè in genere quidem dici velim: *Joannes veniale quoddam deposuit;* sunt enim timorati vel scrupulosi, qui meras imperfectiones aut tentationes seriò & flebiliter confitentur. Itèm nec revelanda seu quæ quis falso credidit esse peccata; seu tentationes quæ ad peccatum excitant. Sanè quæ adversus pudicitiam crebrò tentatur virgo sapiens, ægre feret id propalari.

Dixi 2do. *Circumstantias*, etiam quæ peccatum insigniter minuunt: ut quòd Petrus à Mævio quidem occisus sit, sed inculpabiliter ebrio. Sanè plus credetur homicidium, quàm inculpabilis ebrietas, quæ ad excusationem ficta censebitur.

Dixi 3tio. *Et peccatorum objecta.* Unde si Joannes confessus sit se uxorem percussisse, quia turpiter inventam: se ab ea castitatis

castitatis votum habente debitum exegisse; & percussio, & objectum ejus, & votum, manent sub sigillo. Quin & viri graves eos improbant qui dicunt suas & aliorum Confessariorum aures perpetuis contra hoc aut illud scandalum oblocutionibus vexari. Ut ut est, auro contra æstimari debet hæc Regula; CONFESSARIUM NUNQUAM SILENTII, SÆPE SERMONIS PŒNITEBIT.

Dixi 4to. *Et expositiva quædam peccatorum*, non tamen omnia, sed quæ Pœnitenti nocere possent etiam ex sola hominum malignitate; ut quod eunuchus sit, spurius, pauper, quòd in arte suâ rudis, quòd Civili quopiam aut morali defectu laboret, quòd scrupulosus, arrogans, quòd aures Confessarii minutis suis obtundat, &c. Cetera quæ, licet ad Confessionem præambula, eidem planè extranea sunt, & per accidens in loco nesciuntur, * *non videntur committi sub sigillo.* Unde non peccat qui dicit se hodie audiisse Dominum hujus castelli, &c. nisi fortè hinc conjici possit eum quâ talem deliquisse, putà quia dignitatem suam celare consuevit.

Dixi 5to. *Ea quæ Pœnitentem infamarent;* qualia sunt non modò quòd puella uterum gerat, quòd is à Judæis oriundus sit; sed etiam quæ attenta sæculi nequitiâ, ludibrio exponunt, ut quòd Pœnitens visiones habeat, quòd Angeli colloquio fruatur, &c. Horum enim revelatio Pœnitenti molestiam, despectum à plebeculâ, & apud viros graves suspicionem movere potest, quod ipse vidi; & insuper Pœnitenti superbiæ occasio esse potest. Quæ verò in argumentum mali trahi nequeunt, ut balbuties & surditas Pœnitentis, non cadunt sub sigillum, nisi ex modo loquendi colligi posset Pœnitentem multa vel gravia commisisse.

Dixi 6to. Vel *quæ alium à Pœnitente infamarent;* etsi fortè cederent in honorem Pœnitentis. Hinc inutiles proci ad labefactandam virginis pudicitiam conatus recensere non potes, quia hinc ad minùs fiet ut aliqui à confessione retrahantur. Imò fieri poterit ut quæ te sensit revelatorem in hoc casu novas quæ sibi struuntur insidias aperire non ausit, & sapientibus destituta consiliis, non eadem quâ priùs virtute renitatur.

Dixi 7mo. *Quæ alium infamarent, etiam indirectè.* Hinc arguendi qui sic laudant sanctitatem unius, ut inde colligi possit alios non æquè sanctos esse. Imò licèt res non careat exemplis, nolim de quibusdam valdè piis dicere, vix in eorum confessionis occurrere materiam absolutionis; eosdem ad obitum usque sedulos fuisse virginitatis custodes, &c. Hæc enim videntur reticenda seu dum vivunt, quia scriptum est neminem ante mortem, facilè laudandum esse: seu postquam defuncti

* *Lugo.*

functi ſunt, 1mo. quia dum unus laudatur præ ceteris, tacita quædam in mente exurgit comparatio ejus cum aliis qui eodem uti Confeſſario dignoſcuntur. 2do. Qui mirabilia de uno loquitur, circa alium fortè hypocritam indiſcretè interrogari poteſt; indè autem ambages.

Quæres 3tio. An lex ſigilli, etiam quoad mortuos, Confeſſarium liget. R. affirmat. 1mo. Quia æternum pro utroque ſtatu ſilentium promiſit Sacerdos: 2do quia ſi ſcirent Fideles futurum ut poſt mortem revelaretur ſua turpitudo, nemo vivens confiteretur: Hinc qui ex ſolâ confeſſione didicit puellam eſſe gravidam, non poteſt ſinè conſenſu ejus id, ipſa defunctâ, aperire, ut per baptiſmum proli conſulatur. Ei tamen, niſi hoc vel à te declarari permittat, vel, quod melius fuerit, alii extra confeſſionem declaret, abſolutionem impendere non poteris, ut quæ temporale famæ ſuæ bonum æterno infantis bono anteponat. Quòd ſi puella hæc in extremis Confeſſarium revocari juſſiſſet, qui eam reperiſſet omni ſenſu deſtitutam, non poſſet is ſecretum ejus prodere: nec enim in re tanti momenti ſufficit licentia præſumpta, ſed requiritur expreſſa. Ei tamen impendenda foret abſolutio, quia ad hanc ſufficit aliqua contritionis præſumptio.

Quæres 4to. Ex quâ confeſſione oriatur ſigilli vinculum. R. Illud naſci ex omni & ſolâ confeſſione ſacramentali, ſeu ex ea quæ fit apud Sacerdotem verum vel exiſtimatum, animo obtinendæ aliquando abſolutionis. Ratio eſt, quia Chriſtus, qui ſolam tantùm confeſſionem ſacramentalem perpetuò voluit ſubſiſtere, ei ſoli alligavit legem ſigilli. Poteſt tamen ex confeſſione non Sacramentali ſeu deriſoriâ naſci quædam ſecreti naturalis obligatio: quia ſunt quædam quæ, licèt malâ tantùm fide in confeſſione aperta, vix revelari poſſint ſinè gravi multitudinis offenſione.

Dixi 1mo. *Ex confeſſione facta apud Sacerdotem*, quia ex confeſſione apud Laïcum peractâ in caſu neceſſitatis, uti D. Thomæ ævo moris erat, oritur quidem graviſſima ſecreti naturalis obligatio, ſed non vinculum ſigilli; niſi eo fiat animo ut Sacerdoti ſuperventuro aperiatur, quia audiens tunc induit rationem interpretis.

Dixi 2do. *Verum vel exiſtimatum.* Unde confeſſio ei facta, qui falſo creditur Sacerdos, vel approbatus, utpotè in intentione ſacramentalis ſigillum parit.

Dixi 3tio. *Animo obtinendæ abſolutionis*, ſeu hanc nunc recipere intendat Pœnitens, ſeu Confeſſarii monitis juvari velit ad eam recipiendam.

Hinc generatim non ſubjacet ſigillo confeſſio ad illudendum

dum vel subornandum Confessorem facta, licèt ei quædam vera vel ficta admisceantur peccata, ut ea confessionis speciem præferens, sigilli obligationem inducat. Ità docent omnes gentium omnium Theologi. In his tamen occasionibus cautè procedendum est, & videndum 1mo. an confitens consilium animo fixum aperiat, tantumque Confessorem seducere velit; annon gravem tentationem referet cui medelam quærat: tunc enim non desineret confessio esse sacramentalis, etiamsi posteà crimen perficeretur. 2do. Cùm nec Ecclesiastica lex nec Civilis ferat ut denuntietur crimen quod probari nequit; si de avertendo gravi damno ageretur, utendum esset monitione generali, quæ sic crimen averteret, ut simul consuleret criminoso. Quanquàm & ipse criminis artifex detegi possit, si nihil inde denuntiatori Confessario immineat mali.

Dixi 4to. *Potest tamen ex confessione non sacramentali nasci quædam secreti naturalis obligatio &c.* Rarissimè enim utendum cognitione per confessionem etiam minimè sacramentalem parta: quia etsi Religio tunc temporis non imperat silentium, imperat prudentia. Unde extra casus hæreseos, aut conspirationis in Principem, quæ immane multitudini præjudicium inferunt, alto premendum est silentio crimen privatum ad quod in Tribunali sollicitati sumus: quia fideles severiori sigillo assueti mirè turbantur, si quod in aurem Confessarii dictum est, evulgari detegant.

Quæres 4to. An alii præter Confessionem teneantur ad sigillum. R. affirm. Quia sigilli lex instituta est nè confessio nimium onerosa reddatur: ad id autem necesse fuit, ut secreto ejus adstringerentur ii omnes, ad quos devenit notitia ejus.

Hinc sigillo tenentur, 1mo. Confessor etiam fictus, seu is qui cùm non sit Sacerdos, * gerit se pro Sacerdote; 2do. Superior verus vel existimatus ad quem Pœnitens vel Confessarius pro reservato casu confugit extra confessionem; quia petita hæc à reservatis absolvendi facultas, si à Pœnitente fiat, est inchoata confessio; si autem ab ipso Sacerdote, à confessione inchoatâ promanat. 3tio. Qui alterius confessionem audivit, vel fortuitò, vel de industria, quod grave est sacrilegium; vel eam ex verbis, aut gestibus Confessarii intellexit. Idem est de iis quibus eadem confessio ab hujusmodi auditore revelaretur, etiamsi innumeris revelata esset. ** *Res enim hæc transit cum onere suo.* 4to. Interpres, quia is non aliam habet notitiam, nisi quam accipit ut organum medium, per quod loquitur Pœnitens & audit Confessarius: hæc porrò notitia tota est sacramentalis. Idem est de amico, amici aut rudis

* *Sylvius.* ** *Sylvius.*

dis alicujus confessionem scribente. 5to. Judex aut Superior statim ut vident, delictum quod punituri erant, ex confessione sola innotuisse, tenentur reum ejusque complices, nisi aliunde horum facinus compererint, intactos relinquere: si enim vel levissimè plectant, sigillum violant in actu exercito. Imò nec inter se, nec cum Pœnitente, nec cum aliis qui rem propriis oculis vidêre, ex sola sua confessionis notitia loqui possunt, sicut nec cum iis loqui posset Confessarius: quia scientia ex confessione resultans indelebilem sigilli characterem secum defert, nisi jure suo cedat Pœnitens. 6to. Qui reperit chartam ubi descripta est peccatorum confessio, seu facta, seu facienda, non modò ad naturale secretum gravissimè tenetur, ut fatentur, omnes; sed probabilius ad sacramentale. Quia scriptio hæc, licèt non sit confessio actualis, est tamen quædam confessionis internuntia, seu confessio inchoata. 7mo. Eadem sigilli lege tenentur ii coram quibus ex necessitate, putà naufragii vel pestis tempore, fit confessio sacramentalis. Aliud fuerit, si Pœnitens, sui ipsius humiliandi causa, ultrò peccata sua coram aliquibus confiteatur. Suberit hic tamen naturalis secreti vinculum, si, quod præsumi debet, non consenserit Pœnitens, ut quæ amicis pandit, ad alios defluant. 8vo. Tenetur & consiliarius, seu is omnis, quem vel durante confessione, vel post ipsam consulit Sacerdos, sive ex licentia Pœnitentis, sive circa ipsam.

Hic not. 1mo. Quòd si ex consilii petitione innotescere possit delictum Pœnitentis in uno loco, ad alterius loci incolam sit recurrendum: si verò urgeat tempus, ut in moribundo, levatis ad Cœlum oculis res tota divinæ misericordiæ committenda est, agendumque id quod melius & utilius videatur. 2do. Nusquam declarandum esse Pœnitentem sinè expressa, & nullatenus extorta ejusdem licentia. Unde si conjux à marito, vel Novicius à Magistro coacti facultatem Confessori darent revelandi peccata sua, non posset illa revelare. Quin nequidem Confessarii duo qui eamdem ejusdem confessionem excepêre, de ea inter se consilii captandi gratia loqui possunt: nisi in id liberè consenserit Pœnitens: Alioqui uterque fracti sigilli reus erit.

Sed an potest Sacerdos extra Tribunal loqui cum Pœnitente de auditis in Confessione? R. Non esse redarguendum qui simpliciter dicit se absolutionem non dedisse seu ex oblivione, seu ex ignoto sibi jurisdictionis defectu: in hoc enim nulla est delicti manifestatio. Ast extra casum hunc non licet, nisi petita & obtenta venia, extra Tribunal loqui de iis quæ sub sigillum cadunt. Sivè enim tunc Sacerdos propriè sigillum

non

non frangat, ut volunt multi; quia secretum non violat, qui cum authore secreti loquitur, sed qui cum aliis; sive frangat, ut docent Scotistæ, constat Sacerdotem qui extra Tribunal sua pœnitenti peccata revocat, confessionem ipsi reddere invisam. Et verò qui vix in angulo peccata sua detegunt, an eadem sibi palam recantari non ægrè ferant? Unde in hac parte peccant, qui è sacro suggestu delicta quædam tot circumstantiis delineant, ut pœnitens sua sibi objici peccata non imprudenter existimet. Sed non minus cavendum auditori ne temere judicet se depictum ex concione, quæ quandoque pluribus ante ipsius nativitatem annis elaborata est fortè & ab alio empta. Addiderim consultum esse ultra quam dici possit, ut nusquam, ac nè in genere quidem, misceantur coram secularibus sermones de auditis in confessione. Hinc enim tacitè inferunt peccata sua retineri, & se propterea contemni.

Nota: si Sacerdos peccatum suum confiteri non possit, nisi aperiat peccatum quod in Confessione audivit, & cujus author à Confessario intelligendus sit; debet peccatum illud hic & nunc reticere quia fortius est vinculum sigilli, quam confessionis integritas.

Quæres. 5to. an pœnitens etiam sigillo teneatur. R. negat. 1mo. enim non tenetur respectu peccatorum suorum quæ quandoque sui deprimendi causa palam aperire potest, ut sua Augustinus; quandoque jure naturali reticere tenetur, ne se perperam infamet. 2do. Nec tenetur respectu Confessarii, quia sigillum non in hujus, sed solius pœnitentis gratiam institutum est. Tenetur tamen ex charitate, grati animi sensu & justitia ad secretum circa ea quæ sine injusto Directoris sui damno aut contra legitimam ejus voluntatem vel sine Sacramenti præjudicio, revelare non potest. Unde peccant qui quæstiones sibi prudenter factas, monita pie data, satisfactiones impositas, quæ graviores apparent, quia nescitur quibus de causis impositæ sint, ut plurimùm deridendo, eructant. Quod si Confessarius hæresim doceat, à Sacramentorum usu avertat, ad turpia sollicitet; denuntiandus erit Prælato si malum aliter certo averti non possit. Verum hic, si uspiam, sagacitate indigent Superiores cum sub fictitiæ sollicitationis prætextu vel ipse Joseph in carcerem detrudi possit.

Quæres. 6to. quotupliciter violetur sigillum. R. frangi vel *directe*, cum expressis verbis de aliquo etiam mortuo, vel ejus complice, per solam confessionem cognito dicitur, quod tale peccatum seu mortale, seu veniale in particulari, puta mendacium commiserit; vel *indirectè*, ut 1mo. cum Minister, etsi generatim seu intra, seu extra concionem iis pœnitentem coloribus

illinit, qui si certam peccati notitiam non præbent at suspicionem ejus inducunt. 2do. cum auditis paucorum confessionibus dicit, etiam tacito personæ nomine, se tale peccatum audiisse. Jam enim singuli ex indiscreta hujusmodi locutione aliquid patiuntur suspicionis. 3tio. cùm Religiosi alicujus aut Canonici innominati crimen referendo, ejus Ordinem vel Capitulum nominat. Hinc enim fluit ignominia & Ordinis, quod per se solum grave est; & ipsius Pœnitentis qui est pars illius. 4to. cum in loco præsertim angusto ubi confessiones excepit vigere ait furta, mollitiem in juvenibus, in conjugatis adulteria. Hæc enim nisi aliunde publica sint, gravem toti aspergunt Communitati notam, quæ in singula ejus membra refluit. Imo nota hæc per publicum rumorem, nolim referri ut nota per confessionem: Hujus enim testimonium longè gravius est quam rumoris publici qui sæpe fallit. 5to. cum * *verbo vel signo, vel alio quovis modo prodit aliquatenus peccatum*, etsi aliunde iis cognitum coram quibus loquitur. Quare graviter delinquit, nisi excuset inadvertentia serio cavenda, tum qui tanto cum æstu loquitur in confessionali, ut suspicentur adstantes grave quid depositum fuisse; tum qui pœnitentem, quicum ante confessionem amice tractabat tristi & acerbo inspicit oculo, & scelestam vitam exprobrante. 6to. cùm ait se talem ad certum tempus distulisse, vel talem dedisse pœnitentiam, quæ cum gravis peccati suspicionem jure vel immerito inducit. 7mo. cum è pœnitentibus suis unum vel unam impense celebrat, quòd tantum venialia confiteatur sic enim alii graviora deponere intelliguntur. Imo, etsi non violat sigillum, qui solerter tacitis persona & loco, peccata quædam præcise refert ut in confessione audita, est tamen hic nonnihil quod male & molestè sonet, præsertim quoad Laicos facile in his rebus scandali capaces. Præterea fieri potest ut ex variis quæ secum invicem contra spem omnium conferuntur circumstantiis detegatur reus peccati generatim tantum expressi. Sic dicet pœnitens quæpiam: Ego prima omnium apud Joannem deposui peccata; & aliquantò post nescius hujusce dicti Confessor dicet: Quam primam audivi, adulterii rea erat; & hinc fiet, quod semel factum est, ut utriusque voces consocians maritus, pugione uxorem confodiat.

Quæres. 7mo. quid respondere debeat Confessarius cum interrogatur 1mo. an ejus Pœnitens tale crimen commiserit. 2do. an huic vel illi dederit absolutionem. Quæstio procedit de crimine per solam confessionem cognito. Qui enim facinus sibi postea confessum, vel perpetrari vidit vel à testi-

bus

* *Conc. Later.*

bus fide dignis audiit, sua hac notitia exterius uti potest; ita ut tamen cognitionis extra Tribunal partæ limites non transiliat, seu quidpiam addendo quod ex sola confessione audierit, seu firmiter asserendo quod ante confessionem dubium existimabat.

R. ad 1. neque in hoc, neque in ullo alio casu revelari posse confessionem pœnitentis. Unde tunc adhibenda erit modesta hæc responsio: *Quoties de pænitentibus meis agitur, nihil aliud possum quàm conticere.* Quanquam potest tunc Sacerdos ex omnium confesso dicere, *Nescio*, vel *non audivi hoc peccatum.* Quia qui interrogatur, humano more interrogatur, proinde ut homo. Atqui Minister non scit ut homo, *sed ut Deus*; uti docent omnes cum S. Thoma.

Quod si interrogans inique inquirat quid audieris ut DEI Minister; ei, si Tyranus sit infidelis respondendum est,* *Religionem Christianam præcipere de sacramentali confessione in neutram partem quidquam esse loquendum.* Si vero est malus Catholicus, Confessor sive rem audierit, sive non, reponet: *Non est fas ut ad istam sacrilegam interrogationem quidquam respondeatur. Et in utroque casu si Tyrannus mortem illi Sacerdoti cominaretur illa esset potius oppetenda, quam verbum ullum proferendum, quod in revelationem Sacramenti confessionis vergeret.*

Neque si pœnitentis innocentiam noverit Confessarius respondere potest se crimen ipsi impactum non audivisse. 1mo. quia nemini ullam de auditis vel non auditis in confessione rationem reddere debet. 2do. quia primum de innocente dolose interrogatus statim de nocente suspecto interrogaretur; responsique incertus proderet vel hæsitando, quem ne minimum quidem prodere debet. Imo si Sacerdos sit Pastor, & eo titulo Parochianorum suorum Consiliarius, & in testimonium adversus quempiam ex ipsis vocetur, opponet Judici Pastorale suum munus, ex quo gaudere debet privilegio Advocatorum, qui immunes sunt à ferendo adversus eos à quibus consuluntur, testimonio.

R. ad 2. quod etsi dici potest, *Titium non absolvi, quia generalem suam confessionem hodie perficere noluit*: vel *quia alio vocatus sum, & aberat, cum redii*; semper consultius erit generatim protestari, se nusquam de pœnitente vel absolutione ejus loqui. Unde si Superior conqueratur quod Sacerdos publicum absolverit peccatorem, qui ad Sacra palam accessit simpliciter respondendum: *Non licet mihi dicta & acta in confessione revelare sine injuria Sacramenti.*

Si is, cui negata est absolutio, confessionis factæ schedulam, petat

* *Soto.*

petat; censet Nat. Alexander, eum à quo hæc denegatur, fracti sigilli reum non esse; quia nihil facit ex quo alter directe vel indirecte possit cognoscere delicta Pœnitentis. At malim dicere cum Sambovio, 1mo. non posse Parochos inter conveniri ut iis solum detur schedula quibus impensa fuerit absolutio: Sic enim aperte revelaretur prava ceterorum dispositio. 2do. Ubi firmata est id genus schedularum consuetudo, eas nemini confesso (generatim loquendo) esse denegandas. Si enim iis solum dentur, qui sacra mensa digni sunt, ceteri ea indigni statim judicabuntur. Dixi, *generatim loquendo*. Reipsa enim peccatori publico, modo indubie tali, seu intus converso, seu non, denegandæ forent, donec datum scandalum reparare incœpisset. Neque tunc negarentur ex scientia in confessione parta; sed ex publica cognitione. In eo autem casu satius judicaverim, hunc bonæ vel malæ fidei Pœnitentem ante confessionis initium futuræ hujus denegationis admonere.

Quæres. 8vo. an Confessor uti possit scientia per confessionem habita ad avertendum grave sui vel alterius damnum. R. 1mo. * *Nec verbo nec facto nec nutu, nec aliquo signo licet in aliquo casu*, quantumvis Ecclesiæ vel Reipublicæ damnoso, *revelare confessionem*. Prob. 1mo. quod juris est divini nullam patitur exceptionem nisi in casibus eodem jure divino exceptis. Atqui præfati casus, nec in Scriptura, nec in Traditione excepti sunt: sed è contra. 2do. non sunt facienda mala ut eveniant bona; præsertim cum bona hæc longe minora sunt malis, & per mala hæc comparari non possunt. Atqui 1mo. revelatio confessionis de se ingens est sacrilegium. 2do. Bonum quod per mali hujus viam obtineretur longe minus foret ipso malo. Quid enim est unius v. g. urbis conservatio comparate ad subversionem Sacramenti, quo semel sublato tot hominum millia in æternum perirent? Nec bonum illud compararetur: Ecquis immane necandi Principis consilium versans animo, id aperiat Sacerdoti, à quo se statim prodendum esse intelligat: Contra verò, si persuasus est, ut esse debet, premendum esse silentio quidquid dicet, tentationem suam candide reserabit; quâ profundè cognita horrorem sceleris, parata eidem supplicia, insontis familiæ probrum aliaque, quæ saxeum pectus emolliant suaviter ac fortiter exhibebit Confessor. Tum fusus in lacrymas per Christi viscera hortabitur ut à sacrilego facinore abstineat; inopi temporum duritiem conquerenti de suo etiam necessario providebit, &c.

R. 2do. Ne ad servandam quidem vitam licet uti confessionis notitia, v. g. abstinere à celebrando, ne ex venenato calice moriaris

* S. Thom.

moriaris. Nusquam enim licita est indirecta confessionis revelatio, etiam ad propriam vitam tuendam sicut nec in eodem casu unquam licita est fornicatio. Atqui in præsenti occurrit indirecta confessionis revelatio. Si qui enim sint hujus facinoris complices, ii ut videbunt Sacerdotem Alba jam indutum, qui à necessaria Missâ abstinet, vel aliud vinum apponit, intelligent huic detectam esse machinationem suam. Si vero confitens unus sit sceleris artifex (quod vix supponi possit) is æque percipiet, confessionem suam Sacerdoti prodesse, adeoque famosam sigilli illam legem in irritum deduci.

Confirm. 1mo. quia si nulla sit in eo casu indirecta revelatio, licebit tunc Sacerdoti fugere, tametsi sciat pœnitentem idcirco à complicibus interficiendum esse velut secreti proditorem. Atqui consequens absurdum est, ut notat Suarez: *quia multum derogat huic Sacramento, quod aliquis possit ratione illius tam grave detrimentum pati.* 2do. si licet Carthusiensi spondere abstinentiam à carnibus, etiam cum dispendio vitæ propter commune Religionis suæ bonum; * *quanto magis propter commune bonum Sacramenti adeo necessarii potuit necessitas publica obligare ad celandam confessionem etiam cum vitæ periculo.*

Quæres. 9no. quid facto opus sit, 1mo. cùm Pœnitens ob negatam sibi absolutionem, gravem confessario calumniam impingit. 2do. An possit Sacerdos Tribunal non adire, ne tempus inaniter terat cum hypocrita, ex præviis confessionibus cognito qui insulsa multa recenset, sine ullo emendationis proposito. 3tio. An fugere possit, cum sibi mors, quia absolutionem negat intentatur.

R. ad 1. non licere Confessario tueri se manifestando calumniæ causam, negationem videlicet absolutionis. Etsi enim vim vi repellere licet, non tamen cum revelatione Sacramento injuriosa. Aliter ergo secundum jura, famæ suæ providendum.

R. ad 2. vel Pœnitens simulate confitetur; & tunc confessio ejus non est sacramentalis: vel quamvis indispositus, putà quia restituere non vult, verè confitetur; & tunc vocatus Sacerdos ire tenetur. *Poterit tamen,* ait Lugo *statim initio confessionis eum dimittere, reddendo ei rationem, dummodo id sine nota fieri possit; & petere ne iterum eum vocari faciat inutiliter.*

R. ad 3. affirmat. quia hæc mortis comminatio non est confessionis istius materia, sed peccatum in Tribunali coram Sacerdote perpetratum. Unde sicut is effugere potest cum gladium distrin-



* *Lugo.*

distringit Pœnitens, sic & cum distringendi minas intentat. Non tamen licebit dicere, eum tibi mortem comminatum esse, quia absolutionem negasti.

Quæres. 1omo. an confessionis scientia uti liceat.

Certum est non omnem confessionis usum Confessario interdictum esse. Potest enim 1mo. pro Pœnitente DEUM precari 2do. in dubiis virum doctum consulere, secluso semper quocumque manifestationis periculo. 3tio. ex unius confessione alium circa quædam necessaria vel utilia interrogare, modo quod facile est, non intelligat is unde ad hujusmodi interrogationes moveatur Confessor. 4to. propriam suam emendare agendi rationem cum ex duritie sua, vel quodam deridendi modo murmura & aliquod personæ scrupulosæ scandalum enasci animadvertit. 5to. rebus propriis diligentius invigilare, non quidem quantum ad ancillam, quæ furtum suum confessa, illico animadvertet illud sibi tacitè exprobrari; sed quantum ad alios, quibus locum oppleri intelligit, nebulones. Ratio est quia in his ut jacent, nihil est quod speciem ferat revelationis, nihil unde fiat Sacramento injuria, nihil quod ab eo removere possit.

Tota igitur quæstio est an Sacerdos scientia è confessione parta uti possit ad exterius regimen. Illud autem regimen, vel à Pœnitente animadverti potest, puta si confessus se noctu è domo egredi, fores præter morem occlusas inveniat; vel à nemine intelligi potest, puta si Superior Pœnitenti non conferat officium, quod ei sola mente destinaverat.

R. Nullatenus in utroque casu scientia per confessionem habita uti licitum est.

Prob. 1mo. ex Decreto Clementis VIII. an. 1594. ubi sic: *Tam Superiores pro tempore existentes quam Confessarii, qui postea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne, ea notitia, quam de aliorum peccatis habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur.* Atqui hæc decisio, licet directe spectet Communitatum Superiores, Confessarios ceteros non minus afficit ex identitate rationis: quia eadem & forte majora ex hujus scientiæ usu apud seculares, qui minus humilitatis & obedientiæ habent, quam apud Religiosos nascerentur incommoda. Hinc à S. Congregatione proscripta est an. 1682. hæc Propositio: *Scientia ex confessione acquisita uti licet modo fiat sinè directa aut indirecta revelatione & gravamine pænitentis nisi aliud multò gravius ex non usu sequatur in cujus comparatione prius meritò contemnatur.*

Prob. 2do. Non potest admitti opinio, quæ Sacramentum in pœnitentis levamen institutum, eidem odiosum reddit. Atqui talis

talis est opinio, quæ scientiæ confessionalis usum permittit in eo etiam casu in quo nequidem suspicatur Pœnitens Sacerdotem confessionis suæ scientia uti. Eo enim ipso quo constans erit apud Novitios v. g. vel Seminaristas, Confessorem scientia illa ipsis non advertentibus uti posse, quo eos vel à Religionis professione, vel à pingui beneficio removeat, jam eorum nemo conscientiam suam securè aperiet; unde vel ad alios eosque ut plurimum laxiores Confessarios recurrent; vel graviora sua delicta reticebunt, donec hæc libere alii cuipiam confiteri possint.

Prob. 3tio. Opinio in qua frangitur data Pœnitenti fides, procul amandari debet. Atqui. ... Ut enim solide annotat Ysambertus, quoties Pœnitens præ verecundia vel præ timore aliquid difficultatis habet in aperiendis minutatim gravioribus delictis; monere solent Confessores, ut nihil vereatur; quia quidquid dixerit, muro dictum sit ob inviolatam sigilli fidem. Atqui hæc Sacerdotis pollicitatio, ceteroqui pia illusoria erit si hominem boni apud omnes nominis vel ab Ordinibus, vel a Beneficio, &c. quia sua quæque fidenti animo, tanquam DEO ipsi aperuerit, removere liceat. Ergo, &c.

Obj. 1mo. quod in præsenti casu nulla interveniat revelatio cum Pœnitens Sacerdotis agendirationem advertere non possit 2do. quod Pœnitens nullum habeat jus ad bonum sibi solo Ministri animo destinatum. Sed hæc non urgent.

Non 1. sigillum enim non modo obligat ne reveletur confessio, sed ne reddatur odiosa & difficilis: unde peccat qui cum Pœnitente de peccato ejus loquitur quamvis nihil revelet. Atqui ex prædicto confessionis usu redderetur hæc longè difficilior. Nec dubium quin ab ea avocaretur peccator, si sciret Confessorem ipsâ occultò contra se usurum.

Ad 2. nihil quidem juris habet Pœnitens in officium quo privatur; sed quæ summam securitatem exigit & spondet confessio, jus habet ne quid fiat unde securitas illa, vel auferri prorsus, vel magnopere imminui possit.

Inst. ex nostra hac opinione sequitur Sacerdotem non posse, 1mo. ejicere famulum, quem ex confessione scit furem esse & homicidam; 2do. à confessionis ministerio eum excludere quem eadem via didicit non esse Sacerdotem; 3tio. impudicum à communi cum innocentibus pueris cubiculo, aut lecto removere; 4to. Tetros Monasterii abusus coercere. 5to. Ut intactæ familiæ honori provideat, declarare eum quem ad furcas comitatus est, insontem periisse; 6to. Ejicere ancillam quæ juniorem Presbyterum ad crimen sollicitat. Hæc autem quis suæ & alienæ salutis studiosus ferat?

R. Esse tamen ferenda, imò quia tuæ & alienæ salutis studiosus sis, ferenda esse. Quæ enim ex immobili principio manant consectaria, quantumcumque aspera sint, omnia vorari necesse est. Unde non licet ex Confessionis usu famulum nequam ejicere, vel observare curiosius. Quod si in Tribunali præcipias ut clavem reddat, vel ut discedat sponte, sigillum fregisti: quia jussio hæc actus est ad confessionem non spectans, quique ideo extra ipsam fieri censetur. Idem est in 2. 3. & 5. casu. Si enim qui plures comitatur ad furcas declaret Petrum innocentem occubuisse, de aliis tacendo crimen eorum indirectè revelat.

Quod spectat ad coercendos Monasterii vel Parochiæ abusus certum est Confessarium ex data sibi per confessionem notitia non posse adversus ipsum Pœnitentem, indirecte etiam agere. Unde, si quod, Deo miserante non occurret, omnes Communitatis alicujus alumni impudicitiæ addicti ex sola confessione dignoscerentur, nequidem solito attentiùs vigilare posset Superior ut eos deprehenderet. Pari de causa, non posset Parochus ejicere ancillam, quam ex propria ipsius confessione resciret nepotis suive Vicarii pudicitiæ periculose insidiari.

Quæres. 11mo. an Sacerdos exigere possit ut sibi complices revelentur. Hæc ego sequerer in praxi, 1mo. Nusquam exigerem ut revelaretur complex sceleris cum nec subest periculum relapsus, nec ab eo cuiquam impendet damnum vel ruina. Hic enim prospicitur futuris, nec advertuntur præterita. Eccui, quoniam præter morem nimium semel indulserit mero, non excidant quædam, quæ toto deinceps vitæ decursu exhorrebit?

2do. Nec in casu impendentis damni exigerem, ut mihi Confessario aperiretur complex, sed gravi cuipiam viro, potissimum Superiori qui malo mederi possit. Si hæreret Pœnitens injungerem ut cœleste auxilium imploraret, quo partem amplecteretur meliorem; nisi periculum esset in mora: ut si virgo sequenti nocte rapienda sit, aut civitas flammis abolenda tunc enim urgerem suo ut officio faceret satis: alioqui non absolverem. Sed quidquid in confessione aperuisset premerem silentio.

3tio. Si declaret Pœnitens, se neminem nosse, qui malo efficacius mederi possit quam ipse Confessor, puta quia is Rector sit Parochiæ, & multi in ea ponderis, quærendum erit ulterius, nisi res ex generatim dictis constet an sperare sit reum piæ teneræ ac prudenti correctioni cessurum esse, an non. Si Pœnitens fontem exhibeat ut personam meretriciæ frontis, quæ certiora quæque negare, imposturam conclamare, Pastorem insequi parata sit, gemendum simul & hærendum protinùs. Si vero com-

plex

plex ex iis sit, qui ut necdum perditi utriusque sexus juvenes, licet primùm commoti blandæ tamen exhortationi cedunt, nihil est ex natura rei cur munus illud non suscipiat Confessarius. Voculam *ex natura rei* exponam n. 5.

4to. Regulariter loquendo expedit: ut complicis, alteriusve commonendi licentia extra Tribunal detur, quo liberius procedat Confessor; & correpto dicere possit, se peccati ejus extra confessionem admonitum fuisse. Quin & suadent aliqui ut Confessarius, si commodè potest, in testimonium rei extra Tribunal dictæ, declarationem ejus scriptam accipiat à Pœnitente; quæ profecto complici non esset exhibenda,

5to. Et id cavebit Confessarius ne cuivis spiritui credat, & multo minus muliebri, seu intra seu extra confessionem. *Ea enim cerebella* aliquando tam vehementi invidiæ aut vindictæ æstu quatiuntur, ut nihil non effingant, quo pios Sacerdotes, quandoque etiam Religiosos, quia se apud eos minori in pretio esse arbitrantur, disperdant. Et id *ego ipse qui hæc scribo expertus sum*, ait Marchantius. Hinc breviter Antonius: *Ne Confessarius facilè Pœnitenti alios accusanti, præsertim fœminæ credat, nec onus monendi in se suscipiat sine necessitate. Nam sæpe vel ex malitia, vel ex errore innocentes accusantur.*

Quæres. 12mo. an Sacerdos læsi sigilli reus censuræ alicui vel irregularitati subjacet. R. negat. Hæc enim pœna sicubi lata est, profectò C. 2. *De Pœnit.* dist. 6. vel Can. *Omnis utriusque sexus*. Atqui utrumque comminatur quidem depositionis pœnam misero huic Confessorit sed neutrum censuram vel irregularitatem actu decernit. Meretur itaque perfidus revelator graviores Ecclesiæ pœnas quas & proportionate merentur qui habita ex confessione notitia utuntur, sed nullas ante Judicis sententiam incurrit.





# TRACTATUS DE EXTREMA-UNCTIONE.

DICENDUM 1mo. de natura Extremæ-Unctionis. 2do. de materiâ ejus forma, authore, & ministro. 3tio. de subjecto ipsius. 4to. & 5to. de ejusdem effectibus & proprietatibus.

## CAPUT PRIMUM.

### *De nomine & essentia Extremæ-Unctionis.*

Ritus sacer, qui trito nomine dicitur Extr. Unctio, tum quia infirmis in extremo vitæ periculo constitutis solet administrari, tùm quia cùm multæ in Ecclesia unctiones sint hæc ordine postrema est; à Græcis in Euchologio dicitur *Oleum sanctum*, quia Ecclesiæ benedictione sanctum effectum est, & homines unctione reddit sanctos. Passim etiam dicitur à subjecto cui ministratur, unctio infirmorum. *Quia* inquit Trid. sess. 14. can. 3. *infirmis est adhibenda, illis præsertim qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti esse videantur* ab effectû vero quem parit; *pœnitentiæ, & totius christianæ vitæ quæ perpetua pænitentia esse debet, consumativum Sacramentum.*

Definiri vero potest Ext. Unctio, *Sacramentum unctionis infirmorum à Christo institutum ad sanitatem mentis & corporis precibus Sacerdotum obtinendam, per infusionem gratiæ sanctificantis; & sanationem morborum, ubi saluti animarum expedit.* Quæ definitio ut vindicetur expendendum primo an Ext. Unctio sit Sacramentum.

Negant Lutherani & Calvinistæ.

Asserunt post Trid. sess. can. 3. Catholici. Cùm autem duobus

bus præcipuè in locis mentio fiat de unctione; nimirum Marci 6. ubi de Apostolis dicitur: *Dæmonia multa ejiciebant & ungebant oleo multos ægrotos, & sanabant.* Et Epist. Jacobi 5. ubi sic: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit remittentur ei.* Novatores unam & eandem esse contendunt unctionem in hoc utroque textu, ut inde inferant, non magis ex verbis S. Jacobi quam S. Marci, Sacramentum nostrum extundi posse. Etsi vero ex nostris quidam cum Catharino & Maldonato docere videntur, unctionem de qua S. Marcus sacramentalem esse: communior tamen Theologorum sententia est, unctionem illam typum duntaxat ac figuram fuisse Sacramenti nostri; qua de re sit.

Conclusio. Unctio Ext. est verè & propriè Sacramentum, Marci quidem cap. 6. insinuatum, à S. autem Jacobo Fidelibus commendatum, ac promulgatum. Ita Trid. sess. 14. can. 1.

Prob. 1. pars, 1mo. quia unctio de qua S. Marcus, non alio pertinere videtur, quam ad curationem morborum corporis, de qua Matth. 10. *Convocatis duodecim discipulis suis dedit illis* Christus *potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Et v. 8. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* Atqui nemo non videt eam morborum curationem referendam esse ad potestatem edendorum miraculorum tunc Apostolis necessariam ad fidem sibi conciliandam, & primordia Ecclesiæ dilatanda? Nihil verò his in locis de unctione sacramentali; nihil de gratia spirituali ipsi annexa; nihil de oratione Sacerdotum, quæ omnia distinctè enumerat S. Jacobus.

Prob. 2do. variis rationibus, 1mo. enim unctio, qua tunc utebantur Apostoli, referebatur solum aut præcipuè ad curationem morbi corporalis, Sacramenta vero per se ad animam pertinent, ad corpus per accidens, & ad summum secundario. 2do. Apostoli eo tempore nondum erant Sacerdotes. 3tio. Iidem tunc promiscue ungebant quoslibet ægrotos, ut cæcos, claudos, &c. at Sacramentum Unctionis non datur nisi iis qui decumbunt cum periculo vitæ. 4to. Apostoli cum inungebant infirmos, non inquirebant an baptisati forent; imo probabile videtur, multos ab eis inunctos Infideles: atqui tamen sinè Baptismo nihil prosunt Sacramenta cetera, nec dari possunt nisi baptisatis.

Prob. 2. pars ex citato textu S. Jacobi; *Infirmatur quis in vobis?* &c. Atqui hoc in textu occurrunt omnes veri & pro-

priè dicti Sacramenti conditiones 1mo. Signum sensibile in unctione & oratione, quarum hæc, formæ, illa vero, materiæ locum tenet. 2do. forma Sacramenti Unctionis nempè oratio *Orent super eum.* 3tio. Signum illud sensibile non est temporale ac transiens, prout fingunt Novatores, sed perpetuum & constans in Religione Christiana; tum quia semper in usu fuit tùm quia unctio de qua S. Jacobus ad eum spiritualem gratiæ effectum ordinata est, quo semper indigent homines maximè ubi morbis periculosis gravantur. 4to. Annexa est huic unctioni gratiæ promissio: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quo præsertim titulo distinguitur unctio Jacobæa, ab illa de qua S. Marcus. 5to. Ibidem exhibetur Minister & subjectum hujus Sacramenti. Minister quidem *inducat Presbyteros* subjectum verò, infirmi scilicet: *Infirmatur quis in vobis?* Ergo.

Obj. 1mo. Sacramentum non conditionate sed absolute effectum suum operatur. Atqui unctio, de qua S. Jacobus, non absolutè, sed conditionate duntaxat promittit remissionem peccatorum. Hoc enim sonant ista verba *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* R. neg. min. cum enim difficile admodum sit, hominem esse tam purum, ut nullas nequidem veniales noxas habeat, consequenter particula *Si* in textu S. Jacobi, non denotat conditionem rei dubiæ sed concessionem rei certæ: sic cum idem S. Jacobus cap. 1. suæ Epist. ait: *Si quis vestrum indiget sapientia* sensus est, *cùm unusquisque vestrum indigeat sapientia.* Sic quoquè cum ait Paulus 2. Thessal. 1. *Si tamen justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos conturbant:* hoc est, *Siquidem justum est* &c.

Obj. 2do. Effectus Sacramenti semper est certus & infallibilis, si nullus sit obex ex parte suscipientis: atqui experientia constat, non omnes qui unguntur oleo infirmorum consequī sanitatem corporis. R. majorem esse veram de effectu principali, nempe remissione peccatorum non vero de sanitate corporea, quæ tantùm est effectus secundarius, & quidem non absolutè, sed conditionate promissus, si nempe saluti animæ expediat.

Prob. 2do. eadem veritas ex Patribus, quorum instar sint, quia plures recensere non licet, SS. Innocentius I. & Gregorius magnus. Prior in Epist. ad Decentium sic habet: *Illud quod in B. Apostoli Jacobi Epistola conscriptum est: Si infirmus aliquis in vobis est, vocet Presbyteros, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini .... & si peccata fecit, remittet ei non est dubium de fidelibus ægrotantibus intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto,*

*non*

*non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo. Ceterùm illud superfluum videmus adjectum ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum ..... Pænitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Posterior verò in Sacramentario, data opera modum & formam præscribit qua oleum ab Episcopo benedici, & infirmis administrari debeat, atque istam præscribit Orationem ab Episcopo, vel Sacerdote ad Deum dirigendam, nempe ut *mittere dignetur sanctum Angelum suum, qui famulum suum in angustiis & necessitatibus laborantem consolationibus suis attollat, quibus & de præsenti consequatur auxilia, & æterna remedia comprehendat.* Atqui in his textibus habetur Ext. Unctio ut ritus in Ecclesia perseverans, ut ritus qui aliis Sacramentis annumeratur, ut ritus auxilium supernaturale conferens. Rectè igitur Trid. sess. 14. can. 1. *Si quis dixerit, Extr. Unctionem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* Et can. 2. *Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema sit.*

---

# CAPUT SECUNDUM.

## *De causis Unctionis Extremæ,*

### §. I. *De materia Sacramenti Extr. Unctionis.*

Duplicem distingunt Theologi materiam Unctionis. Extr. remotam, quæ est oleum, & proximam, quæ unctio dicitur, seu olei usus & applicatio. De utraque hic distinctè agemus.

Quæres. 1mo. quænam sit materia remota Unctionis-Extr. R. esse oleum. Ita enim expresse significat S. Jacobus: *Ungentes*, inquit *eum oleo in nomine Domini.* Ita perpetuus Ecclesiæ usus: *Ex Apostolica traditione per manus acceptâ Ecclesia intellexit*, ait Trid. sess. 14. can. 1. *materiam hujus Sacramenti*

*esse*

*esse oleum ab Episcopo benedictum: nam unctio aptissime Spiritus gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat* & Catechismus Concilii parte 2. agens de Unctione Extr. *Ejus*, inquit, *elementum sive materia, quemadmodum Concilia, ac præcipuè Trid. decrevit, est oleum ab Episcopo consecratum liquor scilicet non ex quavis pingui, & crassa natura, sed ex olearum baccis tantummodo expressus. Aptissimè autem hæc materia ilud significat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur: nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit; ita Sacramenti virtus animæ tristitiam ac dolorem minuit. Oleum prœterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, & lumini tanquam pabulum præbet: tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maximè accommodatum est. Quæ omnia, quid in ægroto divina virtute per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant.*

Quæres. 2do. quale debeat esse oleum infirmorum; an ex olivis expressum, an simplex, an compositum ex aromatibus, an ab Episcopo consecratum.

R. ad 1. oleum illud ex olivis expressum esse debere quod solum proprie oleum nuncupatur; sicut sola elementaris simpliciter aqua dicitur.

R. ad 2. oleum istud debere esse simplex absque ulla admixtione, quia illius admixtionis nulla fit mentio apud Authores Ecclesiasticos. Nec obstat quod Innocent: I. Epist. ad Decent. illud vocat *Chrisma*: hoc quippe nomine quamlibet unctionem generatim designat. Duplex igitur oleum est in usu Ecclesiæ aliud, quod balsamo conficitur, & vocatur chrisma aut unctio principalis, quo solent ungi, qui baptisantur in vertice, & qui confirmantur, in fronte, & qui ordinantur, in manibus: aliud est simplex quanquam ab Episcopo per benedictionem sacratum, quo unguntur Catechumeni in pectore & scapulis, & ægroti in sedibus sensuum, & Energumeni ungi quoquè solebant: unde vocatum est oleum Catechumenorum aut infirmorum.

R. ad 3. ex omnium Theologorum sententia jure saltem Ecclesiastico necesse esse, ut oleum infirmorum sit ab Episcopo consecratum seu benedictum. Ita quippe docet constans Traditio. *Consecratur autem oleum ad significandum quod non suapte natura, sed Spiritus S. virtute morbis animæ medeatur. Per Episcopum vero fit ea consecratio, ut significetur omnem virtutem Sacramentorum derivari ex merito Christi cujus personam præcipuè gerit Episcopus.* Ita Estius.

Utrum vero benedictio hæc non tantum necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti omnino requiratur, disputant inter se Theologi.

logi. Negant Cajetanus, Maldonatus, Sambovius, &c. Affirmant Bellarminus, Estius, &c. 1mo. Quia hæc verba S. Jacobi, *ungentes eum oleo in nomine Domini*: hoc est, inquit Beda in hunc locum, *oleo consecrato in nomine Domini.* 2do. Concilia Florent. & Trid. docent, materiam hujus Sacramenti *esse oleum ab Episcopo benedictum*; quod de materia essentiali haud dubie intelligendum est. 3tio. Non alia de causa Veteres benedictionem hanc olei exigunt, quam quod intelligerent eam omnino pertinere ad substantiam Sacramenti. Inde communiter ab Authoribus Ecclesiasticis post Innocentium I. appellatur *oleum sanctum*, *sacrum*, *consecratum*, *benedictum*.

Respondent alterius opinionis asseclæ, ad 1. his verbis S. Jacobi, *ungentes oleo in nomine Domini*, non significari benedictionem; sed solum quod unctio illa fieri debet authoritate Christi, ita ut verba hæc, *in nomine Domini*, referantur non ad oleum sed ad actum ungendi, quam interpretationem adducit & ipse Beda.

Ad 2. Concilia Florent. & Trid. aiunt quidem materiam hujus Sacramenti esse oleum per Episcopum benedictum, sed non aiunt benedictionem illam esse essentialem: necessariam illam tantum indicant, non assignato necessitatis genere, quod permittunt disputationibus Theologorum.

Ad 3. eadem est responsio. Nec enim quidquid Traditio commendat tanquam necessarium in perficiendis Sacramentis pertinet ad substantiam Sacramenti, ut patet exemplo aquæ vino Eucharistico permiscendæ, de qua tota Traditio mentionem facit, quæ tamen absolutè non requiritur ad validam Calicis consecrationem.

Quæres. 3tio. à quo debeat necessario consecrari oleum infirmorum. R. si consuetudinem Latinæ Ecclesiæ consulamus, certum est 1mo. solis Episcopis reservatam esse facultatem benedicendi oleum infirmorum; eamque simplicibus Presbyteris nusquam concessam fuisse. Si verò ad necessitatem attendamus hujus consecrationis, varia est sententia: qui enim existimant eam pertinere ad substantiam Sacramenti, consequenter necessariò exigunt Episcopale ministerium; qui vero negant, à simplici Presbytero factam benedictionem sufficere, arbitrantur.

Certum est 2do. apud Græcos simplices Presbyteros benedicere oleum infirmorum, ut videre est in Euchologio, ubi describitur Officium olei sancti. Ita Goarius in suis notis p. 430. ubi sic: *Cum sacerdotalis sit ministerii ægrotos oleo sacro linire, usu consentiente factum est, ut non à Græcis Pontificibus, sed à Sacerdotibus consecratum, & quoties urget necessitas renovatum*

*& recens benedictum huic Sacramento conferendo proferatur. Non diffitendum tamen primigeniæ potestatis hujus sacri olei consecrandi signum exhibere Pontifices Græcos cum feria quinta magna solemnitate precum, & ritus apparatu, semel illud in anno sanctificant. At cum in ceremoniali astantium unctione eodem tempore consumatur (cuncti namque ad sacram synaxim accessuri in peccatorum expiationem se se ungendos offerunt & Pontifex ipse primus omnium Oeconomi manu suscipit unctionem, & reliquos deinceps ipse ungit) facultatem illud denuò consecrandi privato cuicumque Parocho, ipsi Pontifices tacite ex antiquo more videntur remittere*. Hæc Goarius, qui ibidem refert à Clemente VIII. non improbatum fuisse illum Græcorum Presbyterorum usum, in ea Instructione quam ad Episcopos Latinos direxit titulo, *Circa oleum sanctum infirmorum*.

Quæres. 4to. an si oleum balsamo aliisque aromatibus esset admixtum, sufficiens & idonea foret materia Ext. Unctionis. R. affir. modò ea admixtione non mutetur olei natura. Non licet tamen tali oleo seu chrismate uti.

Quæres. 5to. quid faciendum, cùm deficit oleum ab Episcopo feria quinta benedictum, propter frequentem administrationem hujus Sacramenti. R. posse Sacerdotem oleum non consecratum miscere cum consecrato, modò in minori quantitate, ut habent Ritualia. Ex illa enim unione, quod non fuit consecratum consecrationem quamdam contrahit, non ratione physici contactus, sed ex indulgentia Ecclesiæ, quæ voluit, ut preces Episcopi qui consecravit oleum extendantur quoquè ad illud quod admiscetur jam consecrato: eodem modo quo aqua non benedicta supperaddita aquæ benedictæ censetur acquirere benedictionem. Ita S. Thomas Opusc. 6. ex Cap. *Quod in dubiis*, *De consecratione Ecclesiæ*.

Circa materiam proximam Extr. Unctionis: Quæres 1mo. quænam ea sit. R. esse unctionem ipsam, seu applicationem olei in Sacramentis quippe quæ in usu posita sunt, materia proxima est usus seu applicatio materiæ remotæ.

Quæres. 2do. quæ corporis partes inungi debeant. R. non unam esse Ecclesiarum praxim. Græci teste Arcudio L. 5. c. 7. *ungunt frontem, mentum, ambas genas, deinde pectus tum manus idque ex utraque parte, postremò pedes*. Latini nunc passim sequuntur id Decreti Eugeniani pro instructione Armenorum. Infirmus *de cujus morte timetur in his locis ungendus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem*. Quibus hæc addit Rituale Paris. *In*

*feminarum*

*feminarum unctione tangat tantum Sacerdos partem pectoris superiorem; manus verò, quæ reliquis infirmis interius ungi debent Presbyteris exteriùs ungantur.*

Quæres. 3tio. an plures unctiones sint necessariæ, an unica sufficiat ad Sacramenti substantiam. R. multis videri quinque sensuum unctiones esse necessarias ad veritatem substantialem Sacramenti: Alii putant perinde esse sive plures, sive unica fiat licèt fateantur quinque sensuum unctiones pertinere ad integritatem & majorem expressionem effectus hujus Sacramenti. Videtur hæc postrema sententia magis esse ad mentem Ecclesiæ. 1mo. Quia Ecclesia in casu necessitatis, ubi præ mortis periculo omnes unctiones perfici non possunt, permittit unicam fieri. *Si non possit supra infirmum fieri nisi unica unctio*, ait Rituale Parisiense, *ungatur oculus vel aliud sensuum organum & ceteris precibus prœtermissis dicatur: Per istam sacri olei unctionem & suam piissimam misericordiam iudulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus.* 2do. Quia S. Jacobus simpliciter unctionis mentionem facit, non plurium. 3tio. Quia varia est Ecclesiarum praxis, quam cum non improbet Ecclesia universa, satis innuit sibi verum videri Sacramentum Unctionis Extr. sive pluribus, sive unica perficiatur unctione (quànquam si nulla obstet necessitas nusquam licet eas unctiones omittere, quæ sunt in usu Ecclesiæ in qua quisque vivit.) 4to. Quia idem hic dicendum de multiplici unctione, ac de triplici immersione in Baptismo, quæ essentialis non est,

Quando contingit infirmum esse aliquo membro mutilatum inungi debet pars membro amputato magis proxima. Ita Rituale Paris. *In cæcis autem aut surdis à nativitate*, inquit *non fiat unctio oculorum aut aurium, nec verba iis sensibus respondentia proferantur.*

## § II. *De forma Sacramenti Ext. Unctionis.*

Aliquam esse hujus Sacramenti formam manifestè constat ex laudato sæpius textu S. Jacobi: *Orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini.* Unde contrariam nonnullorum sui temporis sententiam erroneam appellat S. Thomas, Suppl. q. 29. a. 7. *Quia* inquit ibid. *omne Sacramentum efficit significando: significatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cum se ad multa habere possit, nisi per formam verborum; & ideo in omnibus Sacramentis novæ Legis quæ efficiunt quod figurant, oportet esse res & verba*, Quæritur qualis olim fuerit, aut jam sit usurpanda forma Unctionis Extremæ; an absoluta, an deprecatoria an utraque simul. Qua de re.

Dico

Dico 1mo. aliquando modo absoluto & indicativo expressam fuisse formam Unctionis-Extremæ.

Referunt enim S. Thomas, S. Bonaventura, Paludanus, Richardus, &c. formam Ambrosianam Mediolani suo tempore usu receptam, fuisse absolutam his nempe verbis: *Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.* Similis forma legitur in Codice Tiliano seu Sagiensi; tum in Codice Remensi tum & in Ritualibus Suessionensi, Catalaunensi, Ambianensi, *quorum editio*, ait P. Martene, L. 1. de antiq. Ecclesiæ Ritibus c. 7. a. 3. *necdum ducentos attigit annos;* tum in Sacramentali Venetorum approbato à Leone X. in quo hæc refertur forma, *Ungo te oleo sancto ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus varias catervas, in nomine Patris* &c.

Dico 2do. formæ absolutæ admixtam, aliquando fuisse deprecatoriam apud Latinos. Talis ista fuit quæ refertur in Libro Sacramentorum S. Gregorii apud Menardum pag. 252. *Inungo te de oleo sancto, in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti: ut non lateat in te spiritus immundus; neque in membris neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi & Spiritus Sancti, quatenus per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem virtute sanctæ Trinitatis medicatus, sive fotus, pristinam & immelioratam recipere merearis sanitatem: Per eundem, &c.* Hanc nihilominus formam in exemplum formæ indicativæ assignat Menardus in notis ad hunc locum, pag. 332, *Olim* inquit, *forma, hujus Sacramenti fuit indicativa uti hic apparet: ( quamvis hic appelletur oratio, sed impropriè: vere etenim oratio non est ) & clare constat etiam ex Codicibus manuscriptis Ratoldi & Tiliano*, &c.

Dico 3tio. apud Græcos semper, apud Latinos verò multis abhinc sæculis, solam formam deprecatoriam Extr. Unctionis in usu fuisse & esse.

Arcudius loco antea citato refert non aliam apud Græcos formam esse hujus Sacramenti, quam deprecatoriam quæ legitur in Officio Olei sancti, & incipit ab his verbis: *Pater sancte animarum & corporum medice* &c. Neophytus Rhodius in sua Synopsi vernacula sic habet: *Forma Extr. Unctionis est oratio illa quam dicit Sacerdos cùm infirmum ungit.*

Eamdem formam verbis deprecatoriis expressam multis abhinc sæculis apud Latinos usurpari patet, 1mo. ex Rituali Monastico simul & Ecclesiastico Gemeticensi annorum 600. & supra in quo hæc extat forma: *Per istam unctionem, & suam*

*piissimam*

*piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum*, &c. Quam formam præscribunt omnes Rituales Libri qui quatuor abhinc sæculis in usu sunt. 2do. Ex S. Thoma & aliis nonnullis Scholasticis, qui seculo 13. usu tam constanti confirmatam videbant formam deprecatoriam, ut absolutam quasi insufficientem rejicerent. 3tio. Eugenius IV. S. P. eamdem refert in instructione Armenorum. 4to. Trid. sess. 14. c. 1. ait formam hujus Sacramenti esse illa verba *Per istam unctionem*, &c.

Quæres. an forma deprecatoria conveniens sit ac retinenda. affirm. Id enim probant adducta mox monumenta, præcipuè verò authoritas S. Jacobi: *Orent*, inquit *super eum, ungentes eum oleo.* Et vero verba quibus illa forma coalescit, aptissimè exprimunt, tum Sacramentum (*per istam unctionem*) tum divinam virtutem quæ in Sacramento operatur, (*& piissimam misericordiam*;) tum effectum Sacramenti, nempe remissionem peccatorum, (*Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum.*)

Nec dicas per formam deprecatoriam non posse, ut oportet, exprimi certum Sacramenti effectum, quia oratio non semper est efficax. Nam 1mo. oratio quidem extra Sacramentum non potest certum exprimere effectum, at id potest oratio quæ forma est Sacramenti, cui voluit Christus vim certam sua institutione conferre. 2do. Satis est ad efficaciam Sacramenti, quod ex se, & in actu primo, ut vocant, certum effectum producere valeat: fieri enim potest, ut propter malam subjecti dispositionem effectum actu non assequatur quod per accidens est respectu ipsius Sacramenti.

Si quæras quænam verba in adducta forma sint omninò essentialia, respondebo ista duntaxat essentialia videri *per istam unctionem indulgeat tibi Deus.* Quia per hæc exprimuntur actus, causa principalis, subjectum, & effectus. Actus quidem, *per istam unctionem*: causa principalis *Deus*: subjectum *tibi*: effectus *indulgeat.* Misericordia Dei includitur in verbo *indulgeat* sicut & quod significatur verbis istis, *quidquid peccasti*, nam Deus indulget peccatori. Caveat tamen Sacerdos nè omittat verba cetera quæ ad majorem expressionem referuntur.

Quæres. rursus an forma indicativa quam diximus in usu olim fuisse, valida & legitima fuerit. Negat S. Thomas. At cum pace tanti Doctoris ipsi hac in parte consentire non possumus: verisimile quippe non videtur eam in praxi toleratam fuisse Sacramenti formam, quæ nulla foret, & qua consequenter posita, Fideles vero Sacramento Ext. Unctionis privati fuissent.

fuissent. Atqui patet ex citatis anteà testimoniis, in pluribus Ecclesiis formam absolutam & indicativam obtinuisse. Inde est quòd formam hanc pro invalida non habeant, nec Richardus de Media Villâ, qui duntaxat ait formam deprecativam esse convenientiorem ob textum S. Jacobi; nec S. Bonaventura, juxta quem *forma verbi non est necessaria ratione vocis exterioris, sed prout est expressiva verbi interioris.* Nec Durandus, qui utramque formam problemmaticè defendit.

*Neque*, ait Menardus in notis ad Librum Sacramentorum S. Gregorii, pag. 333. *hæc doctrina adversatur Concilio Trid. cùm ait, Sess.* 14. cap. 1. *formam esse illa verba*, per istam unctionem, *&c. Nam Concilium deprecatoriam non ità astruit, ut rejiciat indicativam, quam olim in usu fuisse luce meridianâ clarius est;ut nec ità astruit illa verba*, per istam unctionem, *ut destruat formam Græcorum, quæ licèt deprecatoria sit, ejusmodi verba non tamen agnoscit.*

In hâc opinione dicendum, validam olim fuisse formam Unctionis extremæ modo absoluto expressam, adeoque Christum institutione suâ hoc unum voluisse, ut forma hujus Sacramenti idonea foret ad exprimendum ejus effectum; Ecclesiæ verò permisisse ut determinaret modum, sive indicativum, sive deprecatorium, quo exprimi deberet illa forma.

### §. III. *De Authore Sacramenti Ext. Unctionis.*

Lutherani & Calvinistæ, qui Ext. Unctionem è numero Sacramentorum expungunt, docent consequenter eam à Christo fuisse institutam ad tempus, & ad unam corporis sanitatem.

Longè alia mens est Concilii Trident. ut patet ex Canonibus suprà citatis. Et vero, si ut probavimus, Ext. Unctio sit verum Sacramentum, necesse est eam à Christo pro semper institutam fuisse; *Cùm*, ut benè Estius, *Apostolicam omnemque humanam potestatem excedat facultas instituendi Sacramenti; quia non potest homo promittere Deum, tali signo adhibito, gratiam daturum, nisi cognita priùs voluntate atque ordinatione Divina.*

At quo tempore á Christo institutum sit Sacramentum istud, non una est omnium opinio. Magister, S. Bonaventura, & alii nonnulli existimant illud post Christi in Cælum Ascensionem ab Apostolis ex peculari revelatione Spiritus S. fuisse institutum. Alii institutum volunt Marci 6. cùn Apostoli acceperunt à Christo facultatem ungendi & sanandi infirmos. Ità Victor Antiochenus, Beda, Jonas Aurelianensis, &c. Alii denique, & quidem nostro judicio verisimiliùs, putant institutum post Resurrectionem Christi, cùm Apostolis concessit ligandi atque

solvendi

solvendi authoritatem. Cùm enim Ext. Unctio sit perfectio ac consummatio pœnitentiæ, eo ipso tempore videtur instituta, quo Sacramentum ipsum Pœnitentiæ. *Hi enim dies qui inter Resurrectionem Domini Ascensionemque fluxerunt*, ait S. Leo, Serm. 1. de Ascensione, *non otioso transierunt decursu*, *sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria.*

### §. IV. *De Ministro Sacramenti Ext. Unctionis.*

Quæres 1mo. Quis sit hujus Sacramenti Minister. R. Ex verbis S. Jacobi planum fieri Sacerdotes seu Presbyteros esse hujus Sacramenti Ministros: *Infirmatur quis in vobis*, inquit, *inducat Presbyteros Ecclesiæ*, &c. Atqui eo loci Presbyterorum nomine non seniores è societate Christianâ intelligi debere, sicut placet Novatoribus, sed eos qui Ordinatione sua ad Episcopalem seu Sacerdotalem gradum evecti sunt, series ipsa contextûs Apostoli evincit: 1mo. enim non simpliciter Presbyteri dicuntur, sed Presbyteri Ecclesiæ: 2do. jubentur orare super infirmum: 3tio. per eos unctio facienda præscribitur in nomine Domini: 4to. denique per eorum ministerium remissio peccatorum obtinenda promittitur: quæ omnia rectè cadunt in Presbyteros dignitate, non autem in eos qui tantùm ob ætatem ità dicuntur. Aliàs Timotheus, licèt Episcopus, quia ætate junior, Unctionis hujus Minister esse non potuisset; quod planè absurdum est.

Non aliam hic esse nominis Presbyterorum interpretationem demonstrant, tum SS. Patres quotquot istum S. Jacobi textum exposuère, tum usus constans ac perpetuus Ecclesiæ, quæ non ab aliis quàm à Sacerdotibus Sacramentum hoc administrari permisit. Unde & meritò Trident. Sess. 14. Can. 4. *Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Ext. Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

Ex dictis duo inferes, 1mo. nomen Presbyterorum hic ad solum Episcopum non contrahi, sed ad simplices extendi Sacerdotes; 2do. non excludi Episcopos: quidquid enim potest simplex Sacerdos, potiori jure potest & Episcopus.

Dices: Innocentius I. Epist. ad Decentium, declarat posse à quibuslibet Laicis ministrari Sacramentum Unctionis infirmorum. *Quod non est dubium*, inquit, *de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui Sancto Oleo Chrismatis perungi*

*possunt, quo ab Episcopo confecto non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo.*

Respondent aliqui cum Jansenio Gandavensi Innocentium non loqui de Ministro, sed de subjecto Ext. Unctionis; ac verbum istud postremum, *inungendo*, passivè non activè esse intelligendum, ità ut sensus S. Pontificis iste sit: unctionem illam non à solis Sacerdotibus percipi debere, sed ab omnibus Fidelibus Christianis per Ministerium Sacerdotum. Verùm aliis displicet hæc responsio, quia dubium non moverat Decentius utrùm liceret singulis Christianis recipere unctionem, sed utrùm ipsimet uti possent Oleo per Episcopum benedicto, seipsos eo inungendo in sua aut suorum necessitate. Unde

R. Innocentium permittere cuilibet Christiano ut in occurrente necessitate, tum se, tum alios hoc Oleo ungere possit, piâ devotione affectus erga rem Episcopali benedictione consecratam, per quam speret medelam consequi; ità tamen ut nullum conficiat Sacramentum, sed sit tantùm materialiter, non formaliter Unctio infirmorum sacramentalis; quomodò solent Fideles uti aquâ benedictâ aliisque rebus consecratis; quomodò etiam Oleo per Episcopum multos olim usos fuisse historia proditum est, ut constat de Machario apud Palladium Historiæ Lausiacæ, cap. 20. de Eutychio Constantinop. apud Eustachium in ejus vitâ: de Martio Abbate apud Gregorium Turon. in vitis Patrum, cap. 14. n. 2. Refert enim eum *quartanis tertianisve febribus infuso benedicti Olei liquore* mederi solitum fuisse.

Quæres 2do. An quilibet Sacerdos sit Minister idoneus hujus Sacramenti. R. affirm. Si sermo sit de administratione valida, quia ad validam hujus Sacramenti administrationem sufficit potestas Ordinis, nec requiritur potestas jurisdictionis. Si autem sermo sit de administratione licita, dicendum eos tantùm Sacerdotes esse Ministros legitimos, qui ordinariam vel delegatam habent jurisdictionem.

Si verò desit Sacerdos tali jurisdictione præditus, poterit in casu extremæ necessitatis Sacramentum hoc licitè à quovis alio, etiam Religioso, conferri; uti contra Navarrum docent Soto, Sylvius, & alii plures; tum quia cùm Ecclesia prohibuit Religiosis sub pœna excommunicationis, nè in jura Parochorum involarent, voluit duntaxat temeritatem cohibere eorum qui, prætextu suorum privilegiorum, existimabant sibi licitum esse munia Parochorum exercere, quasi jure ordinario; non verò prohibere voluit ut absente quolibet alio Sacerdote, in casu necessitatis possent infirmo jam morituro subvenire; tum quia

S. Carolus

S. Carolus in Concilio Mediolan. V. ità præscribit: *Si Parochus impeditus, aut aliàs in mora est, mortisque periculum instat, hoc Sacramentum Sacerdos alius administret.*

Quæres 3tio. Quot necessarii sint Sacerdotes ad conferendam Unctionem infirmorum. R. Eam apud Græcos à septem Sacerdotibus administrari, & apud Latinos à pluribus olim fuisse collatam: sed tamen ad id sufficere absolutè unum Sacerdotem. Ità S. Thomas, Lib. 4. contra Gentes. cap. 73. *Si*, inquit, *unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus Minister existit, & cujus personam gerit.* Idem docent tum Alexander III. Can. *Quæsivit, De verborum significatione*, ubi ait *quòd Sacerdos, uno præsente Clerico, & etiam solus; potest infirmum ungere;* tum & diù antè Innocentius I. Epist. ad Decent. ubi declarat Episcopum esse Ministrum hujus Sacramenti, nec tamen exigit ut Collegam advocet. Idem confirmant exempla quædam Sacramenti hujus, ut nunc, sic & olim ab uno duntaxat Presbytero vel Episcopo administrati.

Nec obstat quòd S. Jacobus numero plurali dicat, *inducat Presbyteros:* hæc enim verba idem sunt ac, *aliquem ex Presbyteris*, quomodò dicimur confiteri peccata Presbyteris, hoc est alicui Presbytero.

---

# CAPUT TERTIUM.

## *De Subjecto Extremæ-Unctionis.*

QUæres 1mo. Quibus sit administranda Ext. Unctio. R. Ex textu S. Jacobi: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros, & oratio fidei salvabit infirmum*, liquidò constare solis infirmis dandam esse Ext. Unctionem; & id persuasum semper habuit, & praxi sua confirmavit Ecclesia Occidentalis.

Non ità Orientalis, quæ sanos inungit perinde ac infirmos, adeò, ut, teste Arcudio, lib. de Ext. Unctione, cap. ult. *modò non pudeat passim Græcorum Presbyteros hoc oleum instar Sacramenti ex imperitia benevalentibus administrare: & hæc consuetudo viget, non in aliquo Græciæ angulo, sed ubique passim, quam retinet hâc nostrâ ætate Russia universaque Moschovia.*

An autem illa unctio qua sanos passim inungunt Græci ab illis pro vero nostro habeatur Sacramento, non ità certum videtur. Affirmat Arcudius, qui idcircò contra hunc Sacramenti abusum vehementer insurgit: E contra negat Goarius, cui

Unctio hæc, licèt latiori sensu dicatur Sacramentum, mera videtur esse apud ipsos cæremonia. Et hæc opinio magis placet, 1mo. quia docet Innocentius I. Latinos etiam oleo per Episcopum sanctificato usos fuisse ad morbos depellendos; nec tamen in ea unctione verum erat Sacramentum. 2do. Quia Græci à Latinis fuissent hac de causa reprehensi, cùm Latinis semper persuasum fuerit solos infirmos, juxtà mentem S. Jacobi, ac praxim Ecclesiæ, ea unctione esse liniendos. Atqui nusquam reprehensi fuêre: namque Innocentius IV. in Epist. ad Tusculanum Episcopum, simpliciter non reprehendit Græcos quòd peccatores sanos inungerent, sed quòd in satisfactionem pœnitentiæ solam imperarent unctionem, qui certè abusus erat, & disciplinæ relaxatio manifesta.

Nec dicas in praxi Græcorum adesse materiam, formam, & Ministrum Sacramenti. Namque pariter in ritu quo hæreticos ad Ecclesiam redeuntes olim Græci recipiebant, aderat materia, forma, & Minister Confirmationis; nec tamen erat verum Sacramentum quod dicitur Confirmatio, quia nempè non erat eadem mens atque intentio, tum conferentium, tum percipientium eam exteriorem cæremoniam. Idem porrò dici debet in præsenti negotio.

Quæres 2do. An administranda sit Ext. Unctio illis qui jamjam morituri sunt; an aliis etiam de quorum morte timetur, quanquam non ità proxima sit. R. Utrisque posse ac debere administrari: ac 1mo. infirmis in exitu positis; id enim demonstrat tum praxis Ecclesiæ continua, tum ipsa Ext. Unctionis, & Sacramenti exeuntium apellatio, tum authoritas Tridentin. Sess. 14. Can. 3. ubi *declaratur esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur.* Tum status ipse moribundi, qui majori indiget gratiæ auxilio, quo præmuniatur contra tentationes, quæ tunc urgent vehementiùs: de quo vide Trid. in Præfatione de hoc Sacramento.

2do. Aliis pariter infirmis de quorum morte timetur, quanquàm non ità proxima videatur, administrandam esse demonstrat, 1mo. Authoritas Concilii Florent. in Decreto, ubi ait *subjectum hujus Sacramenti esse infirmum de cujus morte timetur.* 2do. Praxis antiqua Ecclesiæ, quæ colligitur tùm ex eo quòd Unctio ante Viaticum, quod nonnisi mente integra suscipi debet, ministraretur, prout præscribitur in Rituali Parisiensi: tùm quòd unctio per septem dies repeteretur; id quod erga desperatos & penè sensu carentes observari non potuisset: tum deniquè quòd aliqui in Ecclesia, sedentes vel genuflexi hoc Sacramentum suscepisse referantur. De quibus adi P. Martene,

L. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus, cap. 7. art. 2. 3tio. Idipsum probant Statuta Conc. Rhemensis anno 1583.

Hinc Catechismus Concilii Trident. p. 2. de Sacramento Ext. Unctioni n. 18. asserit gravissimè peccare eos qui *illud tempus ægroti ungendi observare solent, cùm, jam omni salutis spe amissa, vitâ & sensibus carere incipiat. Constat enim, ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, plurimùm valere si ægrotus, cùm in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque & religiosam animi voluntatem afferre potest, Sacro Oleo liniatur.* Hinc patet quàm impudens sit Calvini calumnia, dum scripsit, Lib. 4. Instit. cap. 19. nos *non infirmos, sed semimortua cadavera* nostra *pingvedine inficere, cùm jam jam anima in primoribus labris laborat.*

Ex his inferes 1mo. non esse expectandam ultimam vitæ periodum, quâ homo extremum agit spiritum, ut inungatur, sed præoccupandum esse istud tempus, cùm adhuc infirmus integris est sensibus. Rectè Synodus Lingoniensis anno 1404. *Debent infirmi per omnes honestas vias induci ad recipiendum hoc Sacramentum; & debet eis dici, quod si recusent vel differant recipere, ex eo quòd contemnant Sacramentum, peccant mortaliter; & licèt dicant quòd non faciant ex contemptu, debet tamen dubitari nè malignus Spiritus in extremo decipiat. Dicendum etiam est eis: quòd non debent dubitare quòd per receptionem hujus Sacramenti veniat mors, verùm potiùs veniet utraque sanitas mentis & corporis, si devotè & dignè recipiant.*

Inferes 2do. Nec infirmis qui levi aliqua laborant infirmitate, ex qua mors timeri probabiliter non possit, dandam esse Unct. Extremam: nec infantibus baptisatis, in quibus nullum est peccatum; quia Sacramentum hoc ad expungenda peccata destinatum est: *Si in peccatis fuerit, dimittentur ei.*

Inferes 3tio. Nec dandam iis qui cùm sano sint corpore, probabile vel certum vitæ periculum adeunt; v. g. qui prælium commissuri sunt, aut capite plectendi: quamvis enim illi omnes egeant præparatione ad mortem, non tamen pro illis, sed pro solis ægrotantibus institutum esse hoc Sacramentum, constat ex S. Jacobo, & docet Catechismus Rom. Ratio est tum quia in illis infirmitas mentis non significatur infirmitate corporis, cùm tamen exhibeatur hoc Sacramentum tanquam medicina utriusque; tum quia institutio respicit id quod ordinarium est, nempe homines de morte periclitantes esse infirmos, non sanos.

Inferes 4to. Adhibendam esse Unctionem amentibus, furiosis & arreptitiis, si dum sana mente erant, signa sinceræ, ad DEUM conversionis ostenderint, maximè si anteà Sacramentum exoptas-

exoptassent: si tamen ejusmodi homines nulla haberent lucida intervalla, nec posset ipsis Unctio administrari sinè evidenti periculo irreverentiæ, satius foret eo in casu illos non inungi, cùm Sacramentum hoc non sit absolutè necessarium ad salutem.

Inferes 5to. Non esse denegandam iis Christianis qui subita vi morbi oppressi omni sensu destituuntur, nec suum de peccatis dolorem, ac Sacramenti desiderium significare possunt; eorum quippè perspecta fides videtur non obscurum esse argumentum desiderii eorum; quod si possent, demonstrarent.

Inferes denique eam Unctionem non esse denegandam senibus qui præ decrepita senectute, quamvis nulla urgente infirmitate, in dies morituri creduntur; ipsa enim gravis & annosa senectus infirmitas est morti proxima. Ità Concilium Mediolan. IV. sub S. Carolo, tit. 6. part. 2. *Parochus*, inquit, *Ext. Unctionis Sacramentum sicut his ministrare debet, adultis scilicet periculosè ægrotantibus, propeque moribundis, senio confectis, etiam non ægrotis, in diem morituris: ità istis nè ministret, nempè pueris rationis usu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus, & iis qui mox ultimo supplicio mulctandi sunt.*

---

## CAPUT QUARTUM.

### *De effectibus Unctionis Extremæ.*

Effectus Unctionis Extremæ exponit Tridentin. Sess. 14. Can. 2. his verbis: *Res & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur:* Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &c. *Res etenim hæc gratia est Spiritûs S. cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquiàs abstergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando; qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit; & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.*

Ex eo textu liquet primarium & directum Sacramenti hujus effectum esse gratiam sanctificantem, in ordine ad fines aliquos ejusdem Sacramenti proprios, quos esse quatuor ex eodem textu colligimus; nempè remissionem peccatorum; abstersionem reliquiarum peccati; infirmi levamen contra tædium, corporem

corporem, & incommoda infirmitatis; denique sanitatis corporeæ restitutionem. De his sic generatim expressis consentiunt inter se Catholici, verum in exponendo unoquoque effectu non nihil discrepant.

Quæres itaque 1mo. an Ext. Unctio peccata per se ac directè an solum per accidens remittat. R. Ext. Unctionem per se ac primariò seu vi suæ institutionis remittere peccata.

Prob. 1mo. ex verbis S. Jacobi, *Si in peccatis fuerit remittentur ei.* 2do. Ex Trid. mox citato *Res hujus Sacramenti est gratia Spiritus S. cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, abstergit.* 3tio. Ex forma ipsius Sacramenti, *Per istam unctionem, ac piissimam suam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum,* &c. 4to. Ex SS. Patribus, qui Unctionem infirmorum recensent inter Sacramenta quæ peccata dimittunt. At 1mo. nomine peccatorum hic intelligi debent peccata propriè dicta ratione culpæ, non vero tantum ratione pœnæ, vel aliarum reliquiarum quæ ex peccato sequuntur, quia in usu Scripturæ, à quo sine causa gravi recedere non licet, peccatorum nomine vera intelliguntur quoad culpam peccata; 2do. citata mox testimonia intelligi debent de dimissione non per accidens, sed quæ sit ex ipsa institutione hujus Sacramenti; alias frustra hunc effectum adscriberent Ext. Unctionis cum certum sit alia etiam Sacramenta, quæ vivorum dicuntur, per accidens remittere peccata.

Nec nocet quod S. Jacobus conditionate loquatur, *si in peccatis sit*; namque 1mo. supra observavimus particulam *si* non semper significare conditionem rei incertæ sed concessionem rei indubitatæ: 2do. cum Sacramentum hoc destinatum sit ad delenda etiam peccata mortalia quæ superesse possunt, vel etiam non superesse, meritò dixit Apostolus: *Si in peccatis sit*, innuens quòd si nullum sit in infirmo, cum ungitur peccatum mortale, tunc Unctio & gratiam auget, & venialia expungit & reliquias abstergit peccati. Verum hæc nihil ad praxim. Quid enim refert an per se, vel per accidens justificetur homo, modo constet eum, si benè dispositus sit justificari.

Quæres. 2do. an remissio peccati sit primarius effectus hujus Sacramenti. R. affirm. quia Sacramenta ad bonum spirituale primario ac per se ordinantur.

Quæres. 3tio. quænam peccata per se ac primariò dimittat nostrum Sacramentum; an venialia tantum, an etiam mortalia, R. dissentire ea de re Theologos. Estius, cum multis aliis Thomistis sola venialia; contra Bellarminus, Maldonatus, & alii mortalia etiam peccata directè ac per se per Ext. Unctionem dimitti existimant, quæ postrema sententia vere magis proxi-

ma nobis videtur: tum quia indefinitè pronuntiat S. Jacobus, *Si in peccatis sit, remittentur ei*; & Trident. *Delicta, si quæ sint adhuc expianda abstergit*; tum quia forma ipsa Sacramenti indefinitè quoque ait, *quidquid peccasti per visum*, &c. & aliundè SS. Patres cum de effectu hujus Sacramenti loquuntur non distinguunt inter peccata venialia & mortalia. Porro illa mortalia peccata in quæ vim suam exerit nostrum Sacramentum, ea sunt quæ interdum remanent post omnia alia Sacramenta: *Potest enim fieri* ait Bellarm. hic c. 8. *ut quis post confessionem & communionem in peccatum mortale incidat, & ignoret se eo peccato teneri, unde non poterit illud nova confessione expiare, potest etiam fieri ut confessionem & communionem non ritè peregerit, & hoc ipsum ignoret. Istæ igitur sunt veræ reliquiæ quæ hoc Sacramento tolluntur, nisi quis ponat obicem.* Hinc S. Carolus Borromæus de Ext. Unctione sic loquitur: *Potest fieri ut ignorante eo qui commisit, vel non valente confiteri peccatum mortale remaneat: in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri possit eum per Sacramentum salvari, qui alioqui fuisset damnandus.*

Dices: Ex communi sententia duo tantum sunt Sacramenta mortuorum, quæ nempe mortuis per lethale peccatum vitam gratiæ restituunt, Baptismus scilicet & Pœnitentia. Ergo Ext. Unctio, utpote Sacramentum vivorum, per accidens tantum dimittit peccata mortalia, infundendo gratiam quæ cum illis compati non potest. R. in tribus maxime distingui Ext. Unct. ab aliis duobus *mortuorum* Sacramentis; 1mo. quia Baptismus & Pœnitentia ex sua institutione ac ordinaria lege supponunt in subjecto peccatum mortale, sivè originale, sive actuale, est enim hæc necessaria horum Sacramentorum materia, circa quam occupatur eorum efficacia: at Ext. Unctio non supponit necessario peccatum aliquod mortale. Unde S. Jacobus particulam conditionalem *si* adhibuit ut innueret abhuc Sacramentum nostrum virturem suam exercere, etsi nullum sit in homine cui datur, lethale peccatum. 2do. Baptismus & Pœnitentia in hunc finem sunt à Christo instituta Sacramenta, ut illis homo sanus utatur in decursu vitæ suæ, at Ext. Unctio pro infirmis de quorum vita timetur, instituta fuit. 3tio. Quia Baptismus & Pœnitentia non supponunt antè se alia Sacramenta, per quæ deleatur peccatum mortale, sive originale, sive actuale: at Ext. Unctio ea supponit antè se Sacramenta, atque in Pœnitentiæ duntaxat defectum venit, eaque reliqua peccata delet quæ per Pœnitentiam deleta non sunt.

At, inquies Ext. Unctio datur post absolutionem sacramentalem. Ergo supponit peccata remissa; non ea remittit. Resp. Si

verè

verè remissa sunt, ea non remittit: at si non sunt remissa aut si post illa novum aliquod commissum est peccatum, Ext. Unctio vi sua illud dimittit, si homo sit ut oportet contritus; qua in contritione includitur semper votum peccata hæc, si cognoscerentur, subjiciendi Ecclesiæ clavibus.

Quæres. 4to. quisnam sit secundus Extremæ-Unctionis effectus.

R. hunc ex Trident. in eo esse positum, ut abstergat reliquias peccati hoc est pœnam temporalem, pravas dispositiones ad peccatum, animi torporem debilitatem ex orginali vel actuali peccato provenientem, qua fit ut homo non sit ita promptus ad meditanda cœlestia. Ceterum Extremæ Unctionis gratia omnes illas peccati reliquias non ita abstergit, ut nullæ remaneant, cum in hac mortali vita fieri id non possit, sed saltem hoc efficit Sacramenti gratia, * *ut debilitatæ ac repressæ minus impediant ægrotum ab earum rerum cogitatione quæ ad ipsius salutem pertinent.*

Quæres. 5to. quis tertius sit hujus Sacramenti effectus.

R. esse alleviationem animæ ægrotantis, ex qua magnam in se divinæ misericordiæ fiduciam concipiat, incommoda morbi levius ferat, in spem melioris vitæ quadam interna consolatione erigatur, & diaboli tentationibus facilius resistat. Ita colligitur ex cit. S. Jacobi & Trident. verbis.

Quæres. 6to. an sanitas corporis sit quoque effectus hujus Sacramenti, & an producatur ex opere operato, an vero ex opere operantis.

R. ad 1. affirm. *Et oratio fidei salvabit infirmum*, ait S. Jacobus. *Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur*, ait Trident. Quæ verba *ubi saluti animæ expedierit*, ostendunt conditionatum esse istum effectum. Alii & aliam conditionem apponunt *nisi tam gravis sit morbus, ut ordo naturalis, quem Deus invertere non tenetur, exigat talis infirmi mortem.* Qua duplici conditione supposita, facilè intelligetur cur virtute Sacramenti hujus non semper convalescant infirmi.

Ad 2. Estius respondet Ext. Unctionem operari sanitatem corporis ex opere operantis; unde concludit respectu hujus effectus sacram Unctionem non tam Sacramentum esse, quam aliquid sacramentale, cujusmodi est aspersio aquæ benedictæ &c. Alii respondent, quoties virtute Ext. Unctionis recuperatur sanitas eam ex opere operato produci; ex quo tamen minimè sequitur sanitatem debere semper à Sacramento produci in homine qui cum debita dispositione illud percipit. Namque cum

effectus

* *Estius.*

effectus iste conditionatus sit, non absolutus; secundarius non primarius: necesse non est ut semper sequatur ex Sacramento etiam debite recepto; sed satis est, quod ubi ponitur propter Sacramentum, vi illius, hoc est, ex opere operato ponatur. Quanquam vero contingat sæpius sanitatem restitui via naturali per remedia naturalia, non idcirco deprimenda virtus Sacramenti, quæ remedia ipsa naturalia ad felicem perducit exitum.

# CAPUT QUINTUM

## *De proprietatibus Extremæ-Unctionis.*

PRoprietates Ext. Unctionis sunt necessitas ejus & iteratio

Quæres. 1mo. an & quomodò necessaria sit Ext. Unctio: an necessitate medii, aut præcepti divini, vel Ecclesiastici duntaxat.

R. 1mo. certum est Sacramentum istud non esse necessarium necessitate medii ad salutem. Ratio est, quia lege ordinariâ supponit gratiam justificantem jam infusam per Sacramentum Pœnitentiæ, cujus perfectio est ac consummatio.

R. 2do. Fideles, dum periculosa premit infirmitas, jure Divino & Ecclesiastico, teneri Ext. Unctionem percipere.

Prob. 1. pars 1mo. ex S. Jacobi verbis, quæ sinè fundamento ad merum consilium inflectuntur; cum verba hæc *inducat Presbyteros*, imperantis sint, non consulentis tantum & adhortantis. 2do. Ex primario hujus Sacramenti effectu, qui maximè necessarius est in lucta illa extrema, quem infirmus à dæmone sustinendam habet; tum ex comparatione hujus Sacramenti cum Sacramento Confirmationis; sicut enim peccaret indubiè contra mandatum divinum, qui imminente gravi contra fidem persecutione, non curaret de percipienda Confirmatione, ita & ille qui in periculo vitæ constitutus, non confugeret ad Unctionem sacram, cujus vi præmuniri debet adversus ultimos, sed graviores dæmonis impetus. 3tio. Ex Trident. Sess. 14. c. 3. ubi ait nulla ratione audiendos esse qui docent Unctionem hanc *nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habere ..... & à Fidelibus sine peccato contemni posse.* Supponit igitur Synodus, esse DEI mandatum de sacra Unctione percipienda, nec posse sine gravi peccato contemni, quod expresse

definit

definit Can. 3. ejusdem Sessionis. Porrò qui recusaret, vel non curaret percipere sacram Unctionem, si non animo saltem facto ipso censeretur negligere ac parvi facere effectum ad quem illa destinatur; quæ certè animi dispositio pessima est, ac verum involvit contemptum. Unde Patres Concilii Coloniensis an. 1549. *Ecclesiasticâ sepultura eos privandos esse decernunt, qui infirmitatis suæ tempore Unctionem sacram respuerint, ac contempserint.*

Prob. 2. pars, tum quia Ecclesia vult id omne à suis observari, quod præcepto divino necessarium est; tum quia defacto summa semper cura commendavit istud Sacramentum ut videre est in Origene, Chrysostom. Augustin. Innocentio I. Gregorio I. &c. quæ sollicitudo ad subsequentes ætates promanavit ut patet ex Concilio Mediol. V. parte 1. ubi hæc: *Caveat Parochus, ne in eo Sacramento ministrando negligentiam, ullamve moræ culpam contrahat. Alioquin si ad illius ministrationem accersitus ire neglexerit, rationem Deo reddet & pœna ab Episcopo graviter plectetur.* Ad id autem officii sui intuitu, atque *etiam exemplo sanctissimi Episcopi Malachiæ accendatur, qui tam vehementi animi dolore ex eo affectus est, quod culpa sua mulier quædam, Sacramenti hujus gratia fraudata decesserit, ut totam noctem orando, lacrymando consumpserit, lacrymarumque vi, quasi maximo imbre, pro oleo sancto, quod non ministravit mortuam perfuderit. Manè autem exaudivit Dominus sanctum suum ita ut illa è morte tanquam à somno excitata è lecto se se erigens, Sacramentum hoc ab eo acceperit ac deinceps à morbo convaluerit.* Idem Ecclesiæ mandatum probant omnes Rituales Libri, in quibus ritus administrandi hoc Sacramentum præscribitur.

Quæres 2do. an Ext. Unctio sæpius ab eodem homine percipi possit. R. affirm. prout seculo. 12. adversus Gofridum Vindocinensem, & Yvonem Carnot. tuiti sunt Petrus Cluniacensis, Petrus Lombardus, Hugo Victor. Ratio est 1mo. quia unctio hæc olim in eodem etiam morbo per septem dies repetebatur; ut videre est apud Menardum & P. Martene. 2do. quia licet jam à multis seculis eadem unctio semel tantum in eadem infirmitate ministretur; moris tamen est, ut juxta Trident. sess. 14. c. 3. *Infirmi si post eam susceptam convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari possint, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Confirm. quia ut ait S. Thomas, Lib. 4. contra Gentes cap. 73. *Hujus Sacramenti inunctio ordinatur ad sanandum. Medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur.*

Quæres.

Quæres. 3tio. quæ diſpoſitiones requirantur in eo qui ſacram percipit Unctionem.

R. requiri 1mo. prævіam pœnitentiam & abſolutionem ſacramentalem; 2do. Si quis peccati mortalis *ſibi* conſcius eſt, quod confiteri nequeat, debet de *illo* contritionem habere, cum voto illud confitendi, ubi facultas fuerit; 3tio. *S.* Thomas in Supp. q. 32. art. 4. requirit actualem devotionem, unde danda eſt Unctio cùm infirmus eſt adhuc integris ſenſibus; aut ſaltem ea requiritur devotio, quæ præceſſerit, nec fuerit revocata, priuſquam infirmus ille ratione fuerit deſtitutus.

Circa cæremonias quæ debent obſervari in adminiſtratione hujus Sacramenti, conſulere quiſque debet Librum Ritualem Eccleſiæ, cui addictus eſt, & ſummâ Religione exequi quidquid in eo præſcribitur.



TRA-

# TRACTATUS
# DE
# SACRAMENTO ORDINIS.

SEX Capitibus totam de Ordinis Sacramento disputationem concludemus. Primum erit de existentia Ordinis. II. De ejus essentia. III. De ejusdem causis, id est de materia, forma authore, ministro & subjecto Ordinis; ubi de dispositionibus requisitis, ut quis legitimè ordinetur. IV. De effectibus Ordinis gratia scilicet & charactere: ubi de iteratione Ordinationis. V. De variis Ordinis speciebus. VI. De iis quæ sacris Ordinationibus annexa sunt: ubi potissimum de cœlibatu majorum Clericorum.

## CAPUT PRIMUM.

### *De existentia Ordinis.*

ORdo latissimo sensu juxta August. L. 19. de Civit. c. 13. est *parium dispariumque rerum sua cuique loca distribuens dispositio.*

Propriè ac usu Ecclesiastico nomen Ordinis apud nos significat, 1mo. Ecclesiasticam hierarchiam, in qua varii sunt gradus alii aliis superiores, destinati ad celebrandum Sacramentum Eucharistiæ, aut ejus celebrationi ex officio inserviendum. 2do. Et quidem propriè ad præsens institutum, Ordo significat specialem ritum, quo potestas confertur ad consecrandum Corpus Christi, vel inserviendi ministro consecranti: quo sensu aptius dicitur Ordinationis, quam Ordinis Sacramentum; quia in actione transeunte ordinantis positum est, non in re permanente.

Græci Ordinationem appellant manus extensionem & porrectionem, quia olim Ministri Ecclesiæ eligebantur per manus extensionem, quæ signum erat suffragii; & etiam per manus impositionem consecrabantur.

Ordo definitur, *Sacramentum novæ Legis à Christo institutum, quo specialis quædam ac spiritualis potestas traditur, & gratia confertur ad sacrum Corpus Christi consecrandum, & debite obeunda munia Ecclesiastica.* Verba hæc *Sacramentum novæ Legis à Christo institutum,* tenent locum generis. Isthæc verò, *quo specialis potestas traditur,* &c, discrimen Ordinis ab aliis Sacramentis designant. Hæc demum, *quo gratia confertur ad sacrum Christi Corpus consecrandum* &c. exhibent effectum, & finem sacræ Ordinationis; quilibet enim Ordo suo modo ac gradu refertur, tanquam ad præcipuum finem ad Eucharistiæ consecrationem.

Jam expendendum: an admitti debeat Ordo hierarchicus, seu sacra hierarchia, hoc est status quidam Ministrorum Ecclesiasticorum à statu populari seu Laicorum distinctus. Negarunt Wiclefus, Lutherus & Calvinus, qui nullam agnoscunt Laicorum & Clericorum institutione divina distinctionem, sed Christianos omnes ex seipsis, & quantum ad radicalem authoritatem Sacerdotes esse, ac Evangelii Ministros contendunt: quanquam fateantur exercitium potestatis hujus quæ omnibus communis est Ecclesiastica lege ad eos solos pertinere, qui à populo seliguntur ac deputantur. Fundamentum hujus erroris istud est, omnem scilicet jurisdictionis Ecclesiasticæ authoritatem, toti Ecclesiæ seu societati Fidelium, quæ Laicos etiam complectitur, in communi concessam fuisse, quam Pastores nonnisi de consensu populi tanquam Vicarii ab ipso delegati exercere possunt. Ad hanc doctrinam plenis velis accedit Quenellus Propositione 90. ubi ait, Ecclesiam potestatem habere excommunicandi, per primos Pastores exercendam de consensu saltem præsumpto totius corporis, id est, ipsius etiam populi qui ad corpus Ecclesiæ pertinet. Eandem sententiam non obscure amplectitur Richerius Tractat. de Ecclesia & civili potestate. Quantum doctrina hæc noxia sit non tantum spirituali Pastorum Ecclesiæ sed & temporali Principum auctoritati satis intelligitur. Sit

CONCLUSIO. Existit sacra hierarchia, in qua varii divina institutione deputantur ministri ad Sacra obeunda & dispensanda Fidelibus Sacramenta; eaque à Laicorum statu omnino distincta est.

Prob. ex Scripturis. Et quidem 1mo. In veteri Lege sola Tribus Levi à DEO electa fuit ut munia sacerdotalia exerceret aliis omnino exclusis. Quapropter Ozias leprâ percussus est, Dathan & Abiron vivi terræ hiatu absorpti, quod cum essent ex aliena Tribu rebus Religionis tractandis se se immiscere voluerint. Ergo Sacerdotium tunc temporis speciali familiæ addictum erat & à

reliquorum Judæorum statu omnino distinctum. Atqui sacerdotium novæ Legis veteri infinite præstantius debuit à fortiori à populari statu distingui.

2do. Christus singulari ratione Apostolos ac Discipulos elegit, ac Ministros Evangelii inauguravit, per insufflationem & & traditionem Spiritus sancti: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Joan. 20. & *per impositionem manuum*, 2. Timot. 1. Atqui singularis ille ritus ordinandi ministros, specialem denotat statum à communi plebis statu prorsus segregatum.

3tio. Ipsi Apostoli se DEI ministros, positos à Spiritu S. ad regendam Ecclesiam declarant. 2. Cor. 3. *Idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti.* Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu,* &c. Sed qui à Christo eliguntur in Ministros, qui assumuntur in Pontifices, ut assumptus est ipse Christus, ii certè non ab hominibus, sed à solo DEO deputantur.

Prob. 2do. ex perpetua Ecclesiæ Traditione & praxi qua constat 1mo. Clericorum ordinem semper segregatum fuisse à conditione Laicorum; 2do. Inter ipsos Clericos subordinationem agnitam fuisse, nempe Rom. Pontificis tanquam visibilis Capitis Ecclesiæ supra alios Episcopos, Episcoporum supra alios Sacerdotes, Sacerdotum supra Diaconos; eorumque singularia fuisse ac distincta officia. Et id pluries impense commendat vir Apostolicus S. Ignatius Martyr, maximè vero in Epist. ad Trallianos, *Necessarium est*, inquit *ut sine Episcopo nihil agatis, sed & Presbyteris subditi sitis ut Apostolis Jesu Christi.*

Prob. 3tio. ex Trid. Sess. 23. c. 2. *Si quis dixerit præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines majores & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.* Et can. 6. *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis Presbyteris & Ministris, anathema sit.*

Objectiones petitas ex his 1. Petri 2. verbis, *Vos .... Regale Sacerdotium;* & ex Tertulliano, solvimus in Tract. de Eucharist. Part. 1. C. 5.

CAPUT

# CAPUT SECUNDUM.

## *De essentia Ordinis.*

NEgant Lutherani & Calvinistæ Ordinem esse Sacramentum affirmant omnes Orthodoxi. Sit

CONCLUSIO. Ordo seu Ordinatio verum est novæ Legis Sacramentum.

Prob. Tria necessaria sunt ad verum Sacramentum 1mo. Signum exterius ac sensibile; 2do. Promissio gratiæ ipsi annexa; 3tio. Divina institutio seu DEI mandatum. Atqui tria hæc in sacra ministrorum Ordinatione occurrunt. 1mo. Signum sensibile, in manuum impositione tanquam materia & oratione tanquam forma, ut patet ex Act. 13. ubi de Ordinatione Pauli & Barnabæ dicitur *Tunc jejunantes & orantes imponentesque manus dimiserunt illos.*

2do. Huic manuum impositioni & orationi annexam esse gratiam declarat Apostolus 2. ad Tim. 1. v. 6. *Admoneo te ut ressuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Et vero cum Christus Joan. 20. Apostolis potestatem concessit dimittendi peccata, his usus est verbis, *Accipite Spiritum S. &c.* Porro Spiritûs S. nomine hic sanctificans gratia intelligitur.

3tio. Mandatum seu institutionem Christi habemus Act. 13. ubi *Spiritus S. jussit sibi segregari Paulum & Barnabam in opus ministerii.* Quod & semper fecit Ecclesia.

Reponunt Novatores 1mo. Manus impositionem fuisse frequentem apud Judæos ritum, quo ad alios longe fines quam ad perficienda Sacramenta utebantur. Christus ipse manus imponebat super ægros ad sanitatem corporis eis restituendam Marci 16. 18. R. hoc unum inde sequi non omnem manus impositionem semper fuisse verè sacramentalem; sed nullam talem fuisse, quis sanus inde inferat, cum ipsi anexam videamus, locis mox citatis, gratiæ promissionem? Perinde est ac si quis diceret: Judæi frequenter lavabant se ac baptisabant, qui baptismus Sacramentum non erat Ergo nec verum Sacramentum fuit Baptismus à Christo institutus. Quam distorta consecutio!

Reponunt 2do. iidem gratiam quæ manuum impositioni annexa legitur ad eam speciem referri debere quæ gratis data vocitatur; hoc est ad dona miraculorum, linguarum, prophetiæ, &c.

&c. Probant quia cap. 4. I. ad Timotheum Apostolus ait gratiam illam datam fuisse per *prophetiam* id est omnino ad utilitatem aliorum. R. vanam esse istam Novatorum evasionem exponit enim ibid. Apostolus, quæ gratiæ species Timotheo data fuerit per manuum impositionem. *Non* inquit *dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis dilectionis & sobrietatis.* Quæ gratia vere interna est data in sanctificationem ejus qui debitè ordinatur. Istud verò *per prophetiam*, significat vel donum prophetiæ simul Timotheo concessum fuisse cum gratia sanctificante vel sensum hunc habet: Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum te ordinavi Episcopum *secundum præcedentes prophetias*, ut ait ibid. c. 1. v. 18. hoc est, juxta revelationem mihi à Deo factam, ut te in Episcopum consecrarem.

Prob. 2do. Conclusio ex perpetua Ecclesiæ traditione qua constat Ordinationem pro vero Sacramento semper habitam fuisse. In re tam certa duo proferemus ex SS. PP. testimonia, S. Ambrosius vel quivis alius Lib. de dignitate Sacerdotali c. 5. *Quis dat Episcopalem gratiam? Deus an homo? Respondes sinè dubio. Deus; sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manum, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera: Episcopus initiat ordinem, Deus tribuit dignitatem.* S. August. L. 2. contra Parmen. c. 13. loquens de Baptismate & Ordine: *Utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat ... neutri Sacramento injuria facienda est.* Hinc Ordo non minus Sacramentum est quam Baptismus.

Hanc Ecclesiæ Traditionem confirmavit Trid. Sess. 23. Can. 3. *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei & Sacramentorum, anathema sit.* Doctrinā hanc c. 3. ejusd. sess. exponit Concilium.

---

# CAPUT TERTIUM.

## *De causis Ordinis.*

DICEMUS 1mo. De materia & forma, 2do. De authore & Ministro 3tio. de subjecto Ordinis.

Circa primum maximè controvertitur de manus impositione & porrectione instrumentorum tanquam materia; & oratione tanquam forma. Ex Theologis alii solam manus impositionem & orationem assignant pro materia & forma essential

Ordinationis; instrumentorum verò porrectionem cum verbis adjunctis aiunt esse materiam & formam duntaxat accidentalem aut integralem ad majorem scilicet potestatis concessæ significationem. Alii solam instrumentorum porrectionem cum verbis adjunctis, ipsam vero manus impositionem aut non distingunt à porrectione instrumentorum quæ manu porriguntur, aut non essentialem, sed accidentalem duntaxat esse affirmant. Alii denique tum manus impositionem cum oratione tum porrectionem instrumentorum cum verbis adjunctis tanquam partes essentiales Ordinis admittunt. Sit

Conclusio I. Materia essentialis Sacramenti Ordinis est manûs impositio, forma vero oratio.

Prob. Ea materia essentialis est Ordinis Sacramento, cujus expressam mentionem facit Scriptura, quam Ecclesia tum Græca, tum Latina usu nusquam interrupto usurpavit in sacris Ordinationibus: atqui, &c. Act. 6. sic refertur Ordinatio septem Diaconorum: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* & cap. 13. de Ordinatione Pauli & Barnabæ: *Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Apostolus ipse 1. Timoth. 4. *Noli*, ait, *negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii.*

Prob. 2do. ex universæ Ecclesiæ usu, Conciliis, SS. Patribus, omnium fermè Ritualium Libris confirmato. Plura eam in rem testimonia congeri possent: unum hic sufficiet ex Conc. IV. Carthag. an. 398. à quo omnium disertissimè declaratur ritus inaugurandi Ecclesiæ ministros. cap. 2. *Episcopus* inquit, *cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* Cap. 3. de Ordinatione Presbyteri sic statuit, *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Cap. 4. de Ordinatione Diaconi hæc habet, *Diaconus cùm ordinatur solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat.* In his Ordinationibus sola usurpatur manus impositio. Cap. vero 5. solus Subdiaconus, quia manus impositionem non habet, per instrumenta ordinatur. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum,* &c. Atqui in his textibus istud discrimen statuitur inter sacras Episcoporum Presbyterorum, & Diaconorum Ordinationes, & Ordinationem Subdiaconorum, quod isti per

instrumenta; alii verò per impositionem manuum inaugurarentur: Ergo Judicio Patrum Carthag. manuum impositio essentialis est materia sacrarum Ordinationum. Accedit & Trid. Sess. 14. c. 3. ubi ait *Episcopos aut Sacerdotes rite ordinatos per impositionem manuum Presbyterii, Ministros esse Sacramenti Extr. Unctionis.*

Obj. 1mo. in Decreto Eugenii IV. pro Armenis, nulla prorsus fit mentio impositionis manuum, sed unius traditionis instrumentorum, ubi materia Ordinis præscribitur. R. mentem Eugenio non fuisse, essentialem, quæ Armenis nota erat Ordinationis materiam referre, sed eam duntaxat, quæ expressius finem & effectum Ordinationis explicat, qualis est porrectio instrumentorum, & de qua utpote sibi ignota potissimum informandi erant Armeni, qui Rom. Ecclesiæ uniri postulabant quos idcirco ad Pontificale Romanum Eugenius remittit in quo expressa mentio fit impositionis manuum in sacris Ordinationibus perficiendis.

Obj. 2do. Innocentius III. cap. *Pastoralis.* Extra. *De Sacramentis non iterandis.* & Greg. IX. ibidem cap. *Presbyter*, asserunt *iterandam non esse Ordinationem factam sinè manus impositione, sed supplendum esse quod omissum fuit.* Addit Gregorius IX. *impositionem manuum esse ritum ab Apostolis introductum.* R. cum Bellarmino hic cap. 9. ea Sanctorum Pontificum Decreta nostræ sententiæ favere potius, quam nocere. *Quod enim*, inquit, *nolint repeti ceremonias ritè peractas & tamen suppleri quod est omissum, indicat eas ceremonias posse dividi, & dari diverso tempore, & efficaces esse quocumque tempore dentur. Quod autem Gregorius dicit, manus impositionem esse ritum ab Apostolis introductum, non sic debet accipi, quasi Apostoli hunc instituerint, sed quia ipsi primi cœperunt illum usurpare in Ordinationibus.* Dici etiam possit cum Hallerio, Innocentii ac Gregorii mentem esse ut in Sacramentis cum essentialia omissa sunt, accidentales ceremoniæ ritè adhibitæ non iterentur; cum verò accidentalia omissa sunt, essentiales ritus non repetantur. Et ita si cui, dum ordinaretur, instrumenta tradita sunt manus autem imposita non fuerit, non esse necesse ut de novo instrumenta ipsi porrigantur, sed tantum ut manus ei imponatur. Addit eo in casu cum manus impositione simul repetendam formam, quæ illam comitari debet, ne longiori intervallo temporis dissita à materia, nullum redderet Sacramentum.

Obj. 3tio. Pontificale Rom. eos qui manûs impositionem suscepêre, *Ordinandos* vocat; post instrumenta autem porrecta, *Ordinatos.* ergo non censentur illi Ordinati per solam manus

impositionem. R. sivè porrectio instrumentorum pro essentiali habeatur, sivè pro accidentali aut integrali; meritò Ordinatos non appellari eos quibus hæc instrumenta porrecta non fuerunt, quia ritus omnes ab Ecclesia præscripti necessariò sunt observandi.

Conclusio. II. Instrumentorum traditio seu porrectio cum verbis adjunctis omninò retinenda est.

Prob. Ille ritus sedulo retineri debet, quo Ecclesia Latina à septingentis ad minùs annis utitur, quem Ordo Romanus, omnes ferè Rituales Libri ac Instructio Eugenii IV. præscribunt, qui denique apertius exprimit uniuscujusque Ordinis finem & effectum. Atqui traditio, &c.

An autem ritus ille sit essentialis non ita constat. Negant plures. 1mo. Quia ea materia non est essentialis sed integrans duntaxat, ad clariorem acceptæ potestatis declarationem cujus neque Scriptura meminit, nec ullus in Ecclesia Latina usus deprehenditur per decem priora secula, qua etiamnum caret Ecclesia Græca; unde ex duobus unum sequitur, aut nullas fuisse apud Latinos per decem secula, & etiamnum esse apud Græcos Ordinationes, defectu traditionis instrumentorum aut illam traditionem ad essentiam Ordinis non pertinere; 2do. Manus impositio & oratio in Scripturis memorata signum est exterius sufficiens ad Sacramentum perficiendum. Nihil ergo tanquam essentiale ulterius addendum est. 3tio. Partes Sacramentorum essentiales debent esse fixæ & immutabiles. Unde Syn. Trid. Sess. 21. c. 2. docet *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse ut in Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret quæ magis expedire judicaret.* Atqui si traditio instrumentorum haberetur pro parte essentiali Ordinationis, materia hujus Sacramenti nec constans fuisset, nec immutabilis, cum per decem priora Ecclesiæ secula in usu apud nos non fuerit, nec etiam hodie in usu sit apud Græcos.

Hæc tamen quoad Græcos ipsos difficultate non carent, ut aliquando videbimus. Interim ne quis anxius sit circa veritatem collatæ Ordinationis, necesse est, ut in praxi ea omnia sedulò observentur, quæ præscribit Ecclesiæ usus, & si quid omissum fuerit, cautè suppleatur.

### §. I. *De Authore & Ministro Ordinis.*

Certum est ex alibi dictis omnia novæ Legis Sacramenta à Christo instituta fuisse. Rectè igitur Trid. Sess. 23. can. 3. *Si quis dixerit Ordinem seu sacram Ordinationem non esse verè ac propriè dictum Sacramentum a Christo Domino institutum*

*tum, anathema sit.* Et verò Christus per semetipsum Apostolis suis, eorumque successoribus, Episcopis potestatem & gratiam Ordinis concessit cùm Luc. 22. in ultima Cœna post sumptam Eucharistiam dixit: *Hoc facite in meam commemorationem;* sic eos Sacerdotes instituens, ut docet Trid Sess. 22. c. 1. & Joan. 20. v. 23. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* His ergo quæ aperta sunt, omissis, videndum quis sit Ordinis Minister.

Duplex porro distinguitur sacræ Ordinationis minister unus ordinarius ex officio, & ex institutione Christi, qualis est solus Episcopus; alter extraordinarius, ex delegatione seu cōmissione, qualis est simplex Sacerdos. Cùm autem inter Ordines Ecclesiasticos alii sunt sacri superiores & hierarchici, Episcopatus scilicet Presbyteratus, & Diaconatus, alii verò inferiores nec sacri nec hierarchici; quæritur quis ordinarius sit sacrorum Ordinum minister an solus Episcopus; an ex dispensatione simplex Sacerdos extraordinarius minister esse possit, si non superiorum, saltem inferiorum Ordinum.

Novatores ut antea monui, totam Ordinationis potestatem in communitate, tanquam in fonte residere docent; Ministris verò tanquam delegatis solum externum ministerii exercitium conferunt. Contrà Catholici communi suffragio docent: solos Episcopos ministros esse ordinarios sacrarum Ordinationū, non modò quo ad exercitium, sed etiam quo ad internam potestatem, quæ per consecrationem ipsis confertur. At inter se disputant an simplex Sacerdos possit ex delegatione minores Ordines conferre. Sit

CONCLUSIO I. Soli Episcopi jure divino sunt ministri sacrarum Ordinationum.

Prob. 1mo. quia non alii, quàm Episcopi, sacros Ecclesiæ ministros ordinasse referuntur in Scripturis: Ii soli septem Diaconis manus imposuerunt, Act. 6. soli Paulus & Barnabas per singulas Ecclesias Presbyteros constituunt ibid. 14. v. 22. solus Paulus Timotheum ordinavit, 2. ad ipsum Epist, 1. v. 6. & c. 4. v. 12. prioris ad eundem epist.. *Noli*, ait, *negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii* Nomine verò *Presbyterii*, Interpretes, præsertim Græci, intelligunt cœtum Episcoporum. *Non de Presbyteris*, ait S. Chrysost. *hic loquitur, sed de Episcopis: neque enim profectò Presbyteri ipsum* [Timotheum] *ordinaverant.*

Prob. 2do. ex Traditione. 1mo. Enim Synodus Alex. an. 319. purgans Athanasium à crimine confracti apud Ischyram Calicis, probat Ischyram illum nunquam presbyterum fuisse, utpotè qui à Collutho, non Episcopo, sed simplici Sacerdote

 ordinatus

ordinatus fuerat: Atqui hæc S. Synodi probatio demonstrat solos Episcopos Ordinationis Ministros esse. 2do. S. Epiphanius hæresi 75. Aerium velut hæreticum refellit, eò quòd Presbyteros Episcopis in potestate ordinandi coæquaret. 3tio. S. Hieronymus Epist. 101. *Quid facit excepta Ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Agnoscit ergo istud Episcoporum singulare privilegium esse, ut sacras Ordinationes perficiant. Denique Trid. Sess. 23. Can. 7. sic pronuntiat: *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam quam habent illis esse cum Presbyteris communem; anathema sit.*

Obj. 1mo. Apostolus I. ad Timoth. 4. *Noli*, ait *negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii;* ergo Presbyteri simul cum Episcopis manum imponebant, & alios consecrabant Presbyteros, imò & Episcopos, quod & praxis hodierna demonstrat. R. nomen *Presbyterii* ab Apostolo citato loco usurpari pro consessu Episcoporum: manûs autem impositio, quæ fit à Presbyteris cùm ordinantur Presbyteri, sacramentalis non est, sed tantùm ceremonialis, ad fraternitatem cum Presbyteris de novo consecratis demonstrandam.

Obj. 2do. Concilium Nicænum I. in epist. ad Ecclesiam Alexandrinam statuit, ut iis qui à Meletio fuerant ordinati sed ejus schismati nòn adhæserant, potestas concederetur, *ordinandi & eos, qui Clero digni fuerint, nominandi.* Ergo simplicibus Presbyteris inerat potestas ordinandi. R. potestatem illam *ordinandi* in hoc uno positam fuisse, ut Clericis hujusmodi licitum foret, non quidem consecrare ministros Ecclesiæ, sed suo suffragio confirmare electionem ministrorum factam à populo, etiam non expectata ceterorum de Clero approbatione, quo jure privantur alii Clerici, qui Meletiano schismati adhæserant.

Obj. 3tio. Synodus Ancyrana Can. 13. ait Chorepiscopis non licere Presbyteros & Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis, sinè mandato Episcopi. Ergo, saltem de licentia Episcopi, Presbyteri civitatis poterant Presbyteros & Diaconos ordinare. R. versionem hujus Canonis mendosam esse, imò & mendosum fortè Canonem, qui sic legendus est, *sed nec Presbyteris civitatis sinè Literis Episcopi, in unaquaque Parochia aliquid agere.* Quæ interpretatio consentanea est veteri disciplinæ, qua cautum erat ne Presbyteri Episcopo præsente nisi juberet, ministerium suum exercerent.

Conclusio. II. Simplex Sacerdos, ex S. Pontificis vel Ecclesiæ dispensatione, potest conferre Tonsuram minores Ordines & Subdiaconatum, non autem alios Ordines.

Prob.

Prob. 1. pars, 1mo. Quia minores Ordines & Subdiaconatus institutionis sunt Ecclesiasticæ, ut infra dicetur. Ergo pro jure suo potest Ecclesia simplici Presbytero permittere, ut Ordines illos minores cum Subdiaconatu administret. 2do. quia in Synodo Generali VII. concessum est Abbatibus, dummodò Presbyteris, & ab Episcopo per manus impositionem benedictis, ut Lectores in suo duntaxat | Monasterio constituant: quod privilegium confirmat Synodus Trid. Sess. 23. de reform. cap. 10.

Prob. 2. pars, quia non alios sacrarum Ordinationum ministros assignant Scriptura & Traditio, quam Episcopos specialiter ex institutione divina ad hoc ministerium destinatos; sed quæ sunt institutionis divinæ, & pendent à speciali charactere, iis solis communicari possunt, quos divina voluntas in Scripturis expresse assignat, & qui tali charactere seu potestate instructi sunt. Et verò si Christus Ecclesiæ potestatem reliquisset dispensandi cum simplici Presbytero, ut alios Presbyteros creare posset, otiosa per tot sæcula mansura non fuisset; præsertim cum occasiones hac potestate utendi millies olim sese obtulerint, cum Episcopi laterent in cryptis, quærerentur ad necem, & vetarentur Episcopos ordinare, ut iis sublatis tota Ecclesia ( si fieri posset) deficeret: Atqui tamen toto illo calamitoso tempore non legimus concessam Presbyteris facultatem alios Presbyteros ordinandi.

Obj. 1mo. Eugenius IV. in Decreto Armeno, ait Episcopum ministrum esse ordinarium Sacramenti Ordinis: Atqui hæc innuunt simplicem Presbyterum esse posse ministrum extraordinarium; sicut cùm in eodem Decreto asserit ministrum ordinarium Confirmationis esse Episcopum, censetur existimasse simplicem Sacerdotem ex delegatione posse ejusdem Sacramenti ministrum esse extraordinarium. R. neg. min. Ideò enim Eugenius asserit Episcopum esse ministrum *ordinarium* Ordinis quia cum ibidem Subdiaconatus expressam, minorum verò Ordinum mentionem saltem implicitam fecisset, nisi vocem hanc *ordinarium* loquens de Ordinis ministro, usurpasset, visus fuisset negare simplices Sacerdotes posse ex delegatione conferre minores Ordines & Subdiaconatum, quod quidem inter Theologos controversum esse sciebat S. Pontifex, atque nè ulli parti præjudicium inferret, Episcopum dixit *ordinarium* Ordinis ministrum, relicta libertate sentiendi, simplices Presbyteros delegari posse ut sint ministri extraordinarii, non quidem sacrorum Ordinum, sed minorum, & Subdiaconatus. Dispar autem hic ratio est ministri Confirmationis & Ordinis in mente Eugenii, in eo quod noverat S. P. extare quædam

exempla Confirmationis à ſimplicibus Presbyteris ex privilegio collatæ: quapropter cum dixit Epiſcopum eſſe illius ordinarium miniſtrum, ſupponere videtur ſimplices ſacerdotes aſſumi poſſe ut ſint miniſtri extraordinarii; at nulla ipſi ſuppetebant exempla ſacrarum Ordinationum, quas ſimplex Sacerdos contuliſſet.

Obj. 2do. Innocentius VIII. an. 1489. Abbati Ciſtercienſi facultatem dedit ſuis Monachis conferendi Diaconatum & Subdiaconatum; *ne Monachi extra clauſtrum hinc inde diſcurrere cogantur*, Bullam hanc ſe legiſſe, ac in Collegio Complutenſi aſſervari teſtatur Vaſques in 3. p. diſp. 243. c. 4. R. ex monumento dubiæ prorſus fidei, nihil certum colligi poteſt. porrò multa ſunt quibus ſuſpecta redditur fides illius Innocentii VIII. Bullæ. 1mo. Hæc non extat in Bullario Romæ edito, nec ullum illius authenticum exemplar profertur. 2do. In prima hujus Bullæ parte ſeu ſupplicatione Abbas Ciſterc. hoc unum poſtulat, ut ſibi renovetur privilegium Monachis ſuis conferendi Tonſuram & minores Ordines. Porrò SS. Pontifices non *ultra petita* concedunt. 3tio. Eadem Bulla graviſſimis Authoribus admodum ſuſpecta eſt, puta Navarro. Hallerio, qui notat Ciſtercienſes hoc privilegio nuſquam uſos fuiſſe. 4to. Pius V. in ea Bulla qua Præmonſtratenſibus Subdiaconatus conferendi facultatem denegat, non ultra eumdem Subdiaconatum extendit Ciſtercienſium privilegium. Et Victoria dum ſcribit ſe vidiſſe Bullam, quâ Ciſtercienſi Abbati conceditur jus Subdiaconatus conferendi, ſatis indicat nullam in ea de Diaconatu mentionem fieri.

Obj. 3tio. Qui poteſt majus, poteſt & minus: Atqui Presbyter poteſt aliquid majus jure ordinandi, nempe Euchariſtiam conſecrare, & remittere peccata. R. diſt. maj. qui poteſt majus in eodem genere ſeu ordine, C. ſic qui poteſt graviora peccata remittere, poteſt & leviora: Qui poteſt plus in diverſo genere, N. Nam plus eſt peccata remittere, quam v. g. ſuſcitare mortuos, ſolem ſiſtere, &c. atqui tamen iſta non poſſunt Presbyteri.

Ut ſolvantur variæ difficultates.

Quæres. 1mo. an à quocumque Epiſcopo liceat Ordines percipere. R. negat. *Unuſquiſque* ait Trid. Seſſ. 23. de reform. cap. 8. *à proprio Epiſcopo ordinetur. Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis reſcripti vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur; niſi ejus probitas ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione,*

ne,

*ne, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Id autem sancitum est, 1mo. ad pacem & concordiam inter Episcopos servandam. Nemo ignorat quantùm dissidii excitaverit Ordinatio Origenis, inter Demetrium Alex. cujus in Ecclesia Lectoris officium exercuerat, & Theoctistum Cæsareensem & Alexandrum Jerosolymitanum, à quo Presbyter fuerat ordinatus inconsulto Demetrio; 2do. ad reverentiam Sacramenti, nè fortè, si indignus sacram, suffuratus fuerit Ordinationem, scandalo sit Fidelibus, & ab infidelibus aut Hæreticis blaspshemetur nomen Christi.

Quæres. 2do. quis sit proprius Episcopus à quo percipienda est Ordinatio. R. triplicem in Jure distingui; nempe originis, Beneficii & domicilii. Ita Bonifacius VIII. cap. *Cum nullus. De temp. Ordinationis.* in 6. Episcopus originis ille est, cujus in Diœcesi quis natus est, *modo non ex accidenti, nempe ratione itineris, legationis,* &c. Ita Innoc. XII. Episcopus domicilii ille est in cujus Diœcesi aliquis ita commoratur ut perpetuo manendi, nec in locum originis suæ remeandi gerat animum. Unde qui studiorum causa in aliqua Academia commorantur hinc absoluto studiorum stadio discessuri; pariter qui ad aliquod tempus Reipublicæ causa alibi versantur, propriè his in locis domicilii jus non habent. Episcopus Beneficii, ex laudato c. *Cum nullus* ille est in cujus Diœcesi aliquis Beneficium obtinet, etiam simplex & modicum. Cavendum autem nè, quod pluries nuper in Diœcesibus N. & N. contigit per fraudem Beneficium conferatur vel obtineatur: si enim Episcopus alieno Clerico conferat Beneficium, animo sibi illum addicendi; vel ipse Clericus, ut proprii Episcopi examini se subducat, in aliena Diœcesi Beneficium adipiscatur, tam ordinans quam ordinatus incurrunt pœnas à Jure latas. Ita S. Congregatio Conc. Trid. interpres respondit ad consulta Episcopi Cadurcensis an. 1662. Hic notand. Episcopos Gallic. in Comitiis an. 1657. ad vitandas fraudes, inter se ordinasse ut ab uno duntaxat Episcopo originis ordinatio percipi possit.

Quæres. 3tio. possitne Episcopus ordinare familiarem suum sibi non subditum? R. posse, modò non fiat in fraudem proprii Episcopi, ac per triennium familiaris ille apud Episcopum commoratus sit, & Beneficium ab ipso habeat. Ita Trident. Sess. 23. cap. 9. de reform.

Quæres. 4to. an possit Episcopus suos subditos in aliena Diœcesi ordinare absque licentia Ordinarii. R. non posse quia non potest in aliena Diœcesi Pontificalia exercere, sine licentia Ordinarii loci. Trident. Sess. 6. de refor. c. 5.

Quæres. 5to. quo ab Episcopo Regulares ordinari debeant? R. de

R. de his ſic ſtatuiſſe Concilium Burdigalenſe. an. 1624. tit. de Ordine, prope finem. *Superioribus Monaſteriorum in quibus Religioſi fixam & firmam commorandi ſedem habeant prohibemus, nè literas dimiſſorias Religioſis ſuis, ut à quocumque ordinentur, concedant; ſed à ſuo Pontifice, aut ab alio de ejus licentia ordinandos eſſe duntaxat decernimus; eos verò, qui pro inſtituto ad varia domicilia certis temporum intervallis transferuntur, cum Literis Provincialium ſuorum de voto religionis emiſſo fidem facientibus, ab Ordinario loci, in quo pro tempore degunt, admitti tantum præcipimus; ab aliis nusquam, niſi atteſtatione præhabita à Pontifice loci, ſeu ejus Vicario generali obtenta, qua, cur apud ſe nequiverint ordinari perhibeatur.* Nec obſtat Bulla Pii V. *Etſi Mendicantium.* Quia hæc per Gregorium XIII. revocata fuit.

Quæres. 6to. quid ſint Literæ dimiſſoriæ; ad quos pertineat eas concedere, & quomodò vim habere deſinant. R. Literas dimiſſorias ſic dici, quod per eas Clericus à ſuo proprio Epiſcopo dimittitur, ac libera ipſi datur facultas Ordines ab alio Epiſcopo ſuſcipiendi. Porrò ad Epiſcopum pertinet ex Trid. Seſſ. 23. cap. 3. de reform. ut Literas illas ſuis ſubditis concedat. Idem poteſt Vicarius generalis, modò tamen ſpecialem ab Epiſcopo conceſſionis ejuſmodi facultatem acceperit. At Capitulum, Sede vacante, nonniſi anno elapſo à die obitus Epiſcopi, dimiſſorias dare poteſt, niſi quis occaſione Beneficii Eccleſiaſtici recepti aut recipiendi ſit coarctatus. Ita Trid. Seſſ. 7. de reform. cap. 10. ceterum non extinguuntur Literæ illæ dimiſſoriæ per mortem Epiſcopi à quo datæ ſunt, ut conſtat ex cap. *Si gratioſe, De reſcriptis.* in 6. Et ratio eſt, quia quæ ſunt gratiæ, non ceſſant per mortem concedentis.

Quæres. 7mo. utrum proprius Epiſcopus cogi poſſit in foro exteriori, ut & Laico Tonſuram, & Clerico ſacram Ordinationem conferat, ſive iſte Beneficium habeat, cui annexus ſit Ordo, ſive non habeat; ſive ſit occulti criminis reus, ſive non. R. negat ex Trid. Seſſ. 14. cap. 1. Ratio eſt, quia quæ ex gratia conceduntur, denegari poſſunt: atqui Ordinatio ad forum gratioſum pertinet, nec recuſatæ Ordinationis cauſam ullam allegare tenetur Epiſcopus, qui ſoli Deo ea in re rationem redditurus eſt. Quid enim ſi occultum alicujus Cleri facinus cognoverit, an illud publicè declarare tenebitur unde ſcandalum patietur Eccleſia? abſit.

Quæres. 8vo. quæ pœnæ ſtatutæ ſint in Jure adverſus eos qui vel alienos ordinant ſinè licentia proprii Epiſcopi, vel ab alienis ordinantur. R. cum. Trid. Seſſ. 14. cap. 2. *Contrafaciens ab exercitio Pontificalium per annum; taliter verò promotus*

*ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.* Quæ autem sit hujus censuræ vis patet ex Bulla *Cum ex Sacrorum* à Pio II. data an. 1461. ubi hæc: *Ordinamus quod omnes & singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, sive extra tempora à Jure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque dimissoriis literis ..... ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoveri, à suorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint; & si hujusmodi suspensione durante, in iisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea ultra alias pœnas in tales generaliter à Jure inflictas, Beneficiis Ecclesiasticis possint jure privari.*

### §. II. *De subjecto Ordinationis.*

Quæritur 1mo. an solus homo viator & baptisatus sit capax Ordinationis; 2do. an infantes amentes, aliique rationis usu destituti possint valide ordinari; 3tio. an ordinari possit omnino invitus; 4to. an mulieres sint Ordinationis capaces; 5to. an Hæretici, scelerati, indocti, validè ordinari possint.

Conclusio I. Solus homo, isque baptisatus capax est Ordinationis recipiendæ.

Prob. 1. pars, quia solis hominibus dictum est Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Lucæ. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Matth ult. *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos &c.* de solis pariter hominibus Apostolus, Hebr. 5. dixit: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.*

Prob. 2. pars quia Baptismus omnium est Sacramentorum janua. Perpetua hæc fuit Ecclesiæ praxis; quapropter Can. 9. Concilii I. Nicæni statuitur, Paulinianistas, qui Baptismi formam adulterabant, rebaptisandos esse, & eos qui ab illis Clero cooptati fuerant reordinandos esse. Idem sanxit Innoc. III. occasione cujusdam, qui cum baptisatus non fuisset nihilominus sacerdotii gradum obtinuerat, Vid. c. *Veniens. de Presbytero non baptisato.*

Conclusio. II. Verisimilius videtur non tantum illicitam esse (quod omnes fatentur) sed prorsus nullam Ordinationem, quæ infantibus ante rationis usum, & amentibus daretur.

Prob. 1mo. quia nec in Scripturis, nec in toto Traditionis Ecclesiæ decursu ullum occurrit talis Ordinationis exemplum. 2do. Quia ad quodlibet Sacramentum percipiendum necessaria est propria suscipientis voluntas; seu intentio, si sit adultus; vel

inter-

interpretativa, Ecclesiæ nimirum, si sit parvulus: atqui neutra hic locum habet intentio. Non privata, ut per se clarum est, nec publica Ecclesiæ, quæ potius contradicit. Neque par hic ratio est Baptismi, qui confertur infantibus ex publica Ecclesiæ fide ac intentione, id quippe exigit summa hujus Sacramenti necessitas talis porrò non est Ordinatio.

Conclusio. III. Nulla foret Ordinatio invito, nec ullatenus consentienti collata.

Prob. ex c. *Majores* 3. *de Bapt.* ubi rejicitur eorum sententia *qui dicunt quod Sacramenta, quæ per se sortiuntur effectum, ut Baptismus & Ordo, ceteraque similia, non solum dormientibus & amentibus, sed invitis & contradicentibus, etsi non quantum ad rem, quantùm tamen ad characterem conferuntur.* Vide Tract. de Sacram. in genere cap. 4. a. 1.

Nec nocet quod sancti plures inviti ad sacros Ordines rapti sint. Hi enim non simpliciter & absolutè inviti fuere, sed ex modestia, humilitate, ac reverentia sacri ministerii, propriæ infirmitatis conscii, Ordinationem refugiebant, cui tandem ex obedientia sese subjiciebant. *Multi* ait S. August. Epist, ad Donatum 173. *ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiunturque quæ nolunt, donec adsit eis voluntas suscipiendi operis boni.* Noverant illi æqualis periculi esse munus sacerdotale usurpare, Deo non vocante, ac illud Deo vocante, detrectare.

Conclusio. IV. Mulieres Ordinationis sacræ prorsus incapaces sunt.

Prob. ex Scripturis I. Cor. 14. *Mulieres in Ecclesia taceant; non enim permittitur eis loqui;* & I. ad Timoth. 2. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, sed esse in silentio.*

Perpetua hæc fuit Ecclesiæ fides. *Ex quo mundus creatus, est* ait S. Epiphanius, hæresi 79. *apud veræ Religionis cultores nulla unquam mulier sacerdotio functa est.* Addit ibid. quod si cuidam mulieri munus illud concedi potuisset, procul dubio B. Virgini, cui tamen concessum non fuit.

Quid ergo, inquies, significant nomina ista, *Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ*, quæ in veteribus monumentis Ecclesiasticis leguntur? R. non ab ullo Ordine seu sacro ministerio ità nuncupatas illas fuisse, sed à viris suis, qui cum ad illos Ordines assumebantur, eas derelinquebant aut in sæculo voto castitatis obstrictas, aut in Monasteriis solemniter Religionem profitentes. Certo quidem ritu per impositionem manuum Diaconissæ instituebantur; at is merè ceremonialis erat, & Ecclesiasticæ institutionis, non sacramentalis ex divina Ordinatione.

Con-

CONCLUSIO V. Valet quantum ad characterem Ordinatio ritè collata Hæreticis, Schismaticis, improbis, &c.

Prob. ex antiqua Ecclesiæ praxi, quæ permisit ut redeuntes ab hæresi, in qua Ordines susceperant, in eo gradu manerent quem adepti fuerant, absque nova Ordinatione, qua indulgentia usa fuit erga Novatianos in Concilio Nicæno I. generali Can. 8. erga Donatistas in Conc. Africano Can. 35. qua usus etiam fuit Innocentius I. erga ceteros Hæreticos. Ratio est, quia sicut improbitas ministri non impedit quin Sacramentum ritè collatum characterem imprimat, ita nec improbitas subjecti recipientis Sacramentum. Quapropter cum in antiquis Canonibus leges hujusmodi Sacramenta irrita esse dicunt, intellige de licito usu functionum Ordinis, non verò de Substantia ipsa Sacramenti.

## §. III. *De conditionibus ad Ordines prærequisitis.*

Sex præcipuè desiderantur: Vocatio ad clericalem statum, morum probitas, ac vitæ innocentia, scientia, ætas, interstitia, titulus. De tribus primis dixi Tom. I. ubi de præcipuis Clericorum obligationibus. De ætate & titulo erit in Tract. de censuris & irregularit. Hic ergo addendum superest, servanda esse inter Ordines interstitia, hoc est, certum temporis intervallum: *Ut nempe*, ait Trid. Sess. 23. c. 11. *in ordinandis cum ætate vitæ meritum & doctrina major accrescat; quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium atque major erga Presbyteros & superiores Ordines reverentia, & crebrior quam antea corporis Christi communio, maximè comprobabunt.* Addit ut *non nisi post annum à susceptione Ordinum minorum, quisquam ad sacros Ordines promoveatur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Inter alios verò Ordines requirit annum integrum, ut ab uno inferiori gradus fiat ad superiorem. Inde facile est inferre, ad solos Episcopos pertinere ab interstitiis dispensare neque id erga suos Superioribus Religiosorum concessum esse; quanquam erga ipsos faciliores esse debent Episcopi exemplo Gelasii I. qui interstitia inter singulos Ordines Monachis breviora imposuit, *quia*, inquit, *quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi spontè suscepta docetur præstitisse devotio.*

Agunt hic plures de irregularitatibus quæ hominem ab Ordinum susceptione removent. At materiam hanc inferius pertractabimus.

CAPUT

# CAPUT QUARTUM.

## *De effectibus Sacramenti Ordinis.*

DUPLEX est Ordinis effectus, gratia scilicet sanctificans cum speciali jure ad auxilia proportionata officiis cuilibet Ordini annexis, & character. Character autem est *signum aliquod spirituale animæ impressum & indelebile, quo fit ut iterari non possit Sacramentum per quod imprimitur.* Ita Trid. Sess. 7. Can. 9.

Ordo considerari potest, vel ut validè, vel ut illicitè datur aut accipitur. Validè quidem, quoties servatur ritus a Christo institutus, & usurpatus ab Ecclesia; illicite, quoties cum conscientia peccati mortalis vel contra Leges Ecclesiæ confertur aut recipitur.

In omni valida Ordinatione duo possunt secerni, substantia seu validitas; & usus seu exercitium functionum suscepti Ordinis. Substantia ipsa Ordinationis & character ab ipsa impressus Ecclesiæ legibus non subjacet, nec enim potest Ecclesia irritam declarare Ordinationem quæ rite collata fuit. Non ita est de usu functionum Ordinis; quas Ecclesia legitimis de causis potest impedire.

Quæstio est utrum Ordinatio rite facta characterem imprimat, nec possit unquam iterari. Negant Novatores, qui nullam in Ordinatione veram & internam ad sacras ministerii functiones potestatem dari credunt, sed meram & duntaxat ministrorum à populo factam delegationem. Contendit Morinus Ecclesiam in administratione Sacramentorum, etiam cum observatur ritus à Christo præscriptus, posse conditiones præscribere, quæ si non observentur, materia & forma Sacramenti inepta fit ad Sacramentum, & minister aut suscipiens inhabilis ad illud conferendum, vel suscipiendum. Docet illo consequenter ad seculum usque 13. communi ferè Theologorum suffragio pro irritis habitas fuisse Ordinationes Hæreticorum, Schismaticorum, excommunicatorum, simoniacorum, &c. Opinio hæc vix ullos habet defensores. Sit

CONCLUSIO. Sacramentum Ordinis ritè collatum & gratiam sanctificantem confert dignè accipientibus, & characterem imprimit indelebilem, unde iterari nunquam potest.

Prob. 1. pars ex momentis quibus supra ostendimus Ordinem verum esse Sacramentum, quo sanctificans confertur gratia;

tia; secundum id 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii.*

Prob. 2. pars ex usu Ecclesiæ, quæ in hæreti & extra Ecclesiam legitimè ordinatos, redeuntes ad sinum suum, nusquam iterum ordinari permitit; imò sæpissimè pacis causa in suis gradibus recepit. Ita egit cum Novatianis Con. Nicænum I. Can. 8. cum Messalianis & Nestorianis Conc. Ephes. an. 431. cum Donatistis Ecclesia Africana, ut testatur S. August. Epist. 195. ac demum cum Monothelitis VII. Synodus generalis. Hinc August. L. 2. contra Epist. Parmeniani c. 13. de Ordine ut & de Baptismo loquens: *Utrumque*, inquit, *Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptisatur istud cum ordinatur; ideoque in Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam Præpositi pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, non sunt rursus ordinati, sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra.* Recte igitur Trid. Sess. 7. Can. 9. pronuntiat, *in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spiritale, & indelebile, unde ea iterari non possunt.*

Prob. 2do. tum quia vis omnis Sacramenti ab uno Christo illius institutore pendet, non à privata ministri conditione; tum quia, ex Trid. Sess. 21. c. 2. Ecclesia nihil potest in substantiam Sacramentorum. Atqui si, ut Morino placet, posset appositis conditionibus materiam Sacramenti a Christo institutam *ineptam* reddere ad Sacramentum, jam posset aliquid in substantiam Sacramenti.

At, inquit Morinus, jus illud suum reapse exercuit Ecclesia in Sacramenta Matrimonii & Pœnitentiæ, declarando nimirùm Matrimonium clandestinum, quod antea valuerat, amplius non valere; & absolutionem datam à Sacerdote non approbato esse invalidam. R. Sacramenta, quorum materia in aliquo morali consistit, ut Matrimonii & Pœnitentiæ, eò differre ab aliis quorum materia est aliquid physicum; quod in istis nulla prorsus conditio possit *ineptam* reddere Sacramenti materiam. Non ita porrò est in Matrimonio & Pœnitentia; quia mutuus contractus conjugum, & jurisdictio Sacerdotis ad validè absolvendum res sunt morales, quæ legibus Ecclesiæ subjectæ sunt, quibus illa potest, non quidem Sacramenti materiam directè immutare, sed contrahentes inhabiles declarare ad contrahendum. In Sacerdote autem ad validè absolvendum necessaria semper fuit jurisdictio, tametsi varia identidem fuerit disciplina in ea concedenda, amplianda vel coarctanda.

Quid ergo, inquies, dicendum ad omnia exempla reordinationum

nationum quæ profert Morinus? R. eas veras, quoad substantiam non fuisse reordinationes, quanquam priores Ordinationes dicantur irritæ, cassæ, nullasque habere vires, & sic ordinatos nihil habere, nihil accipere, &c. Isthæc enim omnia intelligi debent de sola executione functionum suscepti Ordinis à quibus ii de quibus agebatur, Hæretici, simoniaci, &c. suspensi fuerant.

Duplex verò causa est cur hujusmodi Ordinationes irritæ dicantur. I. Quod potestas de se ordinata ad functiones sacras obeundas, nulla censetur, quando ligata est, ac impedita nè in actum erumpat. Unde à contrario cum restituitur libera functionum Ordinis executio, facultas quæ prius ligata erat, & posteà solvitur, dicitur quasi de novo conferri. II. quod cum alicui suspenso, libera restituebatur functionum sui Ordinis executio, iidem fermè exteriores ritus usurpabantur, qui in Ordinatione ipsâ. Ritus istos describit Conc Tolet. IV. an. 633. Can. 28. *Episcopus* inquit, *aut Diaconus si à gradu suo injustè dejectus in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcopi, orarium, annulum & baculum, si Presbyter, orarium & planetam; si Diaconus orarium & albam; si Subdiaconus, patenam & calicem; sic & reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, quæ cum ordinarentur receperunt.* Hi porro ritus quamdam adumbrabant Ordinationis imaginem. Quo ferè modo redeuntes ab hæresi ad Ecclesiam, per impositionem manuum, unctionem & chrismationem recipiebantur, quæ ceremonia imago quædam erat Confirmationis, non verum hujus nominis Sacramentum.

---

# CAPUT QUINTUM.

## *De variis Ordinis Speciebus.*

ORDINES generatim dividuntur in majores seu sacros, & minores seu non sacros. *Ordo dicitur* ait S. Thom. in 4. dist. 14. q. 2. a. 1. *qui habet aliquem actum circa rem aliquam consecratam. Et sic sunt tantum tres Ordines sacri, scilicet Sacerdos & Diaconus qui habent actum circa corpus Christi & Sanguinem consecratum; & Subdiaconus, qui habet actum circa vasa consecrata; & ideò etiam eis continentia indicitur, ut sancti & mundi sint qui sancta tractant.*

Numerum

Numerum Ordinum in Ecclesia receptum damnarunt Lutherani & Calvinistæ. Contra ipsos sit.

Conclusio Ex antiquâ Ecclesiæ Traditione septem sunt ordines, nempè Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum & hi majores vocantur; Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum Ostiariorum, & minores dicuntur.

Prob. tum quia, ut monet Trid. Sess. 23. c. 2. *consentaneum erat ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures & diversi essent Ministrorum Ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent per minores ad majores ascenderent.* Tum quia *de Sacerdotibus & Diaconis aperta fit in sacris Literis mentio; & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconus ad majores Ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentissimè legimus.*

Nec immeritò Concilium asserit *ab ipso Ecclesiæ initio* nomina, & propria singulorum Ordinum ministeria in usu fuisse. Siquidem Cornel. S. P. electus an. 251. in Epist. ad Fabium Antioch. testatur suo tempore *Romæ fuisse Presbyteros 44. 7. Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolythos 42. Exorcistas & Lectores cum Ostiariis 52.* Recensentur quoque in Conc. Carthag. IV. Plures etiam refert priore Ecclesiæ sæculo S. Ignatius in epistola ad Antiochenses.

Obj. 1mo. Episcopatus est verus Ordo: ergo non tantum septem, sed octo sunt Ordines. R. n. cons. quia licet Episcopus & Presbyter distinguantur, cum tamen quantum ad sacrificium (unde repetitur Ordinum diversitas) idem omninò ministerium exhibeant, unum Ordinem non duos faciunt.

Obj. 2do. Si septem admittantur Ordines, ruit Traditio de septenario Sacramentorum numero. R. n. conseq. Septem enim Ordines sub unico genere, quod apellatur Sacramentum Ordinis, continentur; adeoque non crescit Sacramentorum numerus.

Obj. 3tio. Cantores inter Clericos à pluribus Antiquis numerantur: ergo sunt plus quàm septem Ordines. R. dist. ant. Cantores numerantur inter Clericos, ut officium Ecclesiasticum C. ut Ordo, Subdist. ut Ordo improprie dictus, C. propriè dictus, N. Patet id ex Concil. Carthag. IV. quod postquam Clericos omnes recensuit, Cantoris addit officium, & Can. 10. monet illud esse sinè ulla ordinatione.

Nota 1mo. Trid. non definiisse non esse in Ecclesia plus

quam ſeptem Ordines, ſicut definivit eſſe ſeptem tantum novæ Legis Sacramenta; ſed cum Hæretici quoſdam ex ſeptem Ordinibus deriderent. Trid. declaravit eos omnes veros eſſe Ordines, & in Eccleſia retinendos. Nota 2do. ſeptem Ordines ſupra recenſitos non eſſe omnes in uſu apud Græcos hi ſiquidem ex minoribus Ordinibus ſolum admittunt Lectoratum; hujus nempe ſolius meminerunt Euchologia quibus à 1000. annis & amplius utuntur. Jam Ordines illi omnes ſummatim hic exponendi ſunt.

## §. I. *De Epiſcopatu.*

Epiſcopus idem eſt vi Græci nominis, ac inſpector ſpeculator & explorator. Quapropter, ait S. Aug. in Pſ. 126. *altior in Eccleſia locus poſitus eſt Epiſcopis, ut velut in ſpecula conſtituti ſuperintendant & cuſtodiant populum*; ſecundum id Pauli Act. 20. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.*

Apoſtolorum tempore nomen Epiſcopi commune erat etiam Presbyteris. *Tunc*, ait S. Chryſoſt. Homil. I. in Epiſt. ad Philip. *nomina adhuc erant communia ... procedente verò tempore, diſtributum eſt cuique nomen, ut hic quidem Epiſcopus ille verò Presbyter appellaretur.*

Circa Epiſcopatum duo quæruntur; 1mo. an is ſit Sacramentum à Presbyteratus natura & charactere diſtinctum? an verò ſimplex extenſio characteris ſacerdotalis ad altiora officia? 2do. An jure divino Epiſcopi ſuperiores ſint presbyteris? Negavit quarto ſeculo Aerius. Negavit decimo quarto inclinante Wiclefus. Negant Luterani & Calviniſtæ.

Conclusio. I. Epiſcopatus eſt verus Ordo, verumque Sacramentum, natura & charactere diſtinctum à Presbyteratu.

Prob. 1. pars, quia nulla Epiſcopatui deeſt conditio ad verum Sacramentum requiſita: 1mo. ſignum exterius impoſitio ſcilicet manuum: 2do. inſtitutio divina *Poſuit Spiritus S. Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, Act. 20. v. 38. 3tio. vis conferendi gratiam, 2. ad Timoth. I. v. 6. pluries citato. 4to. Epiſcopatus characterem imprimit, quo fit ut ſemel legitimè ſuſceptus nuſquam poſſit iterari: 5to. denique jus largitur alios ordinandi, ſive Epiſcopos, ſive Presbyteros. *Hujus rei gratia*, inquit Apoſt ad Titum, c. 1. *reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros.*

Prob. 2. pars. Ille Ordo natura & charactere diſtinctus eſt à Presbyteratu; qui ſpecialem confert poteſtatem, tum dandi Spiritum S. per Sacramentum Confirmationis, tum ordinandi alios

alios Episcopos & Presbyteros. Atqui Episcopatus...... Hinc S. Epiphanius, hæresi 75. *Episcoporum Ordo ad gignendos Patres præcipuè pertinet. Hujus enim est Patrum in Ecclesiâ propagatio; alter, cùm Patres non possit, filios regenerationis lotione producit.*

Prætereà non est potior ratio cur Episcopatus dicatur extensio characteris Presbyteralis, quàm Presbyteratus sit extensio characteris Diaconatûs; in utroque enim Ordine varia est potestas, varius ac distinctus character. Deinde verò extensio illa characteris Sacerdotalis, vel est aliquid reale, vel relatio duntaxat rationis: atqui neutrum dici potest. Non 1. quia par efficacia requiritur ad characterem reipsa extendendum, & ad imprimendum novum. Nihil est ergo cur potiùs dicatur character Sacerdotalis in Episcopo extendi, quàm novus character eidem imprimi. Non 2. sicut enim potestas quæ confertur per Episcopatum est verè realis, specialis & distincta à simplici Sacerdotio, ità character debet esse realis, specialis ac distinctus.

CONCLUSIO II. Episcopi ex institutione divina superiores sunt Presbyteris, potestate tum Ordinis, tum jurisdictionis.

Prob 1. pars. De Ordinis potestate. Nam Luc. 9. legimus à Christo duos electos Ministrorum Ordines, Apostolorum scilicet, & 72. Discipulorum. Atqui Apostoli, quibus succedunt Episcopi, potestate Ordinis superiores erant Discipulis, quorum successores sunt Presbyteri simplices. Illis enim, & in eorum personâ Episcopis, non autem 72. Discipulis, concessa fuit vi Ordinationis facultas dandi Spiritum S. per Sacramentum Confirmationis, Act. 8. v. 14. & alios ordinandi, sive Episcopos sive Presbyteros, ad Tit. I. v. 5. Et hæc semper fuit constans Ecclesiæ fides, irritam esse Ordinationem ab alio quàm à vero Episcopato datam: nec alio fundamento ducta fuit Synodus Alex. ut declararet Ischyram, S. Athanasii accusatorem, nunquam verum fuisse Presbyterum, quàm quòd à Collutho simplici Presbytero ordinatus diceretur.

Prob. 2. pars Nempe quòd Episcopi jure divino superiores sint simplicibus Presbyteris, jurisdictione tum interna in dimittendis peccatis, tum externa in condendis legibus, & urgenda etiam pœnis canonicis, earum executione: 1mo. Apostoli, quibus succedunt Episcopi, à Christo immediatè acceperunt internam & plenam potestatem dimittendi peccata. Joan. 20. v. 21. *Accipite Spiritum S. &c.* Atqui Sacerdotes radicalem quidem, sed non plenam vi suæ Ordinationis habent potestatem dimittendi peccata; cùm & Episcopali ad illius usum jurisdictione indigeant; & usum hunc legitimis de causis ligare, impedire, suspendere, ad certas personas & certa crimina limitare

na limitare poſſint Epiſcopi. Quin & ipſam poteſtatem, quam vi Ordinationis ſuæ Sacerdotes habent, conſecrandi Euchariſtiam, licèt invalidam efficere non valeant Epiſcopi, poſſunt tamen ſuâ prohibitione ſuiſque cenſuris illicitam efficere: 2do. Conſtat Epiſcopos à Chriſto externam in Preſbyteros cæteroſque Fideles juriſdictionem accepiſſe in definiendis Fidei capitibus, in ferendis legibus, ac contumacibus coërcendis; 1mo. Act. 15. in cauſa Circumciſionis & aliorum legalium, tanquam Judices Apoſtoli pronuntiant in Concilio Hieroſolym. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, &c.* 2do. Apoſtolus ad Tit. 1. v. 5. declarat ſe illum Cretæ reliquiſſe, *ut ea quæ deerant corrigeret*, & ipſemet de ſe ipſo, II. Corinth. 19. ait: *Et ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra quam dedit nobis Dominus in ædificationem .... non erubeſcam.* Quâ quidem ſuâ poteſtate uſus fuit in puniendo & ab Eccleſia ejiciendo Corinthium inceſtuoſum: *Ego quidem:* ait I. Corinth. 5. *jam judicavi eum qui ſic operatus eſt, in Nomine Domini noſtri JESU Chriſti ..... tradere Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* 3tio. Preſbyteros ipſos, tanquam inferiores ab Epiſcopis coërceri poſſe, demonſtrat iſtud Apoſtoli, I. ad Timot. 5. *Seniorem ne increpaveris;* & v. 19. *Adversùs Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Nuſquam autem legimus ſimplices Sacerdotes vi ſuæ Ordinationis, authoritatem in alios Preſbyteros, multò minùs in Epiſcopos exercuiſſe.

Confirm. Ex S. Auguſtino & Vincentio Lirinenſi: quod *ſemper & ubique* in Eccleſia fuit obſervatum, nec in ullo Concilio invenitur inſtitutum, illud cenſeri debet inſtitutionis Apoſtolicæ & divinæ. Atqui talis eſt præeminentia juriſdictionis Epiſcopalis. Hinc Aërius inter hæreticos fuit annumeratus, teſte S. Epiphanio, hæreſi 75. eo quòd Preſbyteros Epiſcopis pares eſſe aſſereret. Hinc rursùs tam frequenter Veteres commendant obedientiam Epiſcopis præſtandam. *Reveremini Epiſcopum veſtrum,* ait, S. Ignatius, Epiſt. ad Trallianos, *ſicut Chriſtum, quemadmodum beati nobis præceperunt Apoſtoli. Quid enim aliud eſt Epiſcopus, quàm is qui omnem principatum & poteſtatem ſuper omnes obtinet?* Et in Epiſt. ad Magneſianos: *Decet vos obedire Epiſcopo, & in nullo ei refragari ..... Quemadmodum itaque Dominus ſine Patre nihil facit, ſic & vos ſine Epiſcopo, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Laicus.* Meritò igitur Trident. Seſſ. 23. Can. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confir-*

*mandi*

*mandi & ordinandi; vel eam quam habent illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit.* Non dixit Concilium *jure divino superiores*, ut Galli & Germani Episcopi postulabant, Itali verò recusabant. Verùm licet verba desint expressa, sensus tamen integer remanet.

Obj. 1mo. S. Paulus, Act. 20. v. 17. *A Mileto mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiæ*, id est Presbyteros seu Seniores. Atqui eosdem v. 28. appellat Episcopos *positos à Spiritu S. regere Ecclesiam Dei.* Ergo Presbyteri ex Apostolo idem sunt cum Episcopis. R. vel neg. maj. cum S. Epiphanio, hær. 75. qui contra Aërium hoc Actuum textu abutentem, docet Apostolorum ævo vix alios fuisse quàm Episcopos, non simplices Presbyteros, *quia*, inquit, *necessitas Ecclesiæ eos non postulabat, cùm magna tunc multitudo* (populi Christiani) *non foret*; atque ad ministerium publicum sufficeret Episcopus cum Diacono. Vel neg. min. cum S. Joanne Chrysost. & Theodoreto, qui volunt primis initiis commune fuisse Episcopi & Presbyteri nomen, non verò potestatem: unde etsi utrique Ecclesiam regunt, non tamen in eodem gradu. Episcopus enim in primo, Presbyteri in secundo.

Inst. Idem Apostolus ad Tit. v. 5. ait: *Reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros:* Atqui Presbyterorum nomine simplices hic Presbyteri, non autem Episcopi, debent intelligi; aliàs sequeretur, quod falsum est, plures in eadem civitate sedisse Episcopos. R. neg. min. Cùm enim Cretæ Insula plures civitates contineret, necesse erat singulis singulos præfici Episcopos. Ità S. Chrysost.

Obj. 2do. S. Hieronymus in cap. 1. Epist. ad Titum, & in Epist. 85. ad Evagrium totus in eo est ut Presbyteros Episcopis æquales efficiat. Sic enim loquitur in priori: *Antequam diaboli instinctu ..... diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesia gubernabatur.* Posteà *verò in toto orbe decretum est ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* In Epist. verò ad Evagrium: *Alexandriæ*, inquit, à *Marco Evangelistâ usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, & Presbyteros semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocasse, quem Episcopum nominabant. Quomodò si exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint, & Archidiaconum vocant.* Atqui ex his clarè sequitur, 1mo. eundem esse Presbyterum cum Episcopo. 2do. Presbyterorum distinctionem ab Episcopis non fuisse ab initio, sed in remedium schismatis; 3tio. assumptionem Presbyteri in

in Episcopum non fieri per novam consecrationem, sed eo modo quo ex Diaconis fiunt Archidiaconi, & ex militibus Imperatores; atque hunc morem in Ecclesia Alexand. observatum fuisse usque ad S. Dionysium, hoc est ad medium sæculi tertii.

R. 1mo. Minimè suspectam hic esse debere S. Hieronymi sententiam circà superioritatem Episcoporum suprà Presbyteros. Docet enim in Dial. adversùs Lucif. 1mo. Episcopos supremos esse Sacerdotes, in quibus summa residet potestas, sinè quâ tot forent schismata, quot Presbyteri. *Ecclesiæ salus*, inquit, *in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot erunt in Ecclesia schismata, quot Sacerdotes.* 2do. Ad solos Episcopos pertinere jus dandi Spiritum S. baptisatis, per Sacramentum Confirmationis; & jus illud à Spiritu S. esse. *Disce*, ait, *hanc observationem ex ea authoritate descendere, quòd Spiritus S. ad Apostolos descendit.* 3tio. In Epist. ad Evagrium docet solos Episcopos jus habere alios Ministros ordinandi. *Quid facit, excepta Ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* 4to. Superiores esse Episcopos Presbyteris probat ibidem exemplo Aaronis, qui suprà alios Presbyteros haud dubiè eminebat. *Ut sciamus*, inquit, *traditiones sumptas de veteri Testamento, quod Aaron & filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicant in Ecclesia*: & in Epist. ad Titum, cap. 3. ait Episcopos similes esse Moysi, Presbyteros verò septuaginta senioribus à Moyse electis. Porrò Moysen illis jure divino superiorem fuisse, quis inficiari audebit?

R. 2do. ad 1. dist. In mente S. Hieronymi idem est Episcopus qui & Presbyter, nomine & appellatione, & usu aliquo jurisdictionis externæ, pro disciplina hujus temporis, C. idem charactere, ordine, ac radicali potestate, N. *Eosdem*, inquit ibid. *Episcopos illo tempore, quos & Presbyteros apellabant: propterea indifferenter de Episcopis quasi de Presbyteris est locutus Apostolus.*

Ad 2. dist. pariter. Episcoporum à Presbyteris distinctio non fuit ab exordio Ecclesiæ, sed in remedium schismatis, quantùm ad aliquid, nempè exercitium regiminis Ecclesiastici, in cujus partem ab Episcopis vocabantur Presbyteri, C. quantùm ad characterem, ac jurisdictionem ipsam in radice ac primaria institutione consideratam, N. Et verò Episcoporum institutionem à schismate duntaxat Corinthiaco velut ex occasione primùm factam esse, docere non potuisset S. Hieronym. nisi ex crassâ Historiæ Ecclesiasticæ ignorantia, vel ex supina

contra-

contradictione. Quomodò enim ignorasset S. Jacobum fratrem Domini Hierosolym. Episcopum creatum fuisse; S. Petrum Antiochiæ sedisse, atque priusquam inde discederet, Evodium suum in ea Sede Successorem ordinasse; Sanctum Marcum Alexandriæ Episcopum fuisse, antequam exortum fuisset schisma Corinthiorum? Dicat ergo S. Hieronymus olim communi consilio Episcoporum & Presbyterorum Ecclesias gubernatas fuisse; at non dicit id factum communi & æquali potestate. Imò hæc quæ objici solent ipsius verba, Commentar. in Epistolam ad Titum: *Episcopi magis consuetudine Ecclesiæ, quàm dispositione divina, superiores seu majores sunt Presbyteris*, plurimùm nobis favent: ex iis enim sequitur, partim Ecclesiæ consuetudine, partim dispositione divina Presbyteros esse Episcopis minores.

Ad 3. neg. maj. Nam dicit quidem S. Doctor è Presbyteris fieri Episcopos, ut ex militibus Imperatores, quia utrique ex eodem gremio assumuntur; sed non negat Presbyteris sic electis novam ad sacra munia requiri inaugurationem. Et quomodò id negaret, cum disertim doceat Presbyteros nec confirmare, nec Ordines conferre posse.

Obj. 3tiò. Constat pluribus Eccesiæ monumentis Presbyteros in Conciliis simul cum Episcopis sedisse, & jus ferendi suffragii habuisse. R. dist. ant. Presbyteri jus suffragii habuerunt in Conciliis, consultando, disputando, C. Definiendo, Subdist. ex licentia Episcoporum, Concedo: ex Ordinatione & innata potestate, Nego. S. Pontifex Gregorius XIII. consultus à Concilio Rothomagensi, anno 1581. an decisivum vel tantùm consultativum suffragium haberent in Conciliis Presbyteri, Abbates, &c. respondet, *Abbates Commendatarios, Capitulorum Deputatos vocem duntaxat consultativam habere; Episcoporum Procuratores posse, si Concilio provinciali placuerit, & decisivam habere.* Hinc Concilium Burdigalense, anno 1624. sic statuit: *Sacro approbante Concilio decretis ultimi Concilii Burdigalensis inhærentes, opinionem quorumdam, qui ausi sunt asserere, præter Episcopos, quosdam etiam alios habere vocem decisivam in Concilio provinciali, ut erroneam judicamus.* Hic adjici possent Cleri Gallicani Comitia, 1655. 1681. 1700.

## §. II. *De materiâ, formâ, &c. Episcopatûs.*

Quæres 1mo. Quæ sit materia & forma Episcopatûs. R. Plures in Ordinatione Episcopi ritus observari. 1mo. Liber Evangeliorum imponitur super cervicem & scapulas electi, nihil

nihil dicentibus Episcopis. 2do. Consecrator Episcopus & ejus assistentes caput Consecrandi ambabus manibus tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum S.* 3tio Consecrator Episcopus extensis manibus duplicem orationem fundit, qua electo gratiam Spiritûs S. apprecatur, ut dignè Episcopali officio fungatur. 4to. Posteà caput & ambæ manus electi à Consecratore chrismate inunguntur. 5to. Denique idem Consecrator his peractis tradit Consecrato, 1mo. baculum benedictum; 2do. annulum; 3tio. Librum Evangeliorum, dicendo, *Accipe baculum, &c..... Accipe annulum, &c..... Accipe Evangelium, &c.* Et hi quidem ritus apud Latinos observantur: apud Græcos paulò aliter Ordinatio Episcopi perficitur.

Consentiunt Theologi omnes impositionem manuum cum oratione adjuncta esse materiam & formam essentialem: at his nonnulli addunt tanquam partem materiæ essentialem, expansionem Codicis Evangeliorum supra cervicem Ordinandi; & verba ista, *Accipe Spiritum S.* tanquam partem essentialem formæ: alii verò ea omnia ad partes duntaxat integrantes Ordinationis revocant. Nihil hic fides ad credendum præscribit: hoc unum certum, nec in Scripturis, nec in monumentis trium priorum sæculorum mentionem occurrere hujus Codicis Evangeliorum suprà caput Ordinandi expansi, neque verborum istorum: *Accipe Spiritum S.* Hujus codicis Evangeliorum meminit quidem Conc. Carthag. IV. anno 398. c. 2. ubi dicitur: *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum Codicem suprà caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput ejus tangunt.* Meminit & S. Joannes Chrysostomus, Hom. *de Legislatore.* An verò ritus ille ad essentiam, vel tantùm integritatem Ordinationis Episcopalis pertineat, etsi utrumque probabile sit, non invicto tamen argumento demonstratur. Atque hinc in praxi omnes illi ritus necessariò sunt adhibendi.

Quæres 2do. Quis sit Episcopalis Ordinationis minister. R. Esse Episcopos, quos nomine *Presbyterii* designat Apostolus I. ad Timoth. 4. Porrò statuit Conc. Nicæn. 1. Can. 4. ut *Episcopus maximè quidem ab omnibus qui sunt in Provincia Episcopis ordinetur: si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus ... Ordinatio celebretur.* Concilium Antioch. anno 331. Can. 19. & Sardicense, anno 347. Can. 5. idipsum decernunt; atque hic semper fuit Ecclesiæ usus.

An verò plures illi Episcopi ità ad Ordinationem Episcopalem

lem necessarii sint, ut Episcopatus aliter collatus nullus sit, non consentiunt Theologi. Alii affirmant cum Cajetano. Bellarm. de notis Ecclesiæ cap. 6. Vasquesio in 3. p. idque innuere videtur Canon Antioch. qui disertè pronuntiat, *aliter quàm per plures factam Episcopi Ordinationem non valere.* Alii verò cùm Paludano, Sylvestro, & aliis nonnullis recentioribus, existimant numerum duorum aut trium Episcoporum non esse necessarium necessitate Sacramenti, sed necessitate duntaxat præcepti. In hac sententiarum varietate pars tutior tenenda practicè.

Quæres 3tio. Quodnam sit subjectum Episcopatûs. R. Esse Presbyterum legitimè priùs ordinatum; etsi enim in aliis Ordinibus inferior gradus necessarius non sit ut superior validè conferatur, ac possit, v. g. esse verus Presbyter, qui Diaconus priùs ordinatus non fuisset, irrita tamen foret Ordinatio Diaconi in Episcopum. Ratio est quòd cùm Episcopus ex officio Corpus Christi consecrare debeat, necesse est illum ea priùs Ordinatione donatum fuisse, per quam confertur potestas consecrandi Corpus Christi: atqui per Ordinationem Presbyteri potestas illa confertur, non verò per Ordinationem Episcopi: ista quippe suprà potestatem Presbyterorum addit duntaxat novam facultatem ad actiones quasdam hierarchicas. Unde pares sunt Episcopi & Presbyteri in potestate consecrandi Eucharistiam; quanquam Episcopi legitimis de causis possint suspendere Presbyteros, non quidem à valida, sed à licita executione suæ potestatis.

Quæres 4to. Quæ sint officia, quæ necessitas Episcoporum. R. 1mo. Quibus dotibus Episcopos instructos esse oporteat, quibus carere vitiis, accuratè ac sigillatim Apostolum exponere cap. 3. I. Epist. ad Timoth. & cap. 1. Epist. ad Titum. 2do. Cùm Episcopi à Spiritu S. positi sint regere Ecclesiam Dei, eorum officii est ea omnia exequi quæ ad regimen Ecclesiæ necessaria sunt; nempè docere, verbum Dei prædicare, administrare Sacramenta, invigilare disciplinæ ac morum sanctitati, leges condere, contumaces pœnis canonicis coërcere; eorum qui ordinandi sunt mores, indolem, scientiam accurato examine discutere. Ex quibus inferes teneri Episcopos ad residentiam; ipsis non licere tempore publicæ persecutionis aut calamitatis, qualis est, v. g. lues pestifera, fugere, ac oves suas periculo damnationis æternæ ex defectu Sacramentorum exponere. 3tio. Episcopos omninò in Ecclesia necessarios esse, cùm sinè publico ministerio stare non possit Ecclesia; nec sinè Episcopis conferri possit Sacramentum Confirmationis & Ordinationis.

Quæres

Quæres 5to. Qui varii sint Episcoporum gradus. R. Alios Patriarchas appellari, eò quòd Duces sint Patrum qui sub eorum ditione continentur, nempè Primatum & Metropolitanorum. Inter illos primum locum obtinet Rom. Pontifex, qui est Episcopus Episcoporum, ac jure divino primatum honoris & jurisdictionis habet super singulas Ecclesias. Alii Primates dicuntur, qui Patriarchis quidem sunt inferiores, sed Metropolitanis superiores. Metropolitani præsunt Provinciæ suæ Episcopis, & ab istis in foro contentioso ad Metropolitanos provocatio fieri potest.

Olim extitêre Chorepiscopi, id est agrorum seu pagorum Episcopi, ad distinctionem scilicet eorum qui urbium Episcopi dicebantur. Erat igitur Chorepiscopus villanus seu oppidanus Episcopus, qui rusticanas Ecclesias non sinè aliqua ab Episcopo urbis dependentia gubernabat. De Chorepiscopis, eorum institutione, officiis, Ordinatione, multùm in Ecclesiâ Gallicanâ octavo sæculo fuit disputatum, imò & etiamnùm inter Theologos non convenit, an simplices fuerint Presbyteri aliqua superiori authoritate donati, an veri Episcopi. Veros Episcopos illos fuisse multi negant cum Morino & Thomassino; multi asserunt cum Rabano Archiepiscopo Moguntino. Alii cum Hallerio ad litem illam componendam docent inter Chorepiscopos, aliquos re vera fuisse ordinatos Episcopos, alios verò simplices Sacerdotes.

## §. III. *De Presbyteratu.*

Presbyter Græcè idem est ac senior, non solùm propter ætatis maturitatem, quæ Presbyteris maximè necessaria est, sed multò magis propter morum gravitatem, sapientiam, doctrinam.

Presbyteratus definitur, Ordo per quem datur Potestas consecrandi Corpus Christi, & dimittendi peccata. Qua definitione continetur pars duplex ministerii Presbyteralis.

Quæres 1mo. An Presbyteratus verum sit Sacramentum. R. affirm. Si enim Ordo ut sic verum sit Sacramentum; debet id quod in Ordine præcipuum est, & ad quod Ordines ceteri referuntur, Sacramenti rationem habere. Et id meritò definivit Trident. Sess. 23. Can. 1. 2. &c.

Quæres 2do. Quæ sit materia & forma essentialis Presbyteratûs. R. Inter multos ritus qui in Ordinatione Presbyterorum adhibentur, solam impositionem manuum esse materiam, & solam orationem esse formam essentialem; cetera verò, porrectionem scilicet instrumentorum, verborum istorum, *Accipe*

*cipe Spiritum S.* pronuntiationem, ad integritatem duntaxat & clariorem potestatis Presbyteralis significationem pertinere. Vide quæ superiùs de materia & forma Sacramenti Ordinis generatim dicta sunt.

Verùm cùm Episcopus ordinando Presbyteros ter manus imponat, quæritur quænam ex tribus habenda sit pro essentiali materia. R. Nec primam, nec tertiam, sed secundam duntaxat essentialem videri. Non primam; 1mo. quia, ut observat Pontificale Roman. Episcopus, dum initio Ordinationis manus imponit, nihil dicit; 2do. quia prima hæc manûs impositio Græcis ignota est, 3tio. quia in Concilio Carthag. non reperitur, ut nec in antiquis ritualibus. Non tertiam; 1mo. quia supponit jam consecratum Presbyterum, qui una cum Episcopo verba consecrationis in Missa pronuntiavit; 2do. quia hæc nec est in usu apud Orientales, nec semper in usu fuit apud Latinos: ad nonum enim usque sæculum nec comparet in Conciliis, nec in Ritualibus, nec in iis qui de divinis Officiis scripserunt. Sola ergo manûs impositio, & quæ ordine secunda occurrit in Pontificiali, & quæ adjunctam habet orationem, videtur esse materia essentialis Presbyteratûs.

Quæres 3tio. Quæ sint Presbyterorum officia. R. Ea sic paucis ab ordinante Episcopo exponi: *Oportet Sacerdotem offerre, benedicere, præesse, prædicare & baptisare. Cum magno enim timore ad tantum gradum ascendendum est, ac procedendum, ut cælestis sapientia, probi mores, & diuturnæ justitiæ observatio ad id electos commendet.*

Quæres 4to. An inter Presbyteros alii sint aliis gradu ac dignitate superiores. R. affirmat. Tales sunt Vicarii generales, Officiales, Archipresbyteri, Archidiaconi, Pœnitentiarii, Theologi, Decani, Canonici, Parochi.

I. Vicarii generales ii dicuntur qui Episcoporum vices gerunt, & eorum potestate, non quidem Ordinis, sed jurisdictionis instructi sunt. Olim cùm pauci forent Presbyteri idonei rebus Ecclesiasticis tractandis, idem simul erat Vicarius generalis, Officialis, Archidiaconus, Pœnitentiarius. Hodie Vicarius generalis nonnisi voluntariam seu gratiosam jurisdictionem exercere potest; ea, quæ contentiosa est, uni Officiali reservata. Regio in Comitiis Blesensibus Edicto * sancitum est nè quem Episcopus possit Vicarium generalem vel Officialem creare, nisi qui in Theologia vel Jure canonico gradus obtinuerit, & in Ordine Presbyterali sit constitutus.

Mandatum Vicarii generalis expirat; 1mo. per revocationem mandantis Episcopi; 2do. morte naturali aut civili mandantis, depositione aut resignatione ejusdem. Eodem jure, Episcopo

* *Art.* 45.

Episcopo suspenso vel excommunicato, facultas Vicarii suspenditur; 3tio. morte naturali vel civili ipsius Vicarii, vel renuntiatione ipsius tempestivè factâ. Conc. Trid. Sess. 24. cap. 16. præscribit Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, ut intra octo à morte Episcopi dies, Vicarium generalem aut Officialem eligant *in Canonici juris palestrâ versatum, Doctorem aut Licentiatum.*

II. Officiales sic dicti ab officio quod Episcopis impendunt in exercenda ipsorum jurisdictione contentiosa, in qua necesse est invenire actorem, reum, & judicem. Ad munus Officialis pertinet cognitio causarum tum civilium tum Ecclesiasticarum, tum etiam criminalium.

III. Archipresbyteri, Græcis Protopresbyteri, primum inter Presbyteros gradum & honorem obtinebant. Aliquando iis qui Ordinatione sua antiquiores erant, aliquando virtuti ac merito honor iste delatus est. Suum singulis Ecclesiis Cathedralibus in Occidente Archipresbyterum fuisse testatur S. Hieron. Epist. ad Rusticum. Hujus officium assignat Conc. Carthag. IV. Can. 17. nempè ut *Episcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, & peregrinorum, non per seipsum, sed per Archipresbyterum aut per Archidiaconum agat.* Archipresbyterorum est mandata Episcoporum ad alios ejusdem Civitatis Presbyteros deferre.

IV. Archidiaconus dicebatur Episcopi oculus & manus, eò quòd jurisdictionem gratiosam & contentiosam, tanquam generalis Episcopi Vicarius etiam in Presbyteros olim exerceret. In tantùm excreverat Archidiaconorum authoritas, ut post annum millesimum coacti fuerint Episcopi eam totam ad se revocare, eamque suis Officialibus ac Vicariis concredere. Conc. Trid. Sess. 24. de Refor. cap. 3. mandat ut Archidiaconi, ceterique ad quos pertinet, sibi subjectas Ecclesias visitent. cap. 20 interdicit Archidiaconis causarum matrimonialium & criminalium cognitionem; & Sess. 25. cap. 14. prohibet iisdem nè Clericorum concubinariorum causam dijudicent.

V. Pœnitentiarius confessionibus Fidelium excipiendis præficitur, cum facultate absolvendi à casibus Episcopo reservatis. De eo sic Trident. Sess. 24. de refor. cap. 8. *In omnibus Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum unione Præbendæ proximè vacaturæ ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia vel Jure canonico, & annorum quadraginta; seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui, dum confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur.* Hic notandum ex Fevreto, Lib. 4. de abusu, cap. 3. n. 30.

munus

munus Pœnitentiarii & Promotoris ab uno & eodem simul exerceri non posse.

VI. Theologus, inde dictus quòd Theologiam seu sacras Literas Clericos edocere teneretur, & ad populum sacras habere conciones. Honorius III. ut faciliùs Metropolitana quævis Ecclesia Theologum sibi compararet, c. *Super specula, de Magistris*, decrevit: ut Capitula juniores Canonicos ad Universitates mitterent; veniamque ipsis fecit residentiæ, ut & Magistris Theologiam seu sacras Literas docentibus. Vide Trid. Sess. 5. de refor. cap. 1.

VII. Decanus, dicitur qui decem viris præest, unde Decania territorium est in quod Decanus jurisdictionem aliquam habet. A regimine monastico fluxit in Capitula Canonicorum dignitas Decanatûs. Quippè cùm unus Abbas vel Prior multitudini Monachorum regendæ non sufficeret, instituti sunt Decani quibus Monachi decem gubernandi committebantur. Sunt inter ruris Parochos qui dicuntur Decani *rurales* seu *Christianitatis*, quibus id muneris ab Episcopis injungitur, ut suæ Decaniæ Parochos ad Congregationem certis temporibus advocent, atque generalem quamdam super illos curam habeant.

VIII. Canonicus, sic dictus à canone seu regula, sive quia primis temporibus Canonici communem degebant vitam, & disciplinæ monasticæ quamdam referebant imaginem; sive quia regulas seu canones arctiùs observabant. Hinc patet qua morum integritate vigere debeant. Sanè Trident. Sess. 24. de refor. cap. 12. Canonicos appellat *Ecclesiæ Senatum*.

IX. Denique sunt Parochi. Parochiæ nomine olim tota Diœcesis significabatur; sed pressiùs significatur particularis Ecclesia, cui unus Pastor seu Curatus præficitur.

Parochos esse institutionis divinæ, eosque 72. Discipulis quos Christus sibi delegerat, Luc. 10. successisse, sentiunt Doctores Parisienses, nec unquam passi sunt aliquem ex suis oppositam tueri sententiam. Quapropter cùm eam oppugnassent Joannes de Gorello Minor, anno 1408. Joannes Sarrasin Dominicanus, anno 1429. & Jacobus Vernantius, anno 1674. censuris sacræ Facultatis repressi sunt, & ad palinodiam compulsi. Extitisse primis temporibus Presbyteros, qui Præside Episcopo curam animarum habebant, certo certius habemus ex S. Policarpo, Epist. ad Philipp. Cornelio S. Pontifice in Epist. ad Fabium Antioch.... ubi testatur suo tempore 44. Presbyteros Romæ extitisse, &c.

Non ordinatione quidem nec externa ac perfecta, sed interna duntaxat jurisdictione à ceteris Presbyteris distincti sunt

Parochi,

Parochi, qui nempè ratione sui tituli seu institutionis jus habent, Episcopis subordinatum, populis curæ suæ commissis administrandi Sacramenta Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Matrimonii, & Unctionis Extremæ.

## §. IV. *De Diaconatu.*

Diaconus Græcè idem est ac Minister. Diaconatus definiri potest, Ordo per quem datur potestas inserviendi seu ministrandi Episcopis vel Presbyteris Sacra solemniter perficientibus.

Duo hic in controversiam veniunt. 1. an Diaconatus sit Ordo sacer, verumque Sacramentum: 2. Quæ sit materia & forma Diaconatûs. Novatores negant Diaconatum sacrum esse Ordinem, verumque Sacramentum. His paulò licentius favent nonnulli ex nostris, ut Durandus, Cajetanus & alii quidam, qui saltem dubitant, an Diaconatus sit verum Sacramentum. Sit ea de re

Conclusio I. Diaconatus verum est Sacramentum seu Ordo sacer, quo initiati sunt 7. primi Diaconi Act. 6. non ad vulgaris duntaxat ac profanæ, sed sacræ mensæ ministerium.

Prob. Quia nulla conditio ex iis quæ ad verum Sacramentum requiruntur, desideratur in Diaconatu. 1mo. Enim est signum sensibile, in ipsâ scilicet manûs impositione, Act. 6. v. 6. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* 2do. Est ritus à Christo institutus. Unde etenim hunc usurpassent Apostoli, nisi edocti à Christo & jussi fuissent? Hinc Ignatius in Epist. ad Smyrneos, *Diaconos*, inquit, *revereamini, ut Dei mandatum.* S. Hieronymus in Epist. ad Evagrium comparat Diaconos veteribus Levitis, qui procul dubio à Deo instituti fuerant; & Dial. adversùs Lucifer. ait, Ecclesiam multis gradibus consistere, *Ad ultimum Diaconis, Presbyteris & Episcopis finiri.* Censet igitur Diaconos, perinde ac Presbyteros & Episcopos à Christo institutos fuisse. Denique Trid. Sess. 23. Can. 6. definit *esse in Ecclesia ex divinâ ordinatione institutam hierarchiam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris*, id est, Diaconis; 3tio. Diaconatus signum est in Religione Christi constans ac perpetuum. Ab ipso enim Apostolorum ævo ad hanc usque diem continuâ praxi per manuum impositionem & orationem ordinati sunt Diaconi, ut suum Episcopis ac Presbyteris solemniter celebrantibus ministerium impendant. 4to. Illi manuum impositioni & orationi quâ ordinati sunt Diaconi annexam fuisse gratiæ promissionem, hæc demonstrant; 1mo. quia ipsamet manûs impositio cum oratione nihil aliud est quàm divinæ

gratiæ invocatio; 2do. dispositiones quas in septem primis Diaconis postularunt Apostoli, nempè ut essent *viri boni testimonii, pleni Spiritu Sancto & sapientia*, denotant sic viam sterni debuisse gratiæ quæ infundenda erat; 3tio. Stephanus mox ab acceptâ Ordinatione dicitur *plenus gratia & fortitudine*, & statim Evangelium prædicavit, sicut Philippus Diaconus, Act. 8. 4to. Conc. Chalc. Can. 2. asserit *Episcopum, qui propter pecuniam Episcopos, Presbyteros aut Diaconos ordinat, vendere gratiam pretio inæstimabilem*; 5to. Concil. Trid. Sess. 23. Can. 4. docet Episcopum in conferendo Ordinis Sacramento non frustrà dicere, *Accipe Spiritum Sanctum*; quæ verba Episcopus pronuntiat extendens dexteram manum suprà caput illius qui Diaconus ordinatur: *Accipe* inquit, *Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum diabolo ac tentationibus ejus.* ergo.

Obj. 1mo. Act. 6. ubi prima refertur Diaconorum institutio, nulla fit mentio sacri ministerii, sed tantùm curæ viduarum, eleemosynarum, quæ distribuendæ erant, & mensarum, non quidem cibos apponendo, sed providendo ne quid ad vitam pauperibus deesset. Atqui ministerium istud nedum sacrum sit, sacrum excludere videtur. *Non est æquum*, dicebant Apostoli, Act. 6. *nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* R. dist. maj. Fit tantùm mentio viduarum, & ministerii mensarum vulgarium, quæ etiam tunc temporis sacræ erant, C. vulgarium duntaxat, iterùm dist. maj. tanquam ministerii secundarii, C. primarii, N. Mensam vulgarem & sacram, Apostolorum ætate conjunctam fuisse, patet exemplo Christi, qui in ultimâ Cœnâ utramque conjunxit; & Apostolorum, qui utriusque mentionem faciunt, I. Corinth. 11. *Unusquisque*, ait Apostolus, *Cœnam suam præsumit ad manducandum; & alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* En communis seu vulgaris Cœna; pergit subinde: *Quotiescumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* En sacra seu Eucharistica Cœna, quæ primarium erat sacri mysterii objectum. Itaque Diaconi utrique mensæ ministrabant, vulgari quidem, tanquàm minùs præcipuo; sacræ, tanquam primario ministerii sui objecto: nec primum ministerium excludebat secundum; imò vix quidquam erat in comparatione ipsius. Undè S. Ignatius Martyr Epist. ad Trallianos n. 2. *Oportet*, inquit, *Mysteriorum Jesu Christi Ministros omni modo omnibus placere. Non enim ciborum & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri.*

Obj. 2do. Hieronymus in Epist. ad Evagrium Diaconos mensarum duntaxat ac viduarum ministros appellat. R. dist.

Diaconos appellat mensarum ministros, ab officio secundario, ut eorum superbiam frangat, C. quasi ad id tantùm instituti fuerint, N. Et certè in laudatâ Epist. docet Diaconos hoc esse in Ecclesiâ, quod Levitæ erant in Synagogâ: atqui Levitæ in veteri Lege à populo segregati erant ut Templo ministrarent.

Conclusio II. Materia Diaconatûs est impositio manuum; forma verò, oratio.

Prob. Ex dictis supra generatim circa materiam & formam Sacramenti Ordinis. Et verò in Ordinatione Diaconorum apud Græcos nihil est præter impositionem manuum & orationem, quod materiæ & formæ essentialis rationem habeat. Atqui est tamen apud Græcos verus Ordo Diaconatus. Ergo ceteri ritus ad integritatem duntaxat Ordinis pertinent, non ad essentiam. Unde nullum eorum vestigium extat, sive in Ordine Romano, sive in Sacramentario S. Gregorii, sive in aliis Libris Ritualibus ante annos sexcentos scriptis.

## §. V. *De Subdiaconatu.*

Subdiaconus minister est immediatè sub Diacono constitutus eique inserviens. Græci Hypodiaconos & Hiperitas appellant quasi subministros. Prima Subdiaconorum apud Latinos mentio occurrit apud S. Cyprianum Epist. 12. Tardiùs apud Græcos legitur Hypodiaconorum nomen in Conc. Laodiceno Can. 21. & 22.

Quæstio inter Theologos movetur, an Subdiaconatus semper in primitivâ Ecclesiâ Ordo sacer fuerit ac verum Sacramentum. Multi negant: qui verò affirmant, non diffitentur cum Bellarmino rem esse dubiam; Conc. Trid. Sess. 23. cap. 2. asserit quidem *Subdiaconatum ad majores Ordines seu sacros referri à Patribus & sacris Conciliis:* at non affirmat esse Sacramentum. Sit

Conclusio. Verisimilius videtur Subdiaconatum non esse verum Sacramentum, neque semper in primitivâ Ecclesiâ inter sacros Ordines annumeratum fuisse.

Prob. 1mo. Ex silentio tum Scripturæ; tum Veterum, qui tres duntaxat Ordines sacros enumerant. Ita Ignatius Epist. ad Smyrnæos & ad Trallianos; Eusebius Lib. 7. Hist. cap. 30. ubi refert Epistolam Synodicam Conc. Antiocheni adversùs Paulum Samsosat. quæ dirigitur ad *Episcopos, Presbyteros & Diaconos*, sinè ulla de Subdiaconis mentione; S. Hieron. Epist. ad Evag. ubi, *quod Aaron & Filii ejus atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicant in Ecclesiâ.*

Prob.

Prob. 2do. Verum Sacramentum debet esse á Christo, debet producere gratiam ex opere operato, atque eo ritu conferri, qui in Scripturis usurpatus legitur cùm sacri ministri ordinantur, nempe impositione manuum & oratione: atqui nihil tale occurrit in Ordinatione Subdiaconorum. Non 1. tùm quia de illâ per Christum institutione altum in sacris Litteris silentium; tùm quia Ecclesiastici Scriptores benè multi docent Subdiaconatum ab Ecclesiâ, crescente Fidelium multitudine, institutum fuisse. Ità Amalarius, Petrus Lombardus, Hugo à S. Victore, Card. Bona, &c. Non 2. nulla enim promissio gratiæ annexa legitur Ordinationi Subdiaconorum in ritu sive Græco sive Latino. Non dicit Pontifex apud Græcos *Divina gratia quæ semper infirma curat, &c.* neque apud Latinos. *Accipe Spiritum S.* neque olim Subdiaconi ordinabantur in sanctuario, sicut alii majores ministri, sed extra. Non 3. sic enim loquitur Conc. IV. Carth. anno 398. Can. 5. *Subdiaconus cùm ordinatur; quia manûs impositionem non accepit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & Calicem vacuum, de manu verò Archidiaconi urceolum cum aquâ, & mantile, & manutergium.* Apud Græcos quidem Episcopus manus imponit, sed Goarius observat illam manûs impositionem ceremonialem duntaxat esse, non sacram.

Quo ritu apud nos ordinentur Subdiaconi, quæ sint eorum officia, exponit Pontificale Rom. *Iterum atque iterum*, ait Pontifex ad Subdiaconos, *considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis .... Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari, & castitatem, illo adjuvante, servare oportebit, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos*; tum Calicem cum patena illis tradens, *Videte*, inquit, *cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut Deo placere possitis.*

Quæ vero sit Subdiaconatus materia facile infertur ex Conc. IV. Carthaginensi mox citato.

Dices Trid. Sess. 23. c. 2. asserit Subdiaconatum ad majores Ordines à Patribus & Conciliis referri; 2do. Subdiaconatus jam à multo tempore ut Ordo sacer habetur, & vasa sacra tangere Subdiaconis permittitur, 3tio. Lex servandæ perpetuò continentiæ ipsis imponitur. Ergo.

R. ad 1. ultro nos cum PP. Trid. Subdiaconatum habere ut Ordinem sacrum; at Trid. non asserit eum ab omni ævo fuisse inter Ordines sacros, aut verum esse Sacramentum.

Ad 2. Ordo sacer dicitur, eo quod speciali modo hominem DEO consecrat; nec inde inferri potest illum verum esse Sacramentum, eò quod vasa sacra tangere Subdiaconis permittatur, aut lex continentiæ ipsis imponatur. Nonne olim Fideles pro-

priis manibus Corpus Christi attrectabant? Nonne apud Græcos licitum est Presbyteris jam conjugatis matrimonio uti? Nonne religiosæ professioni annexa est lex continentiæ? Quid indè.

§. VI. *De minoribus Ordinibus & Tonsura Clericali.*

Quatuor in Latina Ecclesia numerantur Ordines minores, nempe Acolythi, Exorcistæ, Lectoris & Ostiarii, quorum nomina & propria ministeria ab ipso Ecclesiæ initio in usu fuisse meritò affirmat Trid. Sess. 23. c. 2. eorum enim in antiquissimis Ecclesiæ monumentis mentio legitur.

Acolythus græcè idem est ac sequens, famulus, comes. De illius ordinatione hæc habet Conc. Carthag. IV. Can. 6. *Acolythus cum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari: accipiat & urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi.* Acolythatus ergo est Ordo quo datur potestas ministrandi Subdiacono & Diacono in sacrificio Missæ.

Exorcistæ ex officio dæmones expellere possunt. Sic enim eos alloquitur Pontifex, *Habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptisatos, sive catechumenos;* & in oratione, quam pro eis ad Deum fundit: *Probabiles sint medici Ecclesiæ tuæ, gratia curationum virtuteque cælesti confirmati.*

Dices: Expellere dæmones pertinet ad gratiam gratis datam, atqui jam diù est ex quo in Ecclesia desière dona illa gratis data. R. dist. min. jam diù est ex quo desière dona illa Fidelibus communiter concessa, C. Ministris Ecclesiæ, N. Consecratio Corporis Christi, absolutio à peccatis, sunt gratiæ gratis datæ ad aliorum utilitatem. Atqui tamen in usu quotidiano sunt apud Christianos. Reipsa tamen usus exorcismorum non permittitur Exorcistis, nisi de licentia Episcopi, ad omnem abusum declinandum.

*Cum ordinatur Exorcista,* ait Conc. Carthag. IV. cap. 7. *accipiat de manu Episcopi libellum in quo scripti sint exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptisatum, sive catechumenum:* unde Pontifex in ordinandis Exorcistis hisce gravissimis verbis eos admonet: *Studete igitur, ut sicut à corporibus aliorum dæmones expellitis, ita à mentibus & corporibus vestris omnem immunditiam & nequitiam ejiciatis, ne illis*

*succumbatis*

*succumbatis, quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare.* Quæ autem in energumenorum exorcismis observanda sint, quæ præparatio in Exorcista, præscribunt Concilia Mediolan. I. & IV. *Pridie illius diei, quo exorcismum adhibere incœperit, se jejunio & oratione præparare studeat, tum confessus, conscientia ab omni culpa pura ac munda & magna cum humilitate & fide ... ad id munus obeundum accedat. Si Sacerdos autem est ..... Missæ sacrum faciat, si id commode præstare potest.*

Lector ex officio sui Ordinis potestatem habet legendi in Ecclesia tum Scripturam utriusque Testamenti, tum Scripta SS. Patrum. *Episcopus* ait Conc. Carthag. IV. Can. 8. *Lectori ordinando spectante plebe, tradat codicem de quo Lecturus est: dicens ad eum: Accipe & esto Lector verbi Dei; habiturus si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis qui Verbum Dei ministraverint.*

Ostiarius præficitur custodiæ Ecclesiæ, & illius supellectilis, ac recto ordini seu modestiæ quæ in domo Dei servari debet. *Sic agite* ait Episcopus Ostiarios alloquens, *quasi reddituri Deo rationem, pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Deinde ad circumstantes conversus ait: *Deum Patrem omnipotentem, fratres charissimi, suppliciter deprecemur .... ut sit eis fidelissima cura in domo Dei diebus & noctibus; ad distinctionem certarum horarum ad invocandum nomen Domini.*

*Ostiarius cum ordinatur*, ait Conc. Carthag. Can. 9. *postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario, dicens: Sic age quasi reddi-turus*, &c. ut mox diximus. Græci Lectores tantum habent; non Exorcistas, non Acolythos, non Ostiarios, aut Tonsura donatos.

An minores isti Ordinines vera sint Sacramenta, judica ex iis quæ de Subdiaconatu dicta mox fuere.

Tonsura Clericalis est ceremonia Ecclesiastica, qua quis ex Laico fit Clericus; seu per quam Laicus baptisatus, & Sacramento Confirmationis consignatus, sacro ritu in Clerum adscribitur.

Quæres. 1mo. an Tonsura sit Ordo. R. negat. Tum quia Trident. Sess. 23. c. 1. varios enumerans Ordines, Tonsuram non appellat, sed eam velut aliquid prævium supponit. *Plures* inquit, *Ordines sunt ita distributi, ut qui jam Clericali Tonsura insigniti sunt, per minores ad majores ascendant.* Tum quia Ordo quilibet potestatem activam ad aliquod officium confert,

nullum autem hujuſmodi confert Tonſura Clericalis, ſed tantum Clericos capaces & idoneos reddit, qui privilegiis Eccleſiaſticis, ac Beneficiis frui poſſint: *Filii chariſſimi*, ait Pontifex ad eos qui Tonſura initiandi ſunt, *animadvertere debetis, quia hodie de foro Eccleſiæ facti eſtis, & privilegia Clericalia ſortiti eſtis.* Iis tamen privilegiis non gaudet Clericus, *niſi Beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum & Tonſuram deferens alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſerviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel in univerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur.* Ita Trid. Seſſ. 23. can. 6. de reform.

Quæres. 2do. quæ prima ſit origo Tonſuræ Clericalis in qua tonſio fit capillorum, quæ corona dicitur, eò quod in orbem ſeu circulum ducatur. R. incertam eſſe primam illam originem: non ita incertæ rationes morales hujus capillorum tonſionis. *Tonſura*, inquit Iſidorus Hiſpal. Lib. 2. de Officiis c. 4. *in Clericis ſignum quoddam eſt quod in religione vitia reſecentur, & criminibus carnis noſtræ, quaſi crinibus exuamur, expoliantes nos, juxta Apoſtolum, veterem hominem cum actibus ſuis.* Quapropter qui Tonſura initiatur, iſtam profeſſionem emittit, *Dominus pars hæreditatis meæ & Calicis mei: tu es, qui reſtitues, hæreditatem meam mihi.* Et Pontifex hac audita, Deum orat ut gratia ſua illam confirmare dignetur. *Præſta, quæſumus, omnipotens Deus*, ait, tonſione peracta, *ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitum pro amore divino depoſuimus, in tua dilectione perpetuo maneant, & eos ſine macula in ſempiternum cuſtodias.*

Quatuor primis ſeculis, cum ferveret tyrannorum in Eccleſiam perſecutio, Clerici in modum coronæ tonſos non geſtabant capillos; ne hoc ſigno à tyrannis dignoſcerentur. Revera autem in votis ſemper habuit Eccleſia, ut Clerici breves admodum & ad modeſtiam compoſitos capillos geſtarent. Unde S. Hieron. in Epiſt. ad Euſtochium invehitur adverſus Clericos qui mulierum more catenatos crines nutriunt.

Quæres. 3tio. an primis Eccleſiæ ſeculis aliqui fuerint ſola Clericali Tonſura inſigniti, ſinè ullo Ordine, vel officio. R. neg. Quia vix ullum proferri poteſt exemplum Clerici, qui nulli officio addictus fuerit. *Cuncti in miniſterio Clericali conſtituti*, ait S. Cyprianus Epiſt. 66. *nonniſi altari & ſacrificiis deſervire, & precibus atque orationibus vacare debent.*

Quæres. 4to. quæ præviæ diſpoſitiones requirantur in eo qui Clericali Tonſura initiari poſtulat R. Trident. Seſſ. 23. de reform. can. 4. mentem ſuam expoſuiſſe his verbis: *Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint,*

*& fidei*

*& fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant; & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non secularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* Procul ergo qui ad Tonsuram Clericalem accedunt, vel ambitione ducti, vel amore vitæ mollioris, vel spe pinguioris beneficii: procul illi patres-familias, qui ad sublevandam rem suam domesticam, vel augendam alicujus filii vel filiæ fortunam, vel desiderio fruendi proventibus Ecclesiasticis, natum Ecclesiastico statui destinant priùs quam ejus indolem, mores, ingenium, probitatem exploraverint, ac præsertim DEI voluntatem assiduis precibus consuluerint. Hinc non raro & natorum, & familiarum ruina.

---

# CAPUT SEXTUM.

## *De cœlibatu sacris Ordinibus annexo.*

UTriusque Ecclesiæ, Græcæ & Latinæ praxim expendemus. Dico 1mo. Nusquam Episcopis Presbyteris, Diaconis aut Subdiaconis, in Ecclesia Græca licitum fuit uxores ducere. Id constat ex Synod Trullana an. 692. Can. 6. *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores & Cantores posse uxorem ducere; & nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui Ordinationem contrahere liceat. Si autem hoc ausus fuerit facere, deponatur.*

Dico 2do. Nusquam licuit in Ecclesia Græca Episcopis, nec etiam his temporibus licet uti conjugio, quod ante Ordinationem contraxerint. Constat ex Can. 21. ejusdem Concilii in quo id expresse prohibetur Episcopis. Propterea constat Græcas, & alias omnes Orientales Ecclesias nullum his etiam temporibus, ordinare Episcopum, nisi aut virgo sit aut viduus; aut uxoratus continentiam polliceatur.

Dico 3tio Lege per idem Concilium confirmata licitum est Græcis Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis, retinere uxores legitimas ante Ordinationem ductas, & omni jure conjugali uti.

Dico 4to. In Ecclesia Latina nusquam licuit Episcopis, Presbyteris, & Diaconis uxores ducere, aut uti uxoribus ante Ordinationem ductis.

Prob. ex Concilio Eliberit. an. 305. Can. 33. *Placuit in*

*totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis .... positis in ministerio; abstinere se à conjugibus suis, & non generare filios. Quicumque verò feceris, ab honore Clericatus exterminetur.* Idem tradunt PP. Concilii Carthag. II. an. 397. Can. 1. Ut nempe, inquiunt, *quod Apostoli docuerunt & observavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Concinit Siricius S. P. in Epist. ad Himerium Tarrac. Episcopum: *Sacerdotes omnes,* inquit *& Levitæ indissolubili lege adstringimur, ut à die Ordinationis nostræ sobrietati & pudicitiæ, & corda nostra mancipemus & corpora.* Idem habet S. Epiph. hæresi. 59. *Qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi sit unius uxoris vir, nequaquam tamen illum ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi aut Hypodiaconi Ordinem Ecclesia suscipit; sed eum duntaxat qui ab unius uxoris consuetudine se se continuerit, aut ea sit orbatus.*

Dico 5to. Varia fuit Ecclesiæ Latinæ disciplina circa Subdiaconorum continentiam. Nam Concilium Eliberit. præcipit Subdiaconos manere cœlibes. S. Leo primus è S. Pontificibus Subdiaconis continentiæ legem imposuit. S. Gregorius exeunte seculo VI. legem quâ prædecessor ejus Pelagius II. Subdiaconos Siciliæ ab uxoribus superaverat, sic temperavit, ut nullus deinceps ad Subdiaconatum promoveretur, nisi perpetuam continentiam professus; sed indulsit, ut qui conjugio copulati fuerant, cum uxoribus ad prolem manerent. Tandem seculo XI. lex continentiæ ubique obtinuit in Ecclesia Latina respectu Subdiaconorum post decretum Urbani II. in Concilio Claromontano.

Ea porro lex divina non est, sed Apostolica & Ecclesiastica; quia quod semper observatum fuit in Ecclesia, nec ab ullo Concilio legitur institutum, id censetur Apostolicæ traditionis atqui lex perpetuæ continentiæ, &c.

Frustra Novatores conqueruntur duram Clericis nos legem imponere, ac infirmis sic laqueum injici. Namque Ecclesia neminem cogit ad sacrum ministerium; & qui ad illud liberi accedunt, censentur & legi continentiæ, quam ignorare non possunt, se se sponte subjicere. Qui si non probatis prius suis viribus imprudenter obtrudant se, sibi suam culpam imputent, & jugi oratione donum illud à Deo postulent, qui ut misericors rectè petentibus non denegat, nec patitur tentari nos supra id quod possumus. Vide quæ ea de re dicta sunt Tom. 1. ubi de obligat. Clericorum.

TRA-

# TRACTATUS
## DE
# MATRIMONIO.

IN hoc Tractatu tritam secuti methodum dicemus de Matrimonii essentia, institutione, causis, proprietatibus, &c.

## CAPUT PRIMUM.

### *De essentia Matrimonii.*

MAtrimonium quod à *matre* derivatur, quia in eo potius est matris munium, seu officium, dicitur etiam *conjugium* à communi conjugum jugo, & *connubium* ac *nuptiæ*, à *nubo*, seu *velo*; quia conjuges benedictionem accepturi præ modestia velamine obteguntur*.

Matrimonium spectari potest, vel ut est contractus naturalis, seu in officium naturæ, vel ut est contractus civilis, seu juxta proprias locorum leges celebratus; vel ut est Sacramentum. Ut officium naturæ ad propagationem humanæ speciei ordinatur: ut contractus civilis Reipublicæ paci ac perennitati consulit: ut novæ Legis Sacramentum, conjuges gratia exornat. Ecclesiam ditat prole piè educata, & concupiscentiæ medetur. De Matrimonio, ut contractu & Sacramento nobis præcipuè dicendum.

Matrimonium ut contractus definitur: Maritalis conjunctio viri & feminæ, inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens. Est quidem 1mo. *Conjunctio*, id est, vel actus quo per mutuum consensum uniuntur conjuges; vel nexus & vinculum ex eodem actu habitualiter permanens. 2do. Est conjunctio *Maritalis* quia finis Matrimonii est mutua corporum traditio, & sic distinguitur à quavis alia specie unionis, quæ v. g. fratrem inter & sororem occurrit. Unde vox *maritalis* locum habet differentiæ, ut vox *Conjunctio* locum habet ge-

 neris.

* *Hic ritus adhuc servatur in Gallia.*

neris. 3tio. *Viri & Mulieris*, ut designetur Matrimonii subjectum quod ab initio fuit homo unus & mulier una. 4to. *Inter legitimas personas*, quæ videlicet secundum leges idoneæ sunt ad contrahendum. 5to. *Individuam vitæ societatem retinens*, id est societatem quæ solo Partium consensu solvi nequit, ut solvuntur alii contractus; etsi olim per repudium solvi potuit, & nunc aliquando per Professionem Religiosam; de quo infra.

Matrimonium ut Sacramentum definiri potest: *Sacramentum novæ Legis, quo vir & mulier baptisati corporum suorum dominium legitimè sibi tradunt & accipiunt, ad prolem pie & christianè instituendam.*

Ex dictis liquet non omne Matrimonium ejusdem esse generis. Et reipsa aliud est *legitimum*, quod mutuo consensu inter personas legitimas contractum est; ut sunt conjugia Gentilium. Aliud *ratum*, quod inter baptisatos contrahitur, & ideo majorem habet firmitatem. Aliud *consummatum*, quod per coitum carnalem completum est, & si à baptisatis contractum sit, jam dissolvi non valet.

Cum in Matrimonio occurrant, 1mo. consensus interior Partium; 2do. pactio externa, seu signa quibus consensus ille sensibiliter exprimitur; 3tio. vinculum ex illa mutua pactione resultans, cum jure alterius in alterum; 4to. mutua reddendi debiti obligatio; 5to. ipsa debiti redditio: Quæritur in quo ex his posita sit Matrimonii essentia: quæ difficultas ut solvatur: nota: Matrimonium ut sic spectari posse, vel *in fieri*; & sic habet esse fluens & transitorium; vel *in facto* esse, & sic habet esse fixum ac permanens. Sit

Conclusio. I. Essentia Matrimonii non consistit in usu seu carnali copula. Ita Catholici omnes contra Julianum Pelagianum.

Prob. 1mo. In eo non consistit Matrimonii essentia, ante quod & sinè quo verum est & propriè dictum Matrimonium. Atqui ante coitum carnalem & sine ipso .... 1mo. enim verum fuit Matrimonium Adamum inter & Evam in Paradiso terrestri, cum Evam intuitus Protoparens dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis: Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ* Genes. 2. Atqui tamen nullus fuit Adamum inter & Evam Matrimonii usus in Paradiso; sed tunc tantum, cum inde propter peccatum ejecti sunt, ut liquet ex c. 4. ibid. & docet Augustinus L. 9. de Genes. ad lit. c. 4. 2do. Fuit etiam verum Matrimonium inter S. Josephum & B. Virginem. Atqui nulla unquam fuit eos inter carnalis commixtio; tum quia docet Ecclesiæ Fides Mariam ante partum, in

partu,

partu, & post partum, virginem permansisse; tum quia B. Virgo emiserat votum castitatis, quandoquidem Angelo hæc prænuntianti, Luc. 1. 31. *Ecce concipies & paries*, respondit *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Hinc autem meritò colligitur eam prius suam Deo virginitatem consecrasse, alioqui statim poterat ei responderi: Necdum quidem virum cognovisti, aut proposuisti unquam cognoscere; at mutabis propositum, & cognosces. Atque ita docent Gregorius Nyssen. Beda, Bernardus Anselmus, &c. Ergo.

Prob. 2do. ratione duplici. I. usus rei de qua contractum est, non constituit essentiam contractus, sed ipsam subsequitur; sic perfecta est venditio statim ut rei venditæ translatum est dominium, licèt emptor ea uti nolit. Atqui carnalis copula usus est Matrimonii. II. Si coitus ad Matrimonii essentiam spectet, eo sublato debet & Matrimonium tolli; cum sublata essentia, rem ipsam tolli necesse sit. Atqui sublato Matrimonii usu .... unde Apostolus mulierem quæ à viro separata est, innuptam remanere jubet, I. Cor. 7. 11. Ergo, ut bene S. Chrysostomus, *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.*

Obj. 1mo. Matrimonii essentia in eo consistit, quod duo sint *in carne una.* Atqui non sunt duo in carne una nisi per carnalem copulam. R. dist. maj. In eo consistit, quod sint duo in carne una, id est, quod mutuum jus in corpora sua habeant, C. Quòd jure illo per copulam necessario & actu utantur, N. Utique cum hæc dixit Adamus, verum jam eum inter & Evam intercedebat Matrimonium, aut saltem tunc temporis initum est. Atqui tamen necdum duo erant in carne quoad usum, sed tantum quoad jus. Unde Græca Textus objecti lectio habet: *Erunt duo ad carnem unam:* quæ magis jus ad carnem, quam ipsum carnis usum exprimunt.

Obj. 2do. Matrimonium, præsertim Christianorum, debet esse *Sacramentum magnum in Christo & in Ecclesia*, ideoque Christi cum Ecclesia unionem exprimere. Atqui unio hæc, per quam Christus unum cum Ecclesia corpus efficitur, nonnisi per carnalem coitum exprimi potest. R. dist. maj. Matrimonium debet exprimere unionem Christi moralem cum Ecclesia, & quidem ut aliquid sibi extrinsecum, C. unionem physicam, N. Unio Christi cum Ecclesia duplex; alia naturalis, per unionem hypostaticam cum humanitate; alia moralis per jugem quo Ecclesiam suam reficit gratiæ influxum. Priorem significant consummatio Matrimonii: posteriorem exhibet conjugalis animorum unio per individuam vitæ societatem, & mutua amoris, & obsequii specimina. Postrema hæc per Matrimonium repræsentari debet; at hujus solius, non autem

prioris, repræsentationem ad ejus substantiam pertinere contendo: hanc enim præcipuè spectat Apostolus, Ephes. 5. cum ibi totus sit in commendanda mutua conjugum dilectione; unde post verba ista: *Sacramentum hoc magnum est*, &c. *Unusquisque*, inquit, *uxorem suam sicut seipsum diligat*. Ergo. Adde quod Sacramentum debet quidem essentialiter exprimere id quod in ipso continetur, nempe gratiam; sed non id quod ipsi extrinsecum est, ut est Christi cum Ecclesia conjunctio.

Obj. 3tio. Potissima nostra probatio hinc desumitur, quòd verum fuerit Mariam inter & Joseph conjugium, qui tamen ambo carnali copulæ renuntiaverant. Atqui probatio hæc contra nos retorqueri potest. Siquidem ad Matrimonium etiam ratum requiritur jus radicale ad copulam; & licèt hæc non debeat expresse intendi, non tamen expresse excludi potest. Unde Greg. IX. c. 7. de Cond. appos. *Si conditiones*, inquit *contra substantiam conjugii inserantur, puta si dicat alter alteri Contraho tecum, si generationem prolis evites, Matrimonialis contractus caret effectu*. Atqui ubi contrahitur cum voto castitatis, ab una parte emisso, ab alia autem acceptato, (qui casus est B. Virginis & Josephi,) tollitur jus etiam radicale ad copulam proinde inseritur conditio contra substantiam conjugii. Atque hinc Matrimonium sub ea conditione initum, ut ambo servent castitatem, invalidum esse docent S. Thomas, S. Bonaventura aliique plures Theologi, & Canonistæ. Ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. & dico B. Virginem & Josephum contraxisse absolutè, & verè consentientes in jus & potestatem mutuam corporum; ita ut uterque haberet quidem propositum servandæ castitatis, sed neuter exigeret ab alio, ut nunquam maritali jure uteretur: secundum id cap. 3. XXVII. q. 2. *B. Maria proposuit se servaturam votum virginitatis; sed* id *non expressit*, seu non declaravit *ore*. *Subjecit se divinæ dispositioni, dum proposuit se perseveraturam Virginem, nisi Deus ei aliter revelaret*. Sic autem nulla ab ea apposita est conditio, quæ Matrimonii substantiæ contraria foret. Vere enim & explicite consensit in jus ad copulam; sed vel in ipsam copulam non consensit, quia per revelationem sciebat id esse superfluum; vel consensit *sub conditione, si Deo placeret*. Hinc & valet Matrimonium sub pacto mutuæ continentiæ initum. Quia cum eo pacto stat semper conjuges ad debiti redditionem obligatos fore, si Deus suam hanc esse voluntatem manifestaverit.

Obj. 4to. Illud est essentiale Matrimonio, sinè quo Matrimonii finis haberi non potest. Atqui sinè corporum conjun-

ctione..... Finis enim Matrimonii est id Genes. 1. *Crescite & multiplicamini.* Atqui, &c. R. dist. maj. Sine quo Matrimonii finis primarius haberi non potest, C. secundarius, N. Finis Matrimonii primarius est individua vitæ societas, cum intima, quæ carior est animorum copulatione: at commixtio ad prolem non magis est primarius ejusdem finis, quam ipsa prolis susceptio, quæ tota pendet à Deo, nec tribuitur sterilibus, quorum tamen conjugia indubiè valida sunt.

Conclusio. II. Matrimonium spectatum *in fieri* consistit in mutua pactione, qua Partes individuam vitæ societatem sibi spondent. Idem spectatum *in facto esse* consistit in vinculo quod ex mutua illa virum inter & mulierem pactione resultat.

Prob. 1. pars. Matrimonium *in fieri* consistit, ut ceteri contractus, in actione transeunte, per quam contrahentes ad aliquid ultro citroque se obligant. Atqui actio hæc in præsenti nihil aliud est quam mutua pactio, vi cujus Partes individuam vitæ societatem sibi spondent. Ergo.

Prob. 2. pars. Matrimonium *in facto esse* est conjunctio viri & mulieris permanenter subsistens in individam vitæ societatem. Atqui permanens illa conjunctio viri & mulieris ipse est nexus ac vinculum, quô uterque uniuntur. Hinc Catechismus Trid. hic part. 2. num. 5. *Quamvis in perfecto Matrimonio insint consensus interior, pactio externa verbis expressa obligatio & vinculum quod ex ea pactione efficitur, & conjugum copulatio, qua Matrimonium consummatur; nihil tamen horum Matrimonii vim & rationem proprie habet, nisi obligatio illa & nexus, qui conjunctionis vocabulo significatus est.*

Obj. Eadem est essentia Matrimonii in ratione contractus spectati, quæ ejusdem spectati prout est Sacramentum. Atqui Matrimonium, prout est Sacramentum, non consistit in vinculo & nexu Partium, sed in aliquo transeunte. Sacramentum enim debet esse sensibile. Porrò habituale conjugii vinculum nihil habet quod sensus afficiat. R. dist. maj. Eadem est essentia Matrimonii ut contractus *in fieri*, quæ ejusdem spectati ut est Sacramentum C. Eadem est Matrimonii *in facto esse*, N. Matrimonium enim ut Sacramentum, exigit materiam, formam, & Ministrum alteram alteri activè applicantem. Atqui hæc soli conveniunt Matrimonio in fieri, non autem habituali vinculo, quod etiam in somno perseverat.

CAPUT

# CAPUT SECUNDUM.

## *De institutione Matrimonii.*

### §. I. *De institutione Matrim. ut est officium naturæ.*

CIrca Matrimonium ut est officium naturæ, quæritur 1mo. an honestum sit, an non è contra malum, ut docuerunt Encratitæ, Adamiani, &c. 2do. an omnibus imperatum sit lege naturali, adeo ut nunquam ipsi præferri possit virginitas, ut docent Pseudoreformati. Sit

CONCLUSIO I. Matrimonium per se & intrinscè licitum est & honestum. Est de fide.

Prob. 1mo. ex his Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Sed quæ conjuncta sunt à DEO, sunt necessario intrinsece bona. Et verò an nuptias præsentia sua cohonestasset Christus, & insigni miraculo illustrasset, nisi per se licitæ & sanctæ forent. Utique ait Augustin. Tract. 9. in Joan. *Quod Dominus invitatus venerit ad nuptias, confirmare voluit quod ipse fecit nuptias. Futuri enim erant dicentes quod malum essent nuptiæ.*

Idem pluries docet S. Paulus, I. Cor. 7. v. 9. *Si non se continent, nubant.* V. 38. *Qui Matrimonio jungit virginem suam bene facit.* Hebr. 13. 4. *Honorabile connubium in omnibus.* Atqui hæc demonstrant Matrimonium esse rem de se sanctam, quin & aliquando necessariam. Hinc idem Apostolus hæreticos supra recensitos prædamnavit, I. Timoth. 4. his verbis: *In novissimis temporibus discedent quidam à Fide, attendentes doctrinis dæmoniorum .... prohibentium nubere.* Quæ autem pejor quam dæmoniorum doctrina?

Prob. 2do. ex Conciliis: Gangrense, Can. 1. *Si quis vituperat nuptias, anathema sit.* & Bracarense II. Can. 11. *Si quis conjugia humana damnat, & procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manichœus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.*

Prob. 3tio. Ex dicendis Christus Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit. Atqui sinè blasphemia dici non potest quod ad istum honoris gradum evexerit rem de se inhonestam.

Obj. 1mo. ex Apost. I. Cor. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere.* Atqui, ait S. Hieronymus, Lib. 1. contra Jovin.

*Si*

*Si bonum est mulierem non tangere, malum est eam tangere: Nihil enim bono contrarium est, nisi malum.* R. dist. min. Malum est mulierem tangere, id est minus bonum, C. Malum est verè, Subdist. Malum pœnæ, quia non solet tangi mulier nisi cum turpi concupiscentia, quæ pœna est orginalis peccati, C. Malum est culpæ, N. In Matrimonio duo sunt quæ dignitatem ejus imminuant; 1mo. quod minus sit bonum quam virginitas: unde ad hanc totis viribus hortatur Apostolus in objecto Capite; nec Matrimonium, nisi ut minus bonum permittit; 2do. quod actus cunjugalis vix exeritur sinè gravi concupiscentia, quæ ipsis etiam castioribus animis insidiatur. At non ideo Matrimonium de se malum est, in mente seu Apostoli, seu Hieronymi, qui textum ejus paulo durius inflectit: Non in mente Apostoli, juxta quem *Qui Matrimonio jungit virginem, suam, benè facit; etsi qui non jungit, melius facit.* Non in mente Hieronymi, qui malum vocat, vel id quod minoris boni rationem habet, vel id cui graviter imminet periculum peccati. *Neque vero nos*, inquit in eod. Lib. *Marcionis & Manichæi dogmata sectantes nuptiis detrahimus. Non ignoramus honorabiles nuptias & thorum immaculatum. Sed ita nuptias recipimus, ut virginitatem, quæ de nuptiis nascitur, præferamus.*

Inst. Illud revera malum est, cujus usum nonnisi ex indulgentia seu venia concedit Apostolus. Qui enim *tribuit veniam denotat culpam*, ait August. L. de Pecc. origin. c. 38. Atqui conjugii usum ..... Sic enim habet ibid. v. 5. *Nolite fraudere invicem* debito conjugali, *nisi forte ad tempus. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* R. dist. min. Apostolus conjugii usum ex indulgentia concedit, quia usus ille sit aliquid minus perfectum quam continentia, C. quia sit aliquid reipsâ malum, N. En brevem Apostolici textus analysim. *Nolite fraudare* vos *invicem* debito conjugali, *nisi fortè ex* mutuo *consensu ad tempus*, *ut* ferventiùs *orationi*, quæ Eucharistiæ perceptionem præcipuè importat, *vacetis*: & *iterum revertimini in idipsum* conjugii usum; *nè*, si diutius maneatis thoro separati, *tentet vos satanas propter incontinentiam*, ad quam præ ceteris Græcis( ut notat Baronius) proclives estis. *Hoc autem dico* tanquam infirmis *secundum indulgentiam, non secundum imperium*; id est, permitto, non præcipio. *Volo enim*, id est optarem *vos omnes esse sicut meipsum*, nimirum in continentia, ut ait D. Chrysostomus. Hæc autem, quæ genuina est Apostoli expositio difficultatem perimit.

Obj. 2do. Actus cui intrinsecè conjunctus est turpis libidinis sensus, verum est peccatum: cùm libido ex Apostolo repugnet

pugnet *legi Dei* & *mentis*. Sed actui conjugali, non secus ac fornicationi & adulterio, &c. R. dist. min. Actui conjugali annexus est turpis libidinis sensus, turpis, inquam, turpitudine pœnæ, C. Turpis turpitudine culpæ, Subd. Turpis, cum mens corpoream voluptatem, propter seipsam inquirit, C. secus N. Itaque, ut advertit S. Thomas, in actu conjugali est quædam concupiscentiæ turpitudo *ex peccato primo* Protoparentum *proveniens*; quatenus *inferiores vires & membra corporis rationi non obediunt*: At turpitudo hæc, licèt aliquid habet physicè inordinati, nihil tamen habet quod mali moralis rationem induat, quandiu sistit intra præscriptos rationis limites: sicut nihil mali habet voluptas quæ ex cibi gustu percipitur, quandiu cibus non ob ipsam voluptatem, sed ob justum corporis levamen gustatur. Non alio igitur sensu conjugalis libido, seu melius delectatio dicitur mala & legi mentis repugnans, quam ipsamet concupiscentia. Hæc porrò, ut alibi probavimus, est tantum mala materialiter, quia ad malum pro nativa nostra infirmitate potenter inclinat; nec dubium quin maritalis concupiscentia possit meriti occasio esse seu dum ei omninò resistitur, prout à S. Henrico factum est; seu dum in ipso opere id unum intenditur quod Deus intendi voluit.

Conclusio. II. Matrimonium non videtur strictè præceptum jure naturali; at præceptum est divina Lege.

Prob. 1mo. Quia suspicari non licèt Adamum quidquam in re tanti momenti fecisse præter voluntatem Dei. 2do. Quia id, *Crescite & multiplicamini*, Genes. 1. connubii præceptum importat, vel saltèm supponit. Atqui non naturale, nisi naturale sumatur pro eo quod naturæ multum congruit. Ergo divinum. Unde Honorius III. cap. ult. *de Frigidis*, &c. Deum Matrimonii institutorem vocat.

### §. II. *De institutione Matrimonii ut est Sacramentum.*

Quæstio in eo est an Matrimonium sub Lege naturali & Mosaica rationem veri Sacramenti habuerit, perinde ac sub Lege Evangelica. Asserunt Pighius, Maldonatus, Launoius; quorum alii opinionem minime tutam credunt cum Bellarmino: alii ut damnatam rejiciunt cum Vasque. Sit

Conclusio. I. Matrimonium in Lege antiqua non fuit verum Sacramentum.

Prob. 1mo. Ad Sacramentum requiritur: ut sit signum efficax gratiæ, eamque per se & ex opere operato producens. Atqui Matrimonium in primævis Legibus non fuit hujusmodi. Signum enim gratiæ efficax, annexam habet gratiæ promissionem

nem, eamque per sensibilia signa constanter producit. Atqui nec uspiam legitur annexa veteribus Matrimoniis gratiæ promissio; nec institutum fuisse à DEO signum aliquod, cui hæc efficaciter alligaretur.

Prob. 2do. ex Trid. Sess. 24. c. unic. de Matrimonio, ubi sic: *Cum Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet, merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum SS. Patres docuerunt.* Atqui si Matrimonium ab initio mundi fuisset Sacramentum gratiam ex opere operato conferens, jam in Evangelica Lege non præstaret gratiâ veteribus connubiis; quia in his etiam gratia certò collata fuisset.

Obj. 1mo. DEUS per hæc verba: *Crescite & multiplicamini*, Genes. 1. Protoparentum Matrimonio, & in eo ceteris etiam benedixit. Atqui cum sermo DEI sit efficax, benedictio hæc gratiam operari debuit. Et verò, si DEUS soli Adæ, non autem ceteris conjugatis gratiam spopondisset, Matrimonium in medelam concupiscentiæ institutum non fuisset; cum non possit sinè gratia concupiscentiam frænare.

R. ad 1. neg. min. DEI enim benedictio id unum operari debuit ad quod ordinabatur. Porrò ad unam humani generis propagationem ordinabatur; sicut quæ animantibus data erat ibid. v. 22. Et verò subdit DEUS: *Replete terram & subjicite eam & dominamini piscibus maris.* Ergo ad hæc etiam extenditur prædicta benedictio. An porrò ad hæc etiam concessa fuit gratia sanctificans, qualis per Sacramenta confertur?

R. ad 2. Matrimonium licet gratiam per se non pareret, nihilominus fuisse in remedium concupiscentiæ; tùm quia id saltem habet quod justos intra limites concupiscentiam sistat; tum quia nusquam defuit conjugatis ad DEUM suppliciter recurrentibus gratia, quâ libidinis pruritum superarent. Verùm hæc gratia, quæ operi operantis adscribitur, procul distat à gratia sacramentali.

Obj. 2do. S. Leo epist. 2. c. 4. ait societatem nuptialem ita fuisse ab initio constitutam, ut *præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum.* Ergo Matrimonium fuit ab initio Sacramentum. R. dist. Societas nuptialis fuit ab initio Sacramentum, id est signum speculativum unionis Christi cum Ecclesia, C. signum gratiæ efficienter productivum, N. Id enim nec dixit, nec insinuavit S. Leo. Eodem modo intelligendi sunt Textus à Launoio, ut moris ejus est, crudè congesti. Ex his enim unum id colligere est, vel Matrimonium, quod hodiè Sacramentum est, primitus in Paradiso fuisse institutum, scilicet in officium naturæ; vel idem Matrim.

prout

prout Christi & Ecclesiæ unionem repræsentat, suo modo id est largiori sensu, dici posse Sacramentum. Utrumque porro lubenter confitemur.

Longe gravior est quæstio: an Matrimonium in nova Lege sit Sacramentum. Negat post Lutherum Calvinus, qui Lib. 4. Instit. c. 19. Matrimonium à nemine *usque ad Gregorii tempora pro Sacramento datum* esse contendit. Sit contra

CONCLUSIO. II. Matrimonium verum est novæ Legis Sacramentum.

Prob. 1mo. ex Ephes. 5. v. 25. *Viri, diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus ... Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Unde sic: Signum non modò speculativum unionis Christi cum Ecclesia, sed & gratiæ efficienter productivum, verum est Sacramentum, dummodo ceteras habeat conditiones quæ ad Sacramentum requiruntur. Atqui ex cit. textu, Matrimonium est 1mo. signum speculativum unionis Christi cum Ecclesia, ut fatentur omnes; & ad minus indicant hæc verba: *Sacramentum hoc magnum est in Christo & in Ecclesia.* 2do. Qui cardo est difficultatis, signum illud gratiæ efficienter productivum est. Signum enim consequenter ad quod sponsi capaces sunt charitatis omnium præstantissimæ, gratiæ efficienter productivum esse debet. Atqui sponsi consequenter ad Matrimonium, prout est signum unionis Christi cum Ecclesia, capaces sunt charitatis omnium præstantissimæ, cum eatenus possint & teneantur sese invicem diligere, *sicut & Christus dilexit Ecclesiam,* qui *seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret;* ibid. v. 26.

Et verò non est facilè deserenda à Catholicis probatio quæ grave habet fundamentum in Trid. Atqui talis est probatio ex Ephes. 5. desumpta. Sic enim habet S. Synodus, cit. c. unic. de Matrim. *Gratiam vero quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis Passione promeruit; quod Paulus Apostolus monuit, dicens:* Viri, diligite uxores vestras, &c. *Mox subjungens:* Sacramentum hoc magnum est, &c. *Cum igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet, merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum SS. Patres docuerunt.* Atqui hic Concilium ex Apostoli textu, caute licet, concludit Matrimonium esse verè

Sacramen-

Sacramentum. Cum ex eo concludat, 1mo. per Matrimonium Legis novæ, non solum conferri gratiam quæ *conjuges sanctificet*, sed & eam multo uberiorem tribui, quam *in veteribus conjugiis* 2do. gratiam hanc efficaciter & ex opere operato tribui: alioqui enim non *merito*, sed ineptè SS. Patres ex gratiæ hujus collatione conclusissent, *Matrimonium inter novæ Legis Sacramenta esse annumerandum*; cum nullum esse possit Legis novæ Sacramentum, quod gratiam efficaciter & ex opere operato non producat.

Prob. 2do. argumento præscriptionis: Id quod ante exortas Lutheri ac Calvini novitates tota, moraliter loquendo admittebat tam Occidentalis quam Orientalis Ecclesia, nisi recenter inductum probetur, primævæ Traditionis, adeoque Apostolicæ, fœtus censeri debet. Neque enim Ecclesia tota sic à Deo deseri potest, ut rem mere profanam in Sacramentum erroneè transvertat. Atqui diu ante utrumque Novatorem ...

Prob. min. 1mo. de Ecclesia Occidentali. Nimirum vero Tridentinam de Matrimonio fidem tradidit anno 1439. Eugen. IV. in Decreto, ubi Conjugium accenset veris novæ Legis Sacramentis, quæ *gratiam continent, & dignè suscipientibus conferunt.* Idem erat sensus Conc. Constantiensis, an. 1414. & seq. habiti. Unde consequenter ad Sess. 15. in qua 30. J. Hus Articuli proscripti fuerant. Martinus V. præcipit, ut qui hæresis suspecti sunt, interrogentur an credant *quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis vel Extr. Unctionis, vel solemnisationis Matrimonii, peccet mortaliter.* Sed & utroque hoc Concilio, antiquior erat Ecclesiæ Romanæ fides quoad præsens caput. Siquidem Lucius III. qui diem clausit an. 1185. c. 9. *de Hæreticis* sic loquitur: *Qui de Sacramento Corporis & Sanguinis D. J. C. vel de Baptismate, seu de peccatorum Confessione, Matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam S. Rom. Ecclesia prædicat, vinculo perpetui anathematis innodamus.* Præiverat anno 1179. Conc. Lateran. III. cui sub Alexandro III. interfuerunt Episcopi 302. Ibi enim, can. 7 & 8. severè vetitum est nè *pro benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis conferendis aliquid* pretii *exigatur:* ubi ponderanda vox *aliis* quæ in nuptias refluit. Neque novum erat istud Ecclesiæ ceterarum Matris dogma, sed à prioribus seculis haustum, ut inferius patebit. Ergo diu ante Pseudoreformatos viguit nostra de Matrim. Sacramento doctrina in tota qua patet Latina Ecclesia.

2do. Idem constat de Orientali Ecclesia, & quidem 1mo. ex omnibus Græcorum, Coptorum, Jacobitarum, Syrorum, aliorum-

aliorumque Orientalium Euchologiis, quæ docent, Sacerdotem Fidelium Matrimoniis assistere, & eas super sponsos preces fundere quibus gratiam suam annecti cum Ecclesia sua persuasum habent. 2do. Ex peritissimis quibusque Græcæ Ecclesiæ Scriptoribus. Sic qui doctrinæ fama paulo ante Florent. Conc. claruit Simeon Thessalonicens. Lib. *de Initiatis*. c. 33. *Septem* inquit, *sunt Ecclesiæ Sacramenta, quæ per Spiritum operantur, videlicet Baptismus, Chrisma, Communio, Ordinatio, Nuptiæ, Pœnitentia, & S. Oleum.* Sic qui in Flor. Syn. locum tenuit Alex. Patriarc. demumque CP. Patriarcha evasit Gregor. Protosincellus, in Apologia adversus Marcum Ephesium *septem* Ecclesiæ *Sacramenta* disertè commendat. Sic Job Monachus, inter *sacro sancta Christi Ecclesiæ Mysteria*, quinto ordine *honorabiles nuptias* recenset. Eaque tam constans erat Ecclesiæ Græcæ fides, ut Græci, licet soluta paulo post Conc. Florent. pace, immania quæque adversus Rom. Ecclesiæ dogmata effutierint, ne leviter quidem præsens caput attigerint.

3tio. Probari non potest dogma illud ubique creditum ubique recenter inductum esse. Si enim recens inductum sit ostendant Pseudoreformati quo primum tempore adinventum fuerit, qua ætate inoleverit, quo casu vel artificio omnium animos occupaverit; quî contingerit, ut ex tot fidei vindicibus qui qualibet ætate vixerunt, ne unus quidem serpens virus detegere vel adoriri potuerit; qua incantatione factum sit, ut gentes tantis adversum se invicem odiis æstuantes, novitius error tanta facilitate pervaserit; quo pacto delusi nova superstitione Populi sibi persuaserint id, quod hactenus pro communi contractu habuerant, verum esse Sacramentum. Hic porro Adversarii, si non elingues manent, ideò tantum loquuntur ne non loquantur. Quomodo sub reformationis initium pressi à Catholicis, ea etiam portentosa dogmata vindicabant, quæ postmodo ab eorum Discipulis abjecta fuere.

Prob. 3tio. ex Patribus, quorum alii Matrimonium inter res in Religione Christiana sacras recensent; alii exhibent ut ritum cui annexa est gratia; alii Sacramentum esse proprie dictum non ambigue declarant. Tertull. Lib. 2. ad Uxorem, *Unde* ait, *sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, & obsignat benedictio.* Siricius Papa, Epist. 1. c. 4. *Illa benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.* Cyrillus Alex. L. 2. in Joan. c. 22. *Ipse Christus invitatus* ad nuptias *venit, ut generationis humanæ principium sanctificaret; iis quoque qui postea nascituri essent gratiam præstaret, & eorum ortum sanctum efficeret*, Con-

cilium

cilium Carthag. IV. cui interfuit an. 398. Augustinus, sic sanxit can. 17. *Sponsus & sponsa, cum benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus suis vel paranymphis offerantur. Qui cùm benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia benedictionis in virginitate permaneant.* S. Ambrosius Epist. 19. ad Vigilium: *Conjugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oportet.* Idem, L. 7. de Abraham, c. 7. *Si quis alienum thorum polluit, peccat in Deum: cujus legem violat, gratiam solvit: & ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cælestis amittit consortium.* S. Aug. L. de bono conjug. c. 18. *In Christianorum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.* Ex quibus sic in forma: Ritus sacer, ritus annexam habens gratiam, ritus qui simpliciter Sacramentum dicitur, totam Sacramenti rationem habere debet: neque enim aliter Baptismum v. g. Sacramentis annumerandum esse probamus. Atqui ex prædictis Patribus, Matrimonium est ritus sacer cum & inter sacra celebretur, & sacerdotali benedictione consignari debeat. Est ritus annexam habens gratiam, cum divina gratia fundetur, humanæ generationis principium sanctificet, & in Deo regnum Cœlorum habeat. Denique dicitur simpliciter Sacramentum, ab Ambrosio & ab Augustino. Merito igitur Trid. Sess. 24. can. 1. *Si quis dixerit Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis à C. D. institutum, neque gratiam conferre; anathema sit.*

Obj. 1mo. Ut corruat allatum præscriptionis argumentum, sufficit ut assignetur tempus, quo citra fidei periculum potuerint nuptiæ ex albo Sacramentorum deleri. Atqui potest tempus illud assignari; videlicet seculum Petri Lombardi, Durandi, & ipsius S. Thomæ, Tunc enim, etsi communior erat doctrina, quæ Matrimonium Sacramentis annumerabat, hærebat illa tamen intra meræ opinionis limites; unde ab aliis quidem, ut à S. Thoma, tenebatur, sed tantum quasi probabilior; ab aliis verò rejiciebatur, ut à Lombardo, à Durando, à Glossa in c. 13. XXXII. q. 2.

R. neg. maj. Potest enim dogma ad fidem materialiter pertinens aliquandiu in dubium vocari, vel etiam negari, non quidem sine præjudicio veritatis, sed sinè periculo impugnandi fidem ab Ecclesia propositam, quia Ecclesia, licèt nunquam condat novos fidei articulos, aliquos tamen prout exigunt temporum circumstantiæ, evolvit. Sic potuit aliquando, contra verum quidem, sed non contra fidem, definitam scilicet, credi cùm Papia, visionem beatificam non statim à morte concedi; & cum Cypriano irritum esse Baptisma ab Hæreticis collatum.

Ergo sicut dogmata hæc aliquando potuerunt bona fide impugnari, etsi semper substiterit moralis Traditio, ex qua rebus serio eliquatis definita fuerunt; sic & Matrimonii dignitas potuit aliquando á nonnullis in dubium revocari, licet perpetuo moraliter in omnibus Ecclesiis viguerit catholica hujus articuli doctrina. Jam vero ex doctrina illa moraliter ubique diffusa legitimum præscriptionis argumentum confici potest. Ergo dato quod Theologi objecti nuptias ex Sacramentorum ordine sustulerint, stat robur argumentationis nostræ.

Dixi, *dato*, non autem concesso: contendunt enim viri graves, nec Lombardum, nec Durandum Calvinianis circa Matrimonium prælusisse; licet fortè in nonnullis eam ad rem spectantibus minus rectè senserint:

Obj. 2do. Contractus merè naturalis, non est Sacramentum gratiæ productivum. Atqui Matrimonium &c. R. dist. non est Sacramentum per se & seclusa Christi institutione, C. non est Sacramentum; quasi Christus eum ad Sacramenti rationem elevare non potuerit, vel non elevaverit de facto, N. Si enim Christus aquam in Baptismo ad materiæ sacramentalis dignitatem evexit, quidni, ut nuptias sanctificaret, civilem contractum assumpserit in materiam Sacramenti? Id autem ab eo factum suadet Scriptura, & probat Traditio.

Inst. Si Matrimonium gratiam pariat, vel primam, vel secundam, quæ primæ augmentum est. Atqui neutrum dici potest. Non 1. Conjugium enim institutum non est, ut transferat hominem à statu peccati ad statum justitiæ. Non 2. Alias qui relicto perfectiori castitatis statu contraherent Matrimonium, crescerent in gratia; quod absurdum est. R. ad 1. n. min. Matrimonium enim gratiam secundam operatur, & aliquando primam; quia licèt institutum non sit ad remittenda directe peccata, potest tamen hæc remittere quomodo in Confirmatione & Eucharistia remittuntur: & siquidem id fiat, gratiam primam pariet; sin autem, secundam.

Ad 2. dist. maj. Crescerent in gratia, id est reciperent gratiam Matrimonio annexam, C. id est reciperent ei parem quæ continentiæ statui annexa est, N. Ut Matrimonium sit Sacramentum, necesse non est ut majorem pariat gratiam, quam aliud quidpiam non sacramentale; cum Martyrium gratiam ceteris præstantiorem pariat, nec tamen sit Sacramentum. Satis est igitur ut pariat gratiam, quam non pareret si contractus esset merè humanus. Porrò Matrimonium à quocumque, etiam hactenus continente, piè susceptum, semper hanc gratiam parit, adeòque priorem auget. Quapropter, ait Bellarminus, *Continens, dum contrahit Matrimonium crescit in gratia: sed si idem*

continens

*continens propter Deum humanas nuptias contempsisset, plus gratiæ apud Deum invenisset, quam sit illa quæ per Sacramentum Matrimonii datur.*

Obj. 3tio. Si Matrimonium Sacramentis annumeretur, utique quia gratiam annexam habet. Atqui hæc ratio non probat. Martyrium enim annexam habet gratiæ promissionem Matth. 10. 22. & tamen non habet rationem Sacramenti. R. neg. maj. Nec enim ad Sacramentum sufficit gratiæ promissio, sed necesse est, ut à Christo institutum sit, & constet sacris materiæ & formæ ritibus, ac perficiatur à Ministro ad id deputato, cum intentione faciendi id quod facit Ecclesia. Hæc autem in Martyrio locum non habent.

Obj 4to. Nihil potest Ecclesia in substantiam Sacramentorum. Atqui potest & multùm potest Ecclesia in Matrimonii substantiam. Quæ enim facit ut quod anteà sufficiebat ad substantiam Matrimonii nunc ad eam minimè sufficiat, multùm in eam potest. Atqui Ecclesia... Hæc enim fecit ut quæ anteà valebant, vel in certo gradu, vel clandestinè contracta Matrimonia, jam verè sint irrita. R. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. maj. Quæ facit ut quod anteà sufficiebat ad substantiam Matrimonii, nunc ad eam non sufficiat, etsi idem remaneat quod erat anteà multùm potest in substantiam Matrimonii, C. Quæ facit ut quod anteà sufficiebat, jam non sufficiat, quia desiit esse id quod erat, N. Judicandum hic de Matrimonio ut de Eucharistiâ: unde sicut multùm posset in substantiam Eucharistiæ, qui faceret, ut verum vinum jam ejus materia non esset; sic multùm posset in substantiam Matrimonii, qui faceret ut contractus legitimus jam non foret ejus materia. Sed quemadmodùm qui ex vino acetum facit, nihil potest in Eucharistiam, quia solùm ejus materiam destruxit, quod possunt omnes; sic qui facit ut contractus qui olim legitimus erat, non jam legitimus sit, quod potest Ecclesia, nihil reipsa potest in substantiam Matrimonii.

Obj. 5to. Assignari non potest tempus quo Matrimonium ad Sacramenti conditionem evectum fuerit. R. nihil inde sequi, cùm nequidem conveniat quo tempore institutum fuerit Baptisma. Ceterum alii Matrimonium in Sacramentum à Christo institutum fuisse dicunt, cùm nuptias Cana præsentiâ suâ cohonestavit. Ast tunc temporis nihil fecit vel dixit Christus, quod ad Sacramenti hujus institutionem pertineat. Alii id differunt ad tempus Resurrectionem inter & Ascensionem medium, quo Christus suos frequenter erudiebat de Regno DEI, id est de militante Ecclesiâ. Tunc enim oportuit Discipulos edoceri omnia quæ ad Sacramenta pertinent. Alii demùm id

referunt ad tempus quo Christus dixit, *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Etsi enim verba hæc indissolubilitatem solam Matrimonii explicitè confirmant, potuerunt nihilominus ad gratiam conjugalem implicitè referri; præsertim quia ex tunc majori opus fuit gratia, ad superandas difficultates, quæ ex perpetua indissolubilitate scaturiunt.

Obj. 6to. Si Matrimonium sit Sacramentum, vel ratio Sacramenti ab eo inter Fideles separari potest, vel non. Pro solutione sit

CONCLUSIO III. Potest in Baptisatis Matrimonium valere ut contractus, nec tamen esse Sacramentum. Ità Scotus & alii plures.

Prob. 1mo. Quia contraria opinio nullum habet fundamentum, vel in Scriptura, vel in Patribus, vel in Conciliis, vel in communi Fidelium, aut Doctorum sensu. Sanè ex antiquis Doctoribus non pauci clandestina Fidelium Matrimonia firma esse in ratione contractûs, nulla autem in ratione Sacramenti esse crediderunt. Idem alii de Matrimoniis inter absentes per Procuratorem contractis hodieque opinantur. Ergo nihil occurrit in præsens unde prædicta inseparabilitas erui solidè possit. Imò digamorum Matrimonia rationem habere contractûs, non autem Sacramenti, solidè probat Theodorus Studites, Ecclesiæ circa anno 800. decus ac præsidium. Is enim, Epist. 50. quærenti Naucratio, *Quomodo conjungantur*, seu secum habitent digami, quorum nuptiæ Sacerdotali benedictione non donantur; respondet eos cohabitare *humanis officiis, sicut & trigami, &c.* Atqui Matrimonia, Sacerdotali benedictione destituta, tantùmque *humanis officiis* deputata, rationem habent contractûs, non verò Sacramenti; quod & patet ex toto ejusdem Epistolæ contextu.

Prob. 2do. Ad Sacramentum conficiendum requiritur ejusdem conficiendi intentio. Atqui possunt contrahentes intentionem habere contrahendi civiliter, non autem faciendi Sacramentum. Rei enim invincibiliter ignotæ nulla est aut esse potest intentio. Atqui fieri potest, ut duo in infantia apud Ethnicos Baptisati invincibiliter ignorent Matrimonii Sacramentum. Ergo nullam ejus intentionem habere possunt. Gratis porrò fingeretur eorum Matrimonium nè in ratione quidem contractûs valere.

Obj. 1mo. Trident. Sess. 24. Can. 1. docet Matrimonium Baptisatorum *esse verè & propriè Sacramentum.* Atqui nulla est ratio definitionem hanc ad aliqua duntaxat Baptisatorum Matrimonia restringendi. R. dist. maj. Docet Trident. Matrimonium esse Sacramentum, quoties adsunt requisita ad Sacramentum,

cramentum, & potissimè intentio faciendi Sacramentum, C. Sublatâ hac intentione, quæ in quibusdam casibus necessariò deest, N. Docet enim Trident. intentionem hanc necessariò requiri. Quod autem dicitur eam baptisatis omnibus inesse, malè dicitur. An enim Judæi duo in infantiâ baptisati, hocque suum Baptisma ignorantes, & per vitam omnem assidui Synagogæ, dum Mosaico ritu contrahunt, Sacramentalis Matrimonii intentionem habere possunt?

Obj. 2do. Si Sacramentum à contractu sejungi posset, id quandoque fieri deberet; putà cùm conjuges differre nuptias non valent, & in peccati statu versantur. R. neg. maj. Quia tenetur quilibet actionem quam Christus Sacramentalem instituit, tractare Sacramentaliter, adeoque Sacramentum intendere. Unde sicut qui in peccato positus, celebrare tenetur, non potest ex metu sacrilegæ Communionis abstinere à consecrando; sed vel ad Confessarium recurrere debet, vel acrem contritionis actum elicere; sic & sibi iisdem modis consulere debet, cui imminet unà cum peccato tempus nuptiarum.

Obj. 3tio. Si duo Apostatæ apud Infideles infideli ritu contrahunt, non valebit Matrimonium. Atqui admissâ opinione nostra valeret ut contractus. R. Non valere conjugium istud; si Apostatæ illi ritu Catholico contrahere possint. Verùm sicut baptisati duo ad infideles Insulas tempestate dejecti, civiliter contrahere valent, sic & id aliquando possunt Apostatæ duo; cùm jam ad Sacerdotem omninò recurrere non possunt; præsertim si enixè doleant quòd in eam se impotentiam miserè injecerint.

CONCLUSIO IV. Valent in ratione contractûs Matrimonia per Procuratorem inter absentes contracta; idque etiam post Tridentinum. Valent & eadem probabiliter in ratione Sacramenti.

Prob. 1. pars. Quia nec Christus elevans Matrimonium ad esse Sacramenti, nec Ecclesia, immutavit contractûs naturam, quæ ea est ut inter absentes per Procuratorem celebrari possit.

Prob. 2. pars. 1mo. Quia Ecclesia hoc Matrimonii genus approbat, licèt illud per plura secula ignoraverit, ut hodieque Orientales Ecclesiæ. Atqui Ecclesia Matrimonia hæc approbando, nusquam declaravit se ea tantùm habere, ut contractus merè civiles: quod tamen declarandum fuisset, ne decepti Fideles sacramentali gratiâ, sibi tantoperè necessariâ, carerent. Equidem moris est ut conjugia hæc à Partibus præsentibus confirmentur: verùm id nullâ hactenùs Ecclesiæ lege constitutum est.

2do. Ubi concurrunt omnia ad Sacramentum necessaria

necessariò reperitur Sacramentum. Atqui in hisce Matrimoniis... Hîc enim præsto est Materia, quæ in ipso contractu consistit: forma, sivè hæc in verbis Parochi sita sit, sivè in verbis contrahentium; testium & legitimi Sacerdotis præsentia; nec deest intentio faciendi id quod facit Ecclesia.

3tio. Si Matrimonia hæc forent contractus merè politici, non sineret Ecclesia hæc celebrari cum ritibus universis, qui Sacramentum Matrimonii stipare solent. Ut enim sacra profano, sic nec profana sacro ritu celebrari debent. Atqui tamen, &c.

Dixi *probabiliter*; 1mo. quia non desunt graves Theologi, qui in hisce conjugiis nihil sacramentale agnoscant. 2do. Quia allata mox argumenta, licèt oppositis graviora, non eliciunt invictè consensum. 3tio. Quia sua sunt etiam alteri Parti momenta. Unde

Obj. 1mo. Alia Sacramenta non possunt absentibus ministrari. Ergo. R. neg. conseq. Disparitas est quòd alia Sacramenta non sint contractus, qui tam inter absentes quam præsentes celebrari valent.

Obj. 2do. Quod præsentiam ipsius contrahentis requirit, per alium, etiam ut instrumentum, perfici non potest. Atqui Sacramentum Matrimonii... Hæc enim verba: *Ego te accipio in meam*, non minùs contrahentis præsentiam requirunt, quàm isthæc, *Ego te absolvo*, vel *Hoc est Corpus meum*, Pœnitentis vel Hostiæ præsentiam requirant. R. neg. min. Si enim verba, *Ego te accipio in meam*, æquè subjecti præsentiam requirerent, ac ea quæ ad Pœnitentiam vel Eucharistiam spectant, Matrimonium nequidem ut simplex contractus inter absentes perfici posset; quod cùm repugnet naturæ contractûs, admitti nequit. Aliud est de præsentiâ, seu subjecti in Pœnitentiâ, seu materiæ quantùm ad consecrationem, quæ ex constanti Traditione, vel Ecclesiæ Decretis, adeò physica esse debet, ut alioqui vel corruat Sacramentum, ut in Eucharistia, vel summoperè periclitetur, ut in Pœnitentiâ.

Inst. in casu præsenti necessariò falsa sunt hæc: *Ego te accipio in meam*; vel *Ego vos conjungo*. Neque enim vel Procurator eam quam alloquitur, in suam accipit; vel Sacerdos utrumque conjungit. R. neg. ant. Quia utraque hæc verba ex omnium gentium usu non ad *constitutum*, sed ad *constituentem*, cujus solo nomine ait Procurator, referuntur. Et verò, si quid in his esset mendacii, esset quoquè in istis: *Hoc est Corpus meum*: cùm *Hoc* non sit corpus Ministri loquentis, sed Christi.

Obj. 3tio. Ex nostrâ opinione sequitur, 1mo. quòd quis recipiat gratiam dormiendo, si tunc contrahat ejus Procurator:

2do.

2do. quòd idem dormiendo peccet letaliter, si contrahat Procurator ipsius, dum ipse non est in gratiâ: 3tio. quòd mandans Sacramentum conficiat, vel recipiat actu, etiamsi in amentiam inciderit. Atqui hæc totidem sunt absurda. R. neg. min. Quantùm ad duo priora. Si enim possit quis in amentiâ recipere gratiam Baptismi quem anteà expetierit; quidni & dormiens matrimonialem gratiam recipere valeat? Quidni etiam peccet, non quidem in somno, sed sub tempus quo prævidit futuram esse Matrimonii sui celebrationem, qui gratiæ obicem posuit?

Major est difficultas circa casum amentiæ. Quidam enim censent cum Pontio, non valere hujusmodi conjugium, 1mo. quia eo tempore impossibilis est consensus: unde insigniter discrepat amentis status à statu dormientis; is enim non est incapax consensûs. 2do. Quia qui per se ipsum consentire non potest, non potest per alium. 3tio. Quia amentia morti comparatur quoad consensum. Alii cum Sanche, Pontas, &c. conjugium istud valere putant; 1mo. quia ad Matrimonium sufficit verus consensus: is autem occurrit in casu præsenti, cùm subsistat quandiu non est revocatus. 2do. Quia consensus semel datus debitè significatus, & nusquam revocatus, in aliis contractibus omninò sufficit. Unde amentia non comparatur morti quoad consensum legitimè præstitum, sed quoad actualem consensum qui non plus ab amente valet quàm à mortuo..

Mihi neutra opinio arridet. Unde sic progrederer: Vel amentia quam subiit mandans, perpetua est; vel solùm ad aliquod tempus. Si 2. crediderim valere conjugium ob rationes mox adductas. Si 1. mihi ad minus dubium illud videbitur; non ex defectu consensûs in mandante, sed ex defectu consensûs in altero contrahente. Nemo enim de re absente contrahit, nisi sub conditione, ut ea res à statu suo enormiter non decesserit: sic qui de domo paciscitur, tacitam hanc apponit conditionem, ut domus magnam sui partem flammis absorpta non fuerit. Ergo cum amentia perpetua, vel meritò talis præsumpta, insigniter variet conditionem mandantis, nemo sanus, eum quâ talem duxisse præsumetur.

Quæres 1mo. Quæ in Procuratore requirantur conditiones, ut validum nomine constituentis Matrimonium ineat. R. Requiri 1mo. ut habeat mandatum speciale, non modò quoad Matrimonium, sed & ad Matrimonium cum tali personâ; 2do. ut rem per se exequatur, non per alium, *nisi hoc eidem specialiter sit commissum*; 3tio. ut mandati limites non excedat; 4to. ut ritu ab Ecclesiâ præscripto contrahat; 5to. & præcipuè ut

non sit revocatus. Ità ferè Bonifacius VIII. C. fin. *De Procurator.* in 6.

Porrò valet revocatio Procuratoris, 1mo quamvis præiverit juramentum de non revocando Procuratore, quia perjurium non impedit substantiam revocationis: 2do. etiamsi merè sit interna, quia & hæc consensum tollit; licèt in exteriori foro non prosit, nisi probetur per testes: 3tio. licèt sit tacita; id est, licèt facto, non autem verbis declaretur, ut si quis mandatum det ad contrahendum cum alterâ; qui enim secundam ducere vult, primæ ducendæ voluntatem abjecit.

Quæres 2do. An Procurator absque Scriptura possit constitui. R. affirmat. Nisi aliter speciali locorum lege constitutum sit; ut constituendum esse videtur quoad privatæ conditionis homines, quos Parochus nunquam in Matrimonium jungere debet, nisi sibi indubiè constet de eorum mandato.

Jam paucis expendam, an rata sint infidelium, seu non baptisatorum Matrimonia; an Sacramenta sint, saltèm si contrahantur cum Fidelibus; an cum Acatholicis contrahi possint, &c. Sit

Conclusio V. Verum est inter Infideles Matrimonium, modò secundùm justas patriæ leges contrahant, non est tamen illud tam firmum, quàm quod à Christianis contrahitur. Nec est Sacramentum.

Prob. 1. pars. Quia infidelium conjunctio nullo jure irritatur. Non divino; cùm è contra sanciat Apostolus, I. Cor. 7. ut *si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Non Ecclesiastico, tum quia Ecclesia nihil habet juris in Infidelium conjugia; tum quia ex Innocentio III. *Per Sacramentum Baptismi non solvuntur conjugia, sed dimittuntur peccata.*

Prob. 2. pars. Tum quia Principes Ethnici jus habent constituendi leges, quibus nisi subditi sui obtemperent, invalidè contrahunt: tum quia à contrario possunt indicere Leges Juri divino adversas, putà quòd vir uxorem pro nutu dimittat. Atqui nec in priori casu stabit Matrimonium, si contra legem ineatur; nec in posteriori, si secundùm ipsam.

Prob. 3. pars. Matrimonia Fidelium sic firma sunt, ut post consummationem nullo in casu solvi queant. Atqui non ità est de Infidelium conjugiis, ut dicam cap. 5.

Prob. 4. pars. Quia nemo ante Baptismum capax est alterius Sacramenti propriè dicti.

Conclusio VI. Matrimonia Fidelium cum Infidelibus nunquam Evangelica Lege generatim prohibita fuère. Hæc prioribus quinque seculis tolleraverunt Ecclesiæ plures; licèt ea,

moraliter loquendo, redarguerint ut multiplici periculo obnoxia.

Prob. 1. pars. Matrimonia Fidelium cum Infidelibus nullibi in Evangelio tam strictè prohibentur, quàm Matrimonia Judæorum cum mulieribus alienigenis, de quibus dicitur 3. Reg. II. *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras; certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Atqui tamen Matrimonia Judæorum cum alienigenis, præsertim extra Chananæam Gentem, præ ceteris Deo invisam, certis in casibus ad minimum tollerata fuêre. Siquidem Jacob accepit Filias Laban idololatræ, Joseph Filiam Putipharis Ægyptiam, Moyses Filiam Jethro Æthiopissam, &c.

Prob. 2do. Si prohibita fuissent id genus Matrimonia, ab iis de Episcoporum consilio abstinuissent mulieres, eæ saltèm quæ pietate eminebant. Atqui non sic. Siquidem Eunice Timothei mater pia & fidelis nupserat Gentili, Act. 16. Monica Augustini parens à Patricio infideli ducta est; Clotildis nupsit Clodovæo Francorum Regi Ethnico, quem cum Regno ad Fidem pertraxit.

Prob. 2. pars. Ex allatis modò exemplis. Cùm enim longè major Ecclesiæ pars (demptâ fortè Carthaginensi sub Cypriani tempus) nullas tunc temporis inflixerit pœnas iis qui Gentiles ducebant, imò Cœciliam, Monicam, &c. Fastis Sanctorum inscripserit, consequens est quòd Matrimonia hæc toleraverit, non ut peccata, sed ut ea suffert, quæ licèt nonnihil periculi habeant, non minimùm utilitatis habere possunt: quod in Clotildis, Theodelindæ, Gisellæ Matrimonio innotuit; cùm Gentes suas ab æterno interitu liberaverint, Clotildis Gallicam, Theodelinda Longobardam, Hungaricam Gisella.

Prob. 3. pars. Quia quæ causæ Deum moverant, ut hæc Matrimonia Populo suo interdiceret, Ecclesiam movere debuerunt ut ea etiam ægrè ferret, nisi aliud exigeret rerum conditio. Hinc connubia hæc acriter vituperat S. Cyprianus, Lib. de Lapsis, ubi *jungere cum Infidelibus vincula Matrimonii, est prostituere membra Christi.*

Mitior, quæ tamen lenis esse non solet, Eliberitana Synodus, simpliciter prohibet Can. 15. nè *propter copiam puellarum Gentilibus in Matrimonium dentur virgines Christianæ;* idque factum est, 1mo. propter periculum subversionis in fide, quod ad tremendum omnibus exemplum sensit Salomon, cujus jam senis depravatum est cor per Ethnicas mulieres. 2do. propter summam prolis Christianè instituendæ difficultatem. 3tio. propter jurgia quæ in Religionis negotio acriora recurrunt. 4to. propter obices quos infidelis maritus apponet piis exercitiis quæ mulier Christiana obire tenetur. Obj.

Obj. contra 1. part. Quod ab Apostolo severè prohibitum est, prohibitum est Lege Evangelicâ. Atqui Matrimonium Fidelis cum Infideli.... Prob. min. ex II. Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum Infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate*, &c. R. 1mo. neg. maj. Nec enim quidquid ab Apostolis interdictum est, id ipsa Christi Lege interdictum censeri debet. Alioqui Neophyti & Bigami ad Ordines evehi nunquam possent; quia id utpotè vetitum à S. Paulo, vetitum foret & à Christo, cujus Leges non immutat Ecclesia. R. 2do. neg. min. Vel enim Apostoli verba de conjugio intelligenda non sunt, cùm de eo in toto illo Capite non loquatur Paulus, sed de quocumque commercio, quo Infidelis in superstitione suâ foveri possit: vel si ad conjugium referantur, intelligenda sunt moraliter, hoc sensu quòd à Matrimonio cum Infidelibus ineundo abstinendum sit, nisi aliud exigant graves circumstantiæ. Nam & ab iis conjugiis abstinere debebant Judæi, secundùm hæc verba, quæ ibid. à Paulo referuntur: *Exite de medio eorum*, Infidelium, *& immundum nè tetigeritis.* & tamen non defuêre apud Judæos plura Sanctorum utriusque sexûs cum Ethnicis Matrimonia.

Obj. contra 2. part. Fideles quæ nubebant Ethnicis sacramentali gratiæ renuntiabant. Atqui id finè gravi peccato fieri non potuit. R. 1mo. neg. min. Etsi enim nunquam finè gravi peccato contemni potest gratia sacramentalis, potest tamen ea quandoque graves ob causas prætermitti. Sanè maximi est momenti gratia quæ in extremis per Viaticum confertur; & hanc tamen recipere noluit Hermenegildus, nè Ariano Episcopo communicare videretur. R. 2do. cum pluribus neg. maj. Etsi enim non possit esse contractus ex unà solùm parte, potest tamen esse Sacramentum ex partè unius duntaxat. Nam 1mo. si è Baptisatis duobus alter vult recipere Sacramentum, alter vult non recipere, Matrimonium in uno Sacramentum est, non in alio; ut ex positis suprà principiis colligere est. 2do. Cur Clotildis, si jubente intus Deo Clodovæum duxisset, caruisset gratia sacramentali? Utique non repugnat quod è duobus, quorum alter Sacramenti capax est, alter non, prior Sacramentum recipiat, posterior minimè.

Quæres. An Matrimonium à duobus non Baptisatis legitimè contractum, ad rationem Sacramenti assurgat; vel in altero, cùm unus; vel in utroque, cùm uterque baptisatur. R. Id incertum esse, utpotè quòd à Dei voluntate non satis manifestata pendeat. Utique non redarguerim, si ejusmodi Neophytis detur Sacerdotalis benedictio. Favet statutum istud Claudii Sanctesii Ebroïcensis Episcopi, anno 1576. *Si in Hæ-*

*reticorum*

*reticorum conventiculo vir & uxor Matrimonium contraxerint, & celebraverint, statuimus, cessante scilicet omni alio impedimento canonico, ipsis, cùm* ad Fidem regrediuntur, *in facie Ecclesiæ benedictionem Sacerdotalem in nuptiali Missa à Curato vel Vicario conferri, nè saltem dubitari possit, an eorum Matrimonium careat Sacramenti ratione & gratiâ.* Ubi supponitur, id quod ab initio simplex erat contractus, accedente Sacerdotis benedictione, posse fieri Sacramentum, & gratiam parere.

Conclusio VII. Ecclesia Fidelium cum Infidelibus Conjugia absolutè reprobat. An in omni prorsus casu, dubitari potest.

Prob. 1. pars. Quia disparitas cultûs est jam pridem impedimentum dirimens.

Prob. 2. pars. Quia non improbabile est licitum fore Christiano, qui solus veræ Religionis assecla in infideli Regno commorari cogeretur sponsam infidelem ducere; si alioqui grave incontinentiæ periculum subiret, vel durè tota vita excipiendus foret, 1mo. quia non omnium est singulare castitatis donum. Unde Apostolus: *Melius est nubere quàm uri.* 2do. quia non ea est humanæ Legis consuetudo, ut cum gravi, diuturno præsertim, incommodo obliget. Imò nec sic semper obligat Lex Dei positiva, qualis est recipiendi in exitu Viatici.

Conclusio VIII. Matrimonia Orthodoxorum cum Acatholicis sunt quidem de se valida, sed & simul jure omni graviter prohibita; non sic tamen, ut nunquam ex dispensatione contrahi possint.

Prob. 1. pars. 1mo. Ex unanimi penè tum Theologorum consensu post S. Thomam, tum & Jurisperitorum post Glossam. 2do. Quia Matrimonia hæc nullo jure sunt irrita. Non jure naturali; cùm Esau, & Moyses sub Lege Naturæ infideles feminas validè duxerint. Non jure divino, quia id Apostoli, *Nolite jugum ducere cum Infidelibus*, vel Matrimonium præcisè non tangit, vel meram sinè clausulâ irritante prohibitionem sonat. Non Jure Ecclesiastico vel Civili, quia nullum alterutrius Edictum generale proferri potest, quo eadem conjugia in irritum ducantur.

Prob. 2. pars. 1mo. Enim Jure omni illicitum est se se peccandi periculo objicere, secundùm id: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Atqui multiplici se periculo exponit Catholicus qui ducit Hæreticam; præcipuè autem quæ Hæretico nubit Catholica. Est nempè periculum nè ex irrisione avertatur à sacro Tribunali, à jejuniis, à Sanctorum cultu; nè prolem pariat hæresi, non Christo; nè demùm seducatur ab Hæretico, cujus sermo, cùm à conjuge est, duplici titulo habet, unde ut cancer serpat. Hinc Ambrosius, Lib. de Abraham, cap. 9. *Cum*

*perverso*

*perverso perverteris: Si hoc in aliis, quantò magis in conjugio, ubi una caro & unus spiritus est?* Et infrà: *Sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à Religione fecit discedere.*

Prob. 3. pars. 1mo. Ex penè unanimi Theologorum consensu, qui nonnisi ponderis gravissimi esse potest. Sanè qui quæstionem hanc fusè versat Pontius, testatur *se nullum hactenus legisse, qui diceret ita illicitum esse conjugium Hæretici cum Catholico, ut in nullo casu liceat.* Porrò, ait idem, *tot tantorumque Doctorum authoritas sententiam istam in praxi securam reddit.* 2do. Quia ex suprà probatis non pauci utriusque sexûs sanctissimi cum Infidelibus Matrimonia celebrarunt. Atqui quod cum Infidelibus factum est, cum Hæreticis fieri potest. Etsi enim, ut advertit Estius, *Hæresis pessimum est*, per se loquendo, *infidelitatis genus*, fit tamen non raro ut hæc nihil vel parùm habeat periculi; ut cùm conjux alter parùm de Religione suâ sollicitus est, cùm ei mundano timore magis quàm cordis affectu, adhæret, &c. Hinc Ingundem Catholicam, Hermenigildo, cùm staret ab Arii partibus, & Ringundem Recaredo ejusdem Sectæ socio nupsisse scribit Mariana. 3tio. Quia in hisce Matrimoniis non raro dispensarunt SS. Pontifices & Episcopi; sic Clemens VIII. ægrè licèt, dipensavit cum Duce Barriensi, ut Catharinam, Henrici IV. Galliæ Regis sororem hæreticam duceret: Et anno 1625. Urbanus VIII. ut Henricia, Ludovici XIII. Regis Christ. soror, Carolo I. Angliæ Regi nuberet. Atqui durum est, nè quid durius dicam, hasce dispensationes ut injustas, & irritas traducere. Neque verò sola hic redargueretur Apostolica Sedes, sed ipsa etiam purioris ævi Concilia. Statuit enim Concilium Agath. anno 506. Can. 67. quòd *non oportet hominibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias iis dare, sed potiùs accipere; si tamen se profiteantur Christianos esse futuros & Catholicos.* Atqui hic permittuntur Catholicorum cum veris Hæreticis Matrimonia. Ut enim benè notat Lugo, aliud est conversionem suam polliceri, aliud jam & de facto conversum esse.

Obj. Nunquam licita esse potest Sacramenti profanatio. Atqui Catholici cum Hæretico Matrimonium invehit Sacramenti profanationem; cùm Sacramentum hæretico, id est notoriè indigno citra profanationem dari non possit. R. neg. min. Nulla est enim profanatio, sive Sacerdos Sacramenti Minister sit, seu contrahentes. Non in prima hypothesi; tum quia Sacerdos est Minister, non simpliciter assistendo, sed benedictionem dando. Porrò moris non est ut Catholico & Hæ-

retico

retico nuptias celebrantibus impendatur benedictio; idque prohibuit Clemens VIII. tum quia possèt Sacerdos Sacramentum conferre velle Catholico ejus capaci, non autem Hæretico qui illud dedignatur. Non in secunda hypothesi: nam 1mo. non magìs peccat Pars Catholica quòd Hæreticæ Parti administret Sacramentum, illudve ab ipsa recipiat, quàm peccat cùm nubit viro pietatis admodùm suspectæ, quandoque etiam moribus parùm integris. Porrò nemo hominum à nupturâ exigit ut perpendat num futurus vir suus sit in statu gratiæ. 2do. Potest quilibet à Sacerdote excommunicato Sacramenta petere, sicut & ab usurario pecuniam sub gravi fœnore, modò sufficientes utrumque faciendi causas habeat; neque tunc alieni delicti particeps est, quia quod malè datur, dari piè & legitimè potest. Ergo à pari in proposito casu. Verùm ab hâc difficultate faciliùs se expediunt, qui in hisce Matrimoniis merum, saltèm ex Hæretici parte, contractum admittunt.

Quæres. Quando liceat Fidelibus Matrimonium cum Hæreticis inire. R. Id licitum esse, 1mo. cùm ii conversionem seriò promittunt: sed raro habenda fides hisce promissionibus, quas amor fervens facilè emittit, refrigescens verò ex usu facilè eludit. 2do. Cùm graves causæ eadem conjugia fieri sinunt, puta spes certa sopiendi graves inimicitias, flectendi animum Principis in gratiam Catholicorum, &c. 3tio. cùm præsto est legitima Superioris dispensatio; & hæc quidem expressa esse debet, cùm de magnis Principibus agitur, quorum conjugia Religionem & Imperium insigniter tangunt. Quod ad Plebeios attinet, iis sequenda locorum, in quibus degunt consuetudo. Ad minùs tamen curandum Catholico nè Hæreticam ducat, nisi consulto priùs Parocho, qui utriusque Partis ingenium, Fidei vel errori adhæsionem, ac futuri contractûs clausulas educationem prolis spectantes diligenter examinet; & si quod Fidei vel moribus imminere periculum præsentiat, ministerium suum constanter deneget, aut rem totam deferat ad Episcopum. 4to. cùm Pars Catholica justam habitura est facultatem omnia Religionis officia adimplendi; infantes utriusque sexûs Catholicè instituendi, nec ullum legitimè vereri est subversionis periculum: alioqui enim vetitum esset Matrimonium illud jure naturali.

# CAPUT TERTIUM.

## *De Causis ad Matrimonium disponentibus.*

DIcendum 1mo. de Sponsalibus; 2do. de Bannis; 3tio. de Parentum consensu.

### §. I. *De Sponsalibus.*

Dicemus 1mo. de natura & divisione Sponsalium; 2do. de eorum circumstantiis; 3tio. de Ministro, &c.

### *De natura & divisione Sponsalium.*

Sponsalia quæ aliquando latè sumuntur pro muneribus sponsæ aut sponso offerri consuetis; aliquando pro Matrimonio rato quidem, sed nondum consummato, quo sensu B. Virgo, licèt jam verè nupta, dicitur *desponsata Joseph;* nihil aliud sunt in præsens, quàm *Promissio mutua & deliberata futuri Matrimonii, sufficientibus verbis aut signis declarata inter personas ad contrahendum habiles & idoneas.* Hæc definitio, ut quæ conditiones ad legitima Sponsalia requisitas contineat, fusiùs explicanda est. Itaque

Dicitur 1mo. *Promissio.* Neque enim simplex propositum etiam expressum per hæc verba: *Volo te ducere*, sufficit ad sponsalia. Propositum enim stat sine animo se verè & firmiter obligandi, is autem ad sponsalia requiritur.

Hinc qui fictè promittit, aut ex promissione obligari non vult, licèt ob deceptionem in re gravi peccet mortaliter, & damnum ex fraude sua exurgens reparare teneatur, reipsa tamen Sponsalia non contrahit; quia non ex animo, sed specie tenus promittit. Imò qui verè promittendo, se solùm obligare vult sub veniali; nec vera Sponsalia, nec publicæ honestatis impedimentum contrahere videtur; quia grave onus ex levi obligatione non videtur induci.

Dicitur 2do. Promissio *mutua.* Sicut enim Matrimonium sinè mutua corporum traditione non subsistit, sic nec Sponsalia sinè mutua futuræ hujus traditionis sponsione subsistunt.

Hinc 1mo. Non obligat promissio etiam jurata, nisi acceptetur, quia in omni promissione subauditur conditio, *Si velis, si acceptes.* Neque tamen promissio hæc donec acceptata sit, pro libitu revocari potest: Quia crudeliter læditur puella,

puella, cùm citra ullam quæ supervenerit causam, facta ei publicè Matrimonii sponsio rescinditur. Idem est à fortiori, si sponsio juramento firmata sit. Potest tamen constitui tempus, quô elapsô corruat promissio, quia necdum acceptata sit. Imò si longior sit deliberatio, poterit non acceptatio instar repulsæ haberi. Interim qui promissionem necdum acceptatam revocat, quia nondum Sponsalia contraxit, non est honestati publicæ obnoxius.

Hinc 2do. Licèt multis in contractibus pater pro filia stipulari possit, non tamen in Sponsalibus, ubi sicut ad conjugium ipsum, requiritur consensus maximè personalis. Si tamen pater pro filia, cui optimè vult, præsente & tacente acceptet, erit hoc ipsius silentium sufficiens promissionis acceptatio.

Hinc 3tio. Si promissio facta absenti, huic intimetur per aliquem qui ad id deputatus non sit, repromissio isti facta non inducet Sponsalia; quia nemo sine licentia mea personam Procuratoris mei gerere potest.

Hinc 4to. Strictè loquendo non exurgunt Sponsalia ex sola promissionis acceptatione, donec accedat repromissio, quæ obligationem inducat. Potest enim Joanna promissionem Titii acceptare, nè is consilium mutet, & interea expendere an sibi expediat, ut mutuam Titio fidem præstet. Si tamen agatur de Sponsalibus jam pridem optatis, industriè quæsitis, &c. silentium ipsum rationem habebit repromissionis.

Dicitur 3tio. *Deliberata*, proindè facta cum ea advertentia quæ ad peccandum mortaliter requiritur. Et verò Sponsalia inducunt obligationem sub peccato mortali, quæ per actum vel nullatenus, vel non satis liberum induci nequit.

Hinc 1mo. Sponsalia contrahere nequeunt ebrii, phrænetici & amentes, nisi lucida habeant intervalla; vel in certis materiis deliri, sapiant in ista; Aliud est de mutis & surdis, cùm ex iis plures ingenii sint adeò perspicacis, ut multa difficillima intelligant, confiterique etiam & absolvi valeant. At secus dicendum de iis qui à nativitate cæci sunt, mutique & surdi. Muti enim totam conjugii naturam nonnisi per signa capere possunt; hæc autem signa à perpetuo cæcis percipi non valent.

Hinc 2do. Nec Sponsalia validè contrahunt, qui circa personam errant; quia error ille voluntarium perimit. Idem est de iis qui circa conditionem servilem deciperentur.

Hinc 3tio. Probabiliùs non valent Sponsalia ex gravi metu iniquè extorta, prout docent graves Theol. & Canon. 1mo. quia Sponsalia & Matrim. sunt connexa; istud autem si gravi metu extorqueatur, invalidum est, ad minus jure positivo ut omnes fatentur. 2do. Quia Sponsalia hæc obligarent, vel ad

ineundum, perseverante metu, cum metûs authore Matrimonium; quod utpote, nullum, grave esset peccatum: vel ad mutandam voluntatem, adeoque ad liberè contrahendum cum homine inviso & iniquo, quod gravissimum est onus: vel ad subeundum, honestatis publicæ impedimentum; quod multùm habet incommodi.

Quia tamen opinio contraria & à viris gravibus tenetur, & sua habet momenta; crediderim 1mo. consultius esse, ut Pars quæ metum gravem sibi incussum esse queritur, Sponsalia sua per Ecclesiasticum Judicem dissolvi curet; præsertim quia plerumque fingitur gravis intercessisse metus, ubi levis solum occurrit, vel purè reverentialis. 2do. Ut tunc temporis obtineatur dispensatio honestatis publicæ non à Papa, sed ab Episcopo; quia in dubio legitimo casus Papalis fit Episcopalis, ut dicam agendo de dispensationibus. A fortiori erit id consulendum, si Sponsalia hæc juramento firmata fuerint.

Dicitur 4to. *Futuri Matrimonii.* Hinc Sponsalia, ut quæ ineantur per verba de futuro, insigniter discrepant à Matrimonio, quod postulat verba de præsenti. Idque à sponsis cautè perpendendum, nè jam id licere sibi putent quod solis conjugibus licet. Addo fieri posse, ut ex Juris dispositione verba de præsenti non conjugium, sed sola Sponsalia efficiant; ut quando impubes cum alio, etiam pubere, per verba de præsenti contrahit.

Dicitur 5to. *Verbis aut signis.* Ratio est quia Sponsalia sunt contractus utrinque acceptandus: Non potest verò alter alterius fidem acceptare, nisi sibi manifestam. Signa verbis conjunxi, quia & per nutus Sponsalia contrahi valent, ut liquet in mutis.

Dicitur 6to. *In*ter *personas ad contrahendum habiles*, quæ prohinc nec naturali, nec alio quopiam jure contrahere prohibeantur.

Sponsalia dividuntur 1mo. In *Ecclesiastica*, quæ celebrantur in facie Ecclesiæ coràm Parocho vel Sacerdote ad id legitimè deputato; & *civilia*, quæ conficiuntur per mutuam Partium promissionem absque Sacerdotis ministerio; & hæc non tantùm in Italia, sed & in multis Galliæ Diœcesibus sufficiunt. In Sponsalibus Ecclesiasticis, sequenda est forma Ritualibus Libris præscripta, quoad personas, ut quòd Minores sinè patrum & matrum, tutorumve aut curatorum consensu ad spondendam sibi fidem non admittantur; quoad horam, ut quòd Sponsalia nec ante horam quartam matutinam, nec post octavam serotinam fiant; quoad tempus, ut quòd pridiè vel ipsa Matrimonii diè celebrentur; & alia quæ variis locorum Legibus variè constituta sunt. Dividun-

Dividuntur 2do. In *invalida*, quæ conditione substantiali carent, putà consensu, vel formalitate essentiali; & *valida*, quæ vel *licita* sunt, ut si in his præscripta omnia observentur; vel *illicita*, ut si accidentali quopiam ritu destituta sint.

Dividuntur 3tio. In *absoluta*, quæ purè; & *conditionata*, quæ nonnisi sub certa conditione ineuntur. De quo infrà.

Dividuntur 4to. In *simplicia*, quæ fiunt nullâ ei qui resilierit constitutâ pœnâ; & *pœnalia*, in quibus resiliens pactam pœnam subire tenetur.

## *De Circumstantiis sponsalium.*

Quæres 1mo. Quantùm ad personam, an ipsi impuberes Sponsalia contrahere possint. R. Sponsalia, quacumque ætate contracta, valent Jure naturali, modò adsit sufficiens rationis usus: eadem Jure Ecclesiastico ante septennium completum nulla esse videntur.

Prob. 1. pars. Quia ut valeant Sponsalia de Jure naturali, satis est ut eorum natura, vis & effectus sufficienter intelligantur. Id autem si in utroque Jure supponatur fieri circà septimum ætatis annum, potest & anteà factum supponi; cùm ratio aliis ociùs, aliis multò seriùs adveniat.

Prob. 2da. pars. Ex C. 13. *De sponsalib.* ubi Alexan. III. *Pronuntiavimus*, ait, *inter juvenem & puellam, nec Matrimonium, nec Sponsalia fuisse contracta; cùm constet puellam nondùm ad septennium pervenisse.* Ratio est quia, juxta D. Thomam, quem sequuntur omnes, septennio adimpleto communiter incipit rationis usus & libertas.

Sed quid si ratio suppleat ætatem? Negant multi contra multos in hoc etiam casu valere Sponsalia; tum quia Lex prohibens Sponsalia ante septennium completum, non distinguit casum usûs rationis à casu in quo idem usus desit; tum quia quando Canonicæ Leges certam Professioni Religiosæ, Dignitatibus vel Testamentis ætatem determinant, non valent actus anteà celebrati, quantacumque adsit ingenii maturitas, prudentia, &c. Huic opinioni facilè adhæserim in locis ubi contraria certo usu inducta non fuerit, quod propter casûs infrequentiam difficile est. Nihilominùs propter dubium & Ecclesiæ reverentiam ad Episcopum recurri velim. Quanquam satius est, ut is pro virili obstet, ne Sponsalia etiam à septennibus contrahantur; quod tamen Parisiis non prohibetur.

Quæres. 2do. an parentes loco filiorum impuberum Sponsalia contrahere possint; an idem possit socer, frater, vel tutor.

R. ad 1. posse quidem parentes pro filiis contrahere; at nullam ex his Sponsalibus, si pro filiis septennio minoribus contracta sint, obligationem nasci, nisi filii jam septennio majores eadem rata habeant. Quod si post adeptum septennium eadem ratihabeant, non poterunt resilire ante pubertatem; benè verò post illam, modò statim contradicant. Hæc omnia constant ex cap. unic. *De desp. impub.* in 6. & ex cap. 8. eod. tit. extrav. Tunc autem qui primò fit pubes, non tenetur expectare donec alter pubescat, sed potest statim resilire. Quòd si pubes cum impubere Sponsalia contraxit, pubes resilire nequit, benè verò impubes, non quidem antè, sed post adeptam pubertatem; ex cap. 7. ibid. Docent porrò communiter Canonistæ *illicò* ab adeptâ pubertate reclamandum esse, *Illico* autem *fieri dicitur, quod intra triduum fit.* Leg. fin. Cod. *De Judic.* Ergo vel reclamandum sinè morà, vel ad minus statim declaranda est reclamandi intentio; nisi quis ignoret se attigisse pubertatem, vel sibi competere jus resiliendi; quia non currit tempus ignoranti. Ceterùm, ut verbis sic & factis rata haberi possunt Sponsalia, ut si quis sponsi nomen gerere pergit, si munera mittit vel recipit, &c.

R. ad 2. Non potest socer, fraterve aut tutor pro privigno, sorore aut pupillo impuberibus, contrahere Sponsalia. Ratio est; quia Jura solis parentibus summam hanc pro filiis spondendi facultatem tribuunt. Ergo ad alios extendi non debet, cum utcumque odiosa sit, & impuberum libertatem lædat.

Quæres 3tio. num resilire possit post pubertatem, qui impubes Sponsalia sua juramento confirmaverat? R. cum multis affirmat. quia cùm ea sit hujusmodi Sponsalium natura, ut à pubere facto dissolvi possint, idque in commune bonum vergat, juramentum hanc eorum conditionem sequi debet. Etsi verò propter imbecillitatem ætatis, cui succurrendum est, minores causæ ad dissolutionem hujusmodi Sponsalium requiruntur, non tamen æquum est ut promissio gravis, & vulgò de parentum consensu facta, citra causam dissolvatur.

Quæres 4to. an filii familias sinè consensu parentum vel tutorum Sponsalia contrahere possint. R. valere quidem hæc Sponsalia de Jure communi; quia nullâ Lege irritantur: at simul graviter illicita esse, quia qui hæc contrahunt, debitæ parentibus reverentiæ desunt in re gravi. Unde ubi vigent Ecclesiastica Sponsalia, curandum: ut ad ea nunquam admittantur filiifamilias, nisi de eorumdem patrum, tutorumve, &c. consensu, seu voce, seu in scriptis indubiè constet. Aliter facta Sponsalia multis irrita videntur.

Quæres

Quæres 5to. an iniri poſſint Sponſalia cum perſonâ indeterminata. R. negat. quia ſicut Matrimonium neceſſariò eſſe debet cum perſona certa, ſic & Sponſalia, quæ initium ſunt Matrimonii. Unde ſi pater è puellis quatuor in id conſentientibus unam promiſerit Titio, neque Sponſalia hinc orientur, neque publica honeſtas. At orietur quæ omni promiſſioni juſtæ & acceptatæ ineſt, vis obligandi. Cùm autem in alternativis electio ſit promittentis, pater ex his filiabus quamlibet pro nutu offerens, promiſſum implebit, etſi hanc Titius ducere recuſet. Idem viciſſim de ſponſo fidem promittente dicendum.

Sed quid ſi Titius cum una ex his copulam habuerit, an eam pater tradere tenebitur? Negat Sanchez, quia Patris erat jus eligendi, quo per Titii nequitiam privari non potuit. Unde nullam debebit; non eam quæ corrupta eſt, ob rationem mox allatam; non alias, ob ſubortam ex illicito coitu affinitatem. Tenebitur tamen Titius, quantùm penès ſe erit, eam ducere quam corrupit, quia ad ejus nuptias ſe determinaſſe videtur.

Quæres 6to. an Catholicus cum Hæreticâ Sponſalia contrahere poſſit. R. Sponſalia hæc ordinariè loquendo non ſolum illicita eſſe, ſed & prorsùs invalida. 1mo. quia nec Sponſalia, nec alius quiſquam contractus, ad rem illicitam obligare poſſunt. Atqui Matrimonium Catholici cum Hæritica, licèt non ſit invalidum, eſt tamen ordinariè graviter illicitum. 2do. Quia propter hæreſim alterius Partis ſupervenientem, vel ipſo facto diſſolvuntur vel diſſolvi poſſunt Sponſalia jam inita.

Quæres 7mo. an valeant Sponſalia cum perſonâ impedimentum dirimens vel prohibens habente. R. Impedimentum etiam merè prohibens, Sponſalia etiam jurata irritat, ſi perpetuum ſit: ſi verò temporale ſit, aut per diſpenſationem auferri valeat, & Sponſalia ad Matrimonium eo libertatis tempore contrahendum referantur, tunc utique ea non irritabit.

Prob. 1. pars, 1mo. ex communi iſto axiomate: *Omne impedimentum perpetuum Matrimonii etiam impediens tantum, reſpectu Sponſalium fit dirimens.* 2do. Quia alioqui Sponſalia hæc eſſent promiſſio rei vel impoſſibilis vel illicitæ. Hæc autem promiſſio Jure naturali irrita eſt.

Prob. 2. pars. Ideò non valent Sponſalia in præcedenti caſu, quia ad impoſſibile vel ad illicitum obligant. Atqui ad neutrum obligant, cùm referuntur ad tempus quo Matrimonium poſſibile erit, vel licitum. Ergo ſi impubes, vel ad duos menſes voto caſtitatis obſtrictus, conjugium ſpondeat in tempus quo ad pubertatem devenerit, vel deſierit votum, ſtabit ejus promiſſio.

Sed quid si contracta sint Sponsalia sub hac conditione: Si Papa vel Episcopus dispensaverit? R. ea probabiliùs valida fore. Ad id enim duo sufficiunt; 1mo. ut in ea conditione nihil sit inhonesti; 2do. ut proinde nihil in eâ sit quod de Jure impossibile censeri debeat. Atqui 1mo. nihil habet prædicta conditio inhonesti; cùm solam involvat promissionem petendæ dispensationis ab eo qui dispensare potest. 2do. Nihil habet quod de Jure impossibile sit; cùm de Jure licitè & validè impleri queat, quatenùs fertur in rem, non solùm quæ bona esse potest in hypothesi extraneâ, sed in rem quæ bona est in hypothesi præsente, nimirùm si actu & defacto petitam aut petendam dipensationem Papa concedat. Ergo qui sub præfatâ conditione Sponsalia inierunt, ante recusatam dispensationem neutri resilire valent: eâ verò obtentâ promissio ex conditionali transibit in absolutam, & impedimentum publicæ honestatis inducet.

Quæres 8vo. an semper dispensationem petere teneatur, qui sub ejus conditione nuptias spopondit. R. negat. Qui enim suscipiendæ Religionis voto constrictus nuptias sub conditione dispensationis promisit, nec eam accersere tenetur, nec eâ obtentâ uti; cùm post Sponsalia etiam absoluta, imò & bimestri post Matrimonium ratum, ad perfectiorem Religionis statum ascendere possit. Ceterùm ei sumptuum dispensationis onus incumbere videtur, qui alterius nuptias inquirit. Sed in his sequenda locorum consuetudo, vel pacta conventa.

Quæres 9no. ubi Sponsalia celebrari debeant. R. in locis ubi civilia tantùm Sponsalia vigent, posse ea, ubiliber contractus serii fiunt, celebrari; licèt non deceat ut in popinis fiant. Ubi autem vigent Ecclesiastica, hæc in loco sacro, & quidem publico, de Lege communi celebranda sunt: non verò in Oratoriis Religiosorum: in Capellis domesticis, nedum privatis in Domibus. Suum quique Rituale consulat, & ab eo nec unguem recedat sinè Episcopi licentiâ.

Quæres 10mo. an post Tridentinum Sponsalia clandestina; id est sinè Parocho & Testibus contracta, valeant non solùm ut promissio; huic enim, licèt privatim factæ, sua semper vis inest; sed ut vera Sponsalia, honestatis impedimentum parientia. R. Sponsalia merè civilia ubicumque vigent, publicæ honestatis vinculum inducunt de Jure communi. Ast non inducunt ubi vigent ecclesiastica, nisi in facie Ecclesiæ celebrentur; dummodò aliud locorum Lege non sit constitutum.

Prob. 1. pars, 1mo. quia Sponsalia hæc nullo Jure irrita sunt, aut etiam prohibita. Lex enim Trid. quæ clandestina Matrimonia irritat, cùm Jus commune corrigat, ultra casum
expressum

expressum non est extendenda. 2do. Quia Sponsalia hæc Romæ habentur pro validis, idque sæpius à Congregatione Concilii declaratum est. 3tio. Quia Sponsalia nihil aliud sunt quàm mutua futuri Matrimonii promissio. Atqui stat promissio hæc seu privatim seu publicè fiat. Ergo & ejus effectus, seu publica honestas, stare debet.

Prob. 2. pars, quia in plerisque Diœcesibus, ubi Sponsalia ecclesiastica vigent constanti usu receptum est, ut quæ ea antecedunt promissiones, non tam Sponsalia sint quàm Sponsalium pollicitatio; atque ità se res habent in Metropolitanis, Burdigalensi, Senonensi, Rothomagensi, Parisiensi, &c. Atqui illa hæc tam antiqua consuetudo, licèt antiquæ Legi opposita, Jus constituit in hisce locis sequendum. Siquidem ex Gregorio IX. *Consuetudo vincit Legem, si sit rationabilis & generalis.* Atqui consuetudo de quâ loquimur, & rationabilis est; cùm medeatur ambagibus incautæ Juventutis, quæ Matrimonium, sæpè decepta, sæpè libidine furens, mirâ miserâque facilitate promittit, &c.

Prob. 3. pars, quia constat quasdam esse Diœceses in quibus, etsi præscripta sunt Sponsalia Ecclesiastica, valent tamen quæ fiunt extra Ecclesiam, seu ritu tantum civili. Ità docet Gibert in Consult. de Matrim. Tom. 1. pag. 27. Jam verò Sponsalia quæ pro validis ac veris Sponsalibus habentur, publicam honestatem invehere debent. Unde Carnuti, ubi clandestina Sponsalia prohibita sunt, supponitur tamen eadem valere. Hinc operæ pretium est, ut qui clandestina Sponsalia contrahunt in locis ubi hæc ex usu valida censentur, à Pastoribus de impedimento ex iis prodeunte moneantur; præsertim si post promissum uni Matrimonium, ambiunt nuptias sororis ejus, aut alterius in primo gradu consanguineæ.

Quæres. 11mo. quo fine instituta sint Sponsalia. R. instituta esse, 1mo. ut intermedio tempore detegatur, nihilne sit quod futurum Matrimonium dirimat aut prohibeat. 2do. Ut interim sponsi omni bonorum operum genere, felicem corporis & animi nexum obtinere nitantur. 3tio. Ut matrimonium tot oneribus grave, tot molestiis ac difficultatibus implicatum, maturiori consilio celebrent.

Quæres 12mo. quo tempore iniri possint Sponsalia. R. hæc quovis tempore, Adventûs etiam & Quadragesimæ, posse celebrari; quia id nulla Lege prohibetur. Non tamen deceret Sponsalia, quæ de se aliquid festivi habent, celebrari, dum Ecclesia Passionem Christi animo & corde meditatur.

Quæres 13tio. an Sponsalia per Procuratorem, Internuncium & Literas fieri possint. R. affirmat. tum quia per media

hæc fieri poteſt Matrimonium ipſum; tum quia *Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum.* Eædem porrò ad Sponſalium, quæ ad Matrimonii procuratorem requiruntur conditiones. Unde indiget mandato ſpeciali, & ad particularem perſonam; mandato, inquam, quod nec expreſſe nec tacitè, ignorante etiam proxeneta, revocatum ſit, &c.

Quæres 141o. quot modis contrahantur Sponſalia. R. illa contrahi vel *abſolutè*, ſeu ſimpliciter, ſeu cum juramento; vel *conditionatè*. Conditio autem vel eſt de præterito, vel de præſenti, vel de futuro, ſeu neceſſario, ſeu contingente. Rurſum conditio vel eſt honeſta, ut *Ducam te, ſi aureos mille dederis in dotem;* vel eſt turpis: eaque vel matrimonii ſubſtantiæ adverſatur, ut nubam tibi, *ſi prolis generationem evites;* vel bonis moribus, non tamen *Matrimonii* ſcopo, ut *Contraham tecum, ſi me in latrocinio adjuvare velis;* vel eſt poſſibilis, ut *ſi talem dotem afferas;* vel eſt impoſſibilis, ut *ſi Cælum digito tetigeris.* Jam quæritur an diverſa hæc Sponſalium genera valeant. Conſtat 1mo. Sponſalia non abſoluta ſolum, ſed & ea etiam quæ fiunt ſub conditione vel neceſſariò futurâ, vel præſenti quæ actu exiſtat, vel præteritâ quæ extiterit, ſtatim valere; quia nec Jure ullo irrita ſunt, nec per eventum conditionis, vel jam poſitæ, licet necdum ſciatur an poſita ſit; vel in futurum neceſſariò ponendæ, ſuſpendi valent. Et verò conditiones de præterito vel de præſenti, nec ſunt propriæ conditiones; nec licet rem inhoneſtam reſpiciant, ut *Ducam te, ſi patrem tuum occidi*, ad peccandum invitant: quod Jus cavere voluit. Conſtat 2do. Sponſalia contracta ſub conditione de futuro, poſſibili ſimul & honeſtâ, vim ſuam habere ſtatim, ut purificata fuerit conditio. Tota igitur difficultas eſt, an valeant Sponſalia ſub conditione vel impoſſibili, vel inhoneſta, ſeu hæc Matrimonii ſcopo, ſeu tantum bonis moribus adverſetur.

R. 1mo. Sponſalia ſub conditione impoſſibili ſunt invalida. Prob. Contractus omnes, præter Matrimonium & ultimas voluntates, per appoſitionem conditionis ex natura aut facto impoſſibilis, ipſo Jure nulli ſunt, ſecundum id Inſt. *De inutil. ſtipulat. Si impoſſibilis conditio obligationibus adjiciatur, nihil valet ſtipulatio.* Ergo & eodem Jure irrita ſunt Sponſalia; quia *Legis verba generalia generaliter ſunt intelligenda*, ex C. 22. *De privileg.*

Obj. Sponſalia ſunt initium Matrimonii: ergo quod in Matrimonio diſpoſitum eſt, cenſetur diſpoſitum in Sponſalibus. Atqui in Matrimonio conditiones impoſſibiles, ut & turpes, habentur pro non appoſitis. Ergo & in Sponſalibus. R. diſt. Diſpoſitum in Matrimonio cenſetur diſpoſitum in Spon-

ſalibus

ſalibus, cum eædem ſunt in his quæ in illo diſponendi rationes, C. Secus N. Porrò in Matrimonio conditiones impoſſibiles pro non adjectis habentur, tum ad Specialem Sacramenti favorem, tum ad vitanda pericula, quæ ex Matrimonii fortaſſis validi diſſolutione naſcerentur. Cùm ergo nec favor ille, nec iſta pericula inveniantur in diſſolutione Sponſalium, quæ ceteroqui facilè citra conditionem iterari poſſunt, nihil eſt cur quæ circa Matrimonium diſpoſita ſunt, ad Sponſalia extendantur.

R. 2do. Sponſalia quibus adjicitur conditio turpis de futuro, ſubſtantiæ Matrimonii contraria, ipſo Jure nulla ſunt. Prob. quia quæ in hoc caſu militant cauſæ pro invaliditate Matrimonii, militant & pro Sponſalium invaliditate. De his infra C. 4.

R. 3tio. Sponſalia ſub conditione, turpi quidem, ſed Matrimonii ſubſtantiæ nequaquam contraria, v. g. *Ducam te, ſi mecum fornicеris*, vel *ſi illud furtum facies*, valent impleta conditione, niſi reſiſtat locorum diſciplina. Prob. ut Sponſalia ſub conditione turpi de futuro valeant purificata conditione, ſatis eſt ut eorum valorem confirmet Reſpublica, ſive ceteros ejuſdem generis contractus ratihabeat, ut plerique volunt, ſive non, ut probabilius nobis videtur. Atqui ità ſe res habet: cum ubique receptum appareat, ut qui deſponſatam virginem ſub Matrimonii promiſſione corrupit, eam ducere teneatur; niſi obſtent quæ quandoque obſtant, nè alii contractus adimpleantur. Ergo conditio turpis, licet non attendatur in Matrimonio ex ſpeciali Juris diſpoſitione, attenditur in Sponſalibus; proinde ante impletam conditionem non valent Sponſalia, ſed eadem ſemel impleta valent.

Dixi, *niſi reſiſtat locorum uſus*, quia quæ de Jure communi valent, certis in locis ubi alia inolevit conſuetudo, caduca eſſe poſſunt. Imò ſuppoſito etiam Juris communis vigore, non dubitem quin ab eo graves ob cauſas recedi poſſit. Sic in Parœciâ quâdam, ubi ab uno, & eo plus, ſeculo, moris erat ut plebeiæ ſortis puellæ omnes ſub conjugii promiſſione fœdarentur, actum eſt ab iis quorum intererat, Epiſcopo præſertim, ut nulla funeſtarum hujuſmodi pollicitationum ratio haberetur. Eruperunt murmura & comminationes, manſit immota Superiorum mens. Unaquæque nubilis expalluit ad impendens infamiæ periculum, &c. Uno verbo deſiit ſcandalum, deſierunt & inhoneſtæ conditiones.

Quæres 15to. an conditio de ſervanda utrinque continentiâ Sponſalibus apponi non poſſit, quaſi Matrimonii bonis contraria. R. eam apponi poſſe cum aliâ hâc conditione, ut Matrimonio uti liceat. ſi ità judicent Superiores.

Quæres

Quæres 16to. an Sponſalia & Matrimonium conditionate inita, ſtatim poſt conditionis eventum valeant abſque novo Partium conſenſu. R. probabilius affirm. Tunc enim voluntas prior, utpotè ſemper ſubſiſtens, è conditionali tranſit in abſolutam; quod & in ceteris etiam contractibus locum habet, ſecundum id L. 7. ff. *De contrah. emptione: Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio.* Et certè ideò alii contractus poſitâ conditione ſtatim fiunt abſoluti, quia conſenſus per verba de præſenti præſtitus, quamvis ſub conditione de futuro, eſt verè conſenſus de præſenti, & talis virtualiter permanet. Atqui id & in Sponſalibus & in Matrimonio locum habet. Ergo conſenſus primùm datus ſemper manet virtualiter præſens, ſicut qui per Procuratorem alterius nomine præſtandus eſt. Ergo neceſſe non eſt ut iteretur.

Quòd ſi Pars una conſenſum priorem revocaverit, novo opus erit conſenſu; quem dare tenebitur, niſi altera etiam reſilire malit. Imò & ad id teneretur, etiamſi cum alia abſolutè vel conditionaliter Sponſalia iniiſſet, quamvis ſecunda conditio priùs quàm prima adimpleta eſſet; quia ſecunda Sponſalia jus alteri legitimè partum ſubvertunt: vi enim priorum Sponſalium tenebatur expectare eventum conditionis.

Obj. 1mo. contra primam reſponſionis partem: Conſenſus qui ab initio non ſufficit, non ſufficit deinceps, niſi deinceps perficiatur. Atqui conſenſus ab initio datus, 1mo. non ſufficit ante conditionis eventum. Si enim tunc temporis abſolutum cum aliâ Matrimonium contraheretur, dubio procul valeret: non valeret autem ſi conſenſus priori Matrimonio datus ſufficiens fuiſſet. 2do. conſenſus iſte de novo poſt eventum conditionis non perficitur. Conſenſus enim ſinè novo voluntatis actu non perficitur: Is autem deeſt ex hypotheſi, ſecundùm quam non renovatur prior conſenſus. R. ad 1. diſt. min. Non ſufficit ante conditionis eventum, quia deeſt aliquid ex parte conditionis, C. quia deſit quidpiam ex parte conſenſus, N. Unde conſenſus ille ab initio ſufficit, ſed ſuppoſita conditione. Quare conditionis eventus nec facit nec requirit novum conſenſum, ſed id apponit, quod conſenſus ille apponi voluit ut ſuum ſortiretur effectum.

Obj. 2do. Cetera Sacramenta à conditione non pendent. Unde ſi quis dicat: *Abſolvo te, ſi cras reſtitueris*, non valebit impletâ etiam conditione abſolutio ſed novâ de præſenti opus erit. Ergo à pari in Matrimonio. R. neg. conſ. Diſparitas eſt quòd cetera Sacramenta non ſint contractus: Secus de Matrimonio, quod proinde ceterorum contractuum ſortem habere

debet.

debet. Hi verò, si conditionati sint, statim purificatâ conditione transeunt in absolutos.

Quia tamen sua partis contrariæ rationibus inest probabilitas, & aliunde de Sacramento agitur, curandum ut impletâ conditione novus semper accedat consensus, ut in conjugiis per Procuratorem initis fieri solet. Imò longè tutius est, quo litibus radix præcidatur, ut Ecclesiæ Minister nusquam hisce Matrimoniis præsit, nisi fortè id extraordinariæ causæ exigant; tùm quia hæc Sacramenti dignitatem minùs decent; tum quia ob discrepantes Theologorum sententias, hinc dubio procul scaturirent ambages.

Quæres 17mo. an sponsis liceat paciscí de pœnâ ab eo qui resilierit exsolvendâ. Not. Pœna Sponsalibus apponi potest, 1mo. positivè, ità ut sponsum vel alium privet aliquâ boni sui parte; 2do. Negativè; ità ut Pars resiliens nihil quidem amittat de suo, sed alienum minimè lucratura sit; 3tio. Pœna vel à sponsis ipsis relativè ad se invicem, vel ab eorum parentibus, vel ab extraneis constitui potest. 4to. Vel constituitur indefinitè, ità ut ab alio solvenda sit, seu justè, seu injustè resiliat; vel pro eo solùm casû quo alter citra causam resilierit. Ad hujusmodi pœnas accedit arrharum jactura. Sunt autem arrhæ munera, quæ ante vel post Sponsalia ab uno traduntur alteri, eâ lege ut à donatario vel retineantur, si donans, vel restituantur, si donatarius injustè resiliat. His præmissis,

R. 1mo. appositionem pœnæ positivæ in Sponsalibus generatim & indistinctè factam, illicitam esse, & in conscientiæ foro invalidam. Ratio est, quia pœna hæc irrita est, 1mo. Jure Civili, ut constat ex L. 134. *De verb. obligat.* ubi stipulatio ea reprobatur tanquam *inhonesta*; 2do. Jure Canon. Cap. 29. *De sponsalib.* &c. ubi sic: *Cùm libera Matrimonia esse debeant, ideò talis stipulatio propter pœnæ interpositionem meritò improbanda est.* Atque disciplinam hanc sequuntur in Galliâ Seculares Curiæ, & meritò, quia multi nè pœnam, præcipuè gravem, subirent, coacta & detestata intus ob supervenientes causas, Matrimonia contraherent. Ex his autem quot inter familias jurgia, inter sponsos simultates, &c.

Dixi, *Appositionem pœnæ generatim.* Si enim conditio Sponsalibus apposita non tam pœna sit, quàm damni ex iniquâ sponsi mutatione emergentis compensatio, aliter statuendum erit. Unde si cum Bathilde pœnalia Sponsalia contrahas, eâ lege ut per annos plures expectet, donec eam ducas, poterit illa titulo compensationis rem sibi traditam retinere. Idem est si graves ad Matrimonium quo iniquè frustratur, sumptus fecerit; aut si ex tuâ erga ipsam agendi ratione futurum sit, ut hæc

ejusve

ejusve familia probrum & suspiciones incurrant. Imò licitum videtur pacisci de pœna ab eo qui injustè resilierit exsolvendâ: cum is & censuris, quæ sunt aliquid gravius, plecti possit, & arrhas perdere. de quo infra.

R. 2do. pœnam non modò à sponsis, sed ab eorum consanguineis vel amicis appositam, de Jure nullam esse. Utraque enim Conjugiorum libertati obest. Imò plus noceret facta à tenerioribus amicis, quàm facta ab ipsis sponsis: cùm cordatus quisque malit damnum pati, quàm alios sui causâ. Neque stipulationes illas firmabit juramentum utpotè factum contra legem etsi ob divini nominis reverentiam satius est, ut ejus dispensatio obtineatur.

Quæres 18vo. an si cui soluta sit à resiliente pœna conventionalis, is eam ante sententiam Judicis solventi restituere teneatur. R. vel is qui solvit, ut promissis etiam nullis staret, sciensque id quod solvebat, non esse strictè debitum; vel solvit, quia falsò ratus est se ad solvendum teneri. Si 1. potest qui recipit, tutâ conscientiâ retinere; quia donans vel jure suo cedit volens, quod Lex non prohibet; vel mœrorem ex agendi ratione suâ conceptum lenire vult, quod charitatis est. Si 2. non potest retinere, quia donans ex errore, dominium non transfert. Quæ autem rationes ad dandum impulerint, ex circumstantiis personæ dijudicandum. Faciliùs enim præsumentur munificentia & æquitas in homine divite, liberali, pio, non imperito, quàm in ignobili, avaro, &c. In dubio res per amicos tractanda est, aut mulcta conventionalis pro dubii ratione partienda.

Jam de pœnis negativis statuendum. Eæ autem vel ab extraneis apponuntur, ut si quis dicat: *Lego tibi centum, si Petro nupseris;* vel à viro relativè ad mulierem, ut *Dabo tibi centum, si me in conjugem habere velis;* vel à muliere erga virum. Si 1. valet promissio: Quia tunc non apponitur propriè pœna, sed lucri specie ad tale Matrimonium allicitur persona; quod apud probos etiam receptum est, & approbatur L. 1. Cod. *De instit. & substit.* Si 2. non valet promissio de Jure communi, tum quia resistit Lex 97. ff. *De verb. obligat.* tum quia libidine moveri censetur, qui puellam summâ pactâ allicit. Secùs & meritò, dicendum cùm vir senex est, vel ignobilis; puella verò juvenis, vel honestæ prosapiæ: tunc enim inæqualitatem compensare censetur. Si 3. tenet promissio; quia quòd spondet mulier, dotis causâ spondere præsumitur.

Quæres 19no. quid de Arrhis statuendum. Est autem Arrha in præsenti res immobilis vel mobilis in magnâ vel parvâ quantitate, à sponsis vel parentibus eorum, post contracta Sponsalia

quasi

quasi pignus in futuri conjugii securitatem data, sive ab utroque sponso invicem, sive ab uno alteri. Differt arrha à sponsalitiâ largitate, quæ fit in signum amoris & sub spe Matrimonii, sed non in ejusdem pignus; & vocatur *Jocalium*, *Dotalitium*, *Mundus muliebris*, &c.

R. 1mo. Arrha Sponsalibus licitè apponitur: eam enim Jus approbat, Leg. 5. Cod. *De sponsal.* Arrhas tamen non admodùm graves esse decet, præsertim ubi viget restitutio quadrupli. Sic enim reciderent in pœnam conventionalem, à quâ prorsus abstinendum.

R. 2do. Post conjugium arrha danti restituenda est, nisi aliud ferat loci consuetudo.

R. 3tio. Si dans arrham, injuste resiliat, perdit arrham. Hæc enim traditur ut pignus futuri Matrim. sicut pignus in contractu venditionis. Ergo ut in hoc casu, sic in illo à Parte quæ fidem frangit, amitti debet.

R. 4to. Quando è sponsis unus solus arrham tradit, & qui eam recepit, injustè resilit à Sponsalibus, debet is eam in duplum restituere; *nisi specialiter ex communi consensu inter contrahentes de quadrupli ratione placuerit.* Ità Lex 5. Cod. *De sponsal.* Minor tamen non plus restituit quàm accepit.

R. 5to. Qui justa de causâ resilit, nec datam arrham perdit, nec acceptam in duplum restituere tenetur. Ratio est quia rei datæ amissio habet locum pœnæ: pœna autem supponit culpam.

R. 6to. Si tradens arrhas sit in morâ culpabili, cedunt arrhæ in lucrum recipientis; vel si moritur, hæredum ejus. Ratio est, quia æquum est *ibi esse pœnam, ubi & noxa est*, L. 22. Cod. *De pœnis.*

R. 7mo. Cùm neuter sponsus fuit in morâ, & eorum alter moritur, arrhæ, jocalia, &c. hæredibus ejus restitui debent; quia ubi non præcessit culpa, nec pœna sequi debet. Si tamen puella diu expectando, commodi Matrimonii occasionem prætermisit poterit, accepta dona titulo compensationis servare; præsertim si non reclament defuncti sponsi hæredes.

### *De Ministro Sponsalium, ejusque officio.*

Dico 1mo. Sponsalium Ecclesiasticorum Minister solus est Parochus, aut qui vices ejus gerit. Prob. quia Sponsalia Ecclesiastica coram eo contrahi debent, qui sponsos conjungere in Matrimonium, parentum voluntatem commodiùs explorare, affidandis salubria monita dare, eosdem justis de causis arcere à Sponsalibus potest. Hæc autem Parocho, aut alii qui vices

ejus gerat, competunt. Absit porrò ut unquam præsit Pastor Sponsalibus in popina, vel in ædibus profanis: Imò morem spondendi post dissolutas compotationes, docendo, comminando atque etiam implorată Judicis Villani ope, pro viribus eradicare debet, nè animi vino semigraves non agant debito pietatis affectu.

Dico 2do. Gravia sunt Pastoris quoad sponsos munera. 1mo. enim Pastor seu Confessarius sit, seu non, vel è suggestu, vel in privatis colloquiis omni operá efficere debet, ut qui de ineundo Matrimonio cogitant, seriò perpendant an vocati sint ad conjugalem statum; quandoque etiam ad hoc vel illud conjugium. Vix certè ulla est conditio periculosior, vel graviora trahens onera, quàm immobilis Matrimonii status. In eum tamen certo quodam furore proruitur, Deo nè obiter quidem consulto, quasi vel suam quisque salutem sinè auxilio gratiæ operari possit, vel adfuturam sibi gratiam spondeat in conditione ad quam vocatus à Deo non fuerit. Attamen qui de ineundo conjugio deliberant; alii amplioris fortunæ intuitu alii ut sui juris sint, non jam parentum admonitionibus obnoxii; alii solâ libidine moventur.

2do. Et illud aget Pastor, vel Confessarius, ut nupturi in statu gratiæ ad Sacramentum accedant. Demonstrabit, suscepto indignè Matrimonii Sacramento, * *Nec gratiam accipi, quâ aut benè vivant ipsi conjuges, aut benè vivere doceant proles quas suscipiunt, aut familiam suam christianè gubernent: unde & in posteros suos, per proles & proles prolium, & in plurimas alias familias per domesticos suos impietatem suam propagant.* Sed & docebit *ad hanc gratiam accipiendam opus esse dispositione & præparatione sanctâ, quam imprimis non habent qui in Fide satis instructi non sunt; qui in peccatis mortalibus vivunt, ut sunt qui tabernis, potitationibus, inhonestis consortiis, impudicis procationibus, aliisve immunditiis addicti sunt. Proinde hos omnes Matrimonio indignos esse, nisi priùs per pœnitentiam vitam emendaverint.*

3tio. Curabit ut nupturientes ab omni etiam prohibente impedimento liberi sint. Unde impedimenta, si quæ subsit suspicio, ipsis sigillatim exponet. Sed & eos monebit nè certum diem contrahendi Matrimonii præfigant; ut si fortè nuptias differri oporteat, faciliùs & citra scandalum differri possint.

4to. Et id vehementer inculcabit, ut jam à Sponsalibus, vel diu ante, si juxta ritum loci Matrimonium à Sponsalibus breviori temporis intervallo sejungatur, ad sacrum Tribunal accedant quò

* *Opstraët.*

quò labes suas abluant pleniùs, & melioribus consiliis instruantur. Tunc autem optimum fuerit Confessionis generalis consilium: imò hæc necessaria videtur quâ parte spectat materias ex quibus oriri solent impedimenta, nisi Confessor satis aliunde norit Pœnitentes. Dùm autem fluet medium tempus Sponsalia inter & nuptias, operæ pretium erit, ut commissa parentibus nuptialis rei curá, in id toti junioris Tobiæ exemplo intendant, ut cœlestem gratiam tum in se, tum in compartem suam advocent.

5to. Monebit nihil eis ampliùs post inita Sponsalia licitum esse, quàm anteà liceret: contra verò his eò cautiùs esse conversandum, quo majora sibi imminent pericula, & instat Matrimonii tempus. Hinc prohibendum nè sub eodem tecto habitent; Hinc & ad frequentiorem Confessionis usum adhortandi sunt, ut tempore tam periculoso monitis Confessarii adversùs tentationes muniantur.

6to. Aget etiam ut exulet ille mensarum apparatus, qui ebrietatem, obscæna verba, &c. quæ Sacramenti gratiam præfocant, parturire consuevit.

7mo. Cavebit nè vel recèns conversos, antequam sibi de eorum fide constet, vel vagos ac fixi domicilii exsortes, antequam Episcopum consuluerit, vel publico ligatos impedimento etiam prohibente, antequam dispensationem ejus expostulent, ad Sponsalia admittat. Sed & cavebit nè à Sponsalibus quemquam removeat, seu propter impedimenta occulta, seu quia sinè probatione ulla renunciatum sibi fuerit, hunc vel illum aliquo impedimento constringi.

Sua etiam sunt Sponsis erga Pastores vel Confessarios officia. Præcipuum est, ut nisi jam antè comperta sit eorum conscientia, penitiores ejus latebras, præsertim relativè ad conjugium, & tale conjugium, sincerè detegant, ut & doceantur viam sibi ineundam; & cùm certis laborant defectibus, à Ministro rescìant num eos parti alteri aperire teneantur. Ad id enim quandoque tenentur sponsi, quandoque non. Quod quia quotidianæ est praxis, nec affidandis necessarium minùs quàm Confessariis, paulò fusius evolvendum est.

Itaque ex defectibus alii tales sunt: ut verisimiliter post Matrimonium detegendi sint, & tunc cessuri, seu in probrum, seu in detrimentum Partis alterius; ut si puella ex alieno facinore uterum gerat; si sponsus venereâ lue laboret; si ære alieno gravis sit; si ab infimâ plebis fæce ortus gerat se pro nobili, & quà talis conjugium puellæ nobilis ambiat; si ex genere vel delicto infamis sit. Alii tales sunt, ut vel nunquam foràs erumpere valeant, ut si quæ creditur virgo, à quopiam jam mortuo

viciata

viciata sit; vel necessariò quidem detegendi sint, sed vel à comparte leniter corrigi, vel patienter tolerari possint; ut si quæ mitis habetur; iræ impatiens sit, &c. Jam

Dico 1mo. Defectus primi generis ab unâ Parte alteri detegi debent; quòd nisi fiat, vel desistendum à Sponsalibus, & a fortiori à Nuptiis; vel deneganda à Confessario absolutio. Prob. quia nemini licet commodum suum inquirere cum gravi alterius detrimento. Ergo sicut volenti emere ligna occultè cariosa in fabricam domûs, tenetur venditor vitium hoc aperire; sic certis laborans defectibus, qui Matrimonium in societate conjugali, in susceptione prolis ac educatione, in convictu periculosum efficiunt, eosdem defectus aperire tenetur.

Sed quid juris si quem defectus tuos celas, paribus aut æquivalentibus laborat? R. hic valere aliquando compensationem, ut si cocles cocliti nubat; sed non valere semper, videlicet ob speciales personarum circumstantias. Unde si sponsus & sponsa cum aliis peccaverint; & futurum sit ut prior detecto posterioris scelere in immania quæque erumpat, non modò à Sponsalibus, sed & his etiam contractis, à Matrimonio abstinendum; quia licèt aliqua fortè sit compensatio in rebus, non tamen in rerum consectariis.

Dico 2do. Si sponsorum alter occulto vitio laboret, quod grave alteri incommodum parere nequeat; & tamen justam, si cognosceretur, à Sponsalibus resiliendi causam præberet; ut si sponsa ante, vel alteruter post Sponsalia cum alio peccaverit, non tenetur ordinariè suum illud vitium aperire. Ratio est 1mo. quia onus turpitudinem suam propalandi tam durum est, tam receptæ consuetudini adversum, ut nemo illud erga se exequi teneatur, quando nullam hinc alteri, seu probri, seu injustitiæ labem inurit, prout fit in præsenti, ubi de defectu occulto agitur. 2do. Quia potest adulter, cujus crimen ignoratur, si non exigere strictè attamen petere debitum, ut solent honesti conjuges, quia lapsum suum detegere non tenetur. Ergo à pari.

Hæc responsio ad minus in duplici casu limitanda est, 1mo. cùm periculum est nè vitium quod actu latet, postmodùm foràs erumpat, & graves pariat rixas: tunc enim aut aperiri debet, si apertum vel nihil vel parùm infamet; aut à Sponsalibus, quâ meliori poterit viâ, est recedendum. 2do. Cùm puella ab alio concepit, etsi à Sponso suo, cujus etiam libidini obsecuta est, concepisse præsumi potest. Vel enim prima fornicatio tantum distat à secundâ quam cum desponsato habuit, ut is, computato tempore, partum alii certò vel probabiliter adscripturus

sit;

sit; & tunc utrumque inter æterna odia nascentur, quæ caveri omnino debent: vel utraque fornicatio intra tempus tam breve contigit, ut sponsus se se prolis parentem judicare possit, & tunc nihil quidem erit rixarum inter sponsos; sed alia, eaque gravissima, suborientur incommoda, ut quòd maritus prolem alterius multo sumptu educaturus sit, quòd spuria proles indebitæ sibi hæreditatis partem sit aditura, quòd legitimæ proles bonis ad se pertinentibus privandæ sint.

Quòd si sponsus habiti cùm alio commercii nescius, sponsam urgeat ad Matrimonium; docent nonnulli cum Heislenger, illam, si nullâ aliâ viâ Matrimonium recusare valeat, ad pandendum sponso crimen suum teneri; tum quia nullum ad famam suam jus habeat cum tanta innocentis injuriâ; tum quia infamia, quam ex hâc apud sponsum revelatione incurrit, quamque sibi soli imputare debet, non est tanti, ut propter hanc vitandam, gravia sponso & toti familiæ damna inferri possint. Malim tamen ut scelus illud vel Parocho, vel Directori rem benigne & sapienter tractaturo detegatur, quam sponso, qui zelotypiâ & æstu percitus, ut palàm probet quàm justè datam fidem frangat, & alienæ, & suæ forsan iniquitatis, mysterium partim indignabundè, partim triumphanter propalaturus sit. Imò, si sponsa ad tempus abesse possit, erit id ei suadendum, nisi novum peccandi discrimen incurrat.

Quæres an peccet Pars altera quæ impotentiâ temporali laborans, comparti nihil de ipsa loquitur. R. id ex personarum circumstantiis dijudicandum esse, potissimùm autem ex virtute compartis. Utique gravi incontinentiæ periculo exponitur juvenis amore furens, cui vel unâ hebdomade expectandum. Unde vel agendum est ut differantur nuptiæ, vel ante nuptias paciscendum de separatione thori quoad certum tempus; prout sæpe fit cum duodennibus puellis.

### *De Necessitate & Effectibus Sponsalium.*

Circa primum caput nulla est difficultas: Unde

Dico 1mo. Sponsalia licèt gravibus de causis instituta, ut suprà dictum est, ex naturâ rei ad Matrimonium necessaria non sunt. Ratio est, quia ad Matrimonium sufficit mutua corporum traditio. Hæc autem absolutè sinè præviâ tradendi promissione fieri potest; sicut venditio domûs sinè pacto ejusdem vendendæ.

Dico 2do. Sponsalia Ecclesiastica, ubicumque præcipiuntur, sinè gravi peccato voluntariè omitti non possunt. Ratio est, quia cere-

ceremonia à legitimâ potestate graves ob causas præscripta, sinè gravi peccato negligi non potest.

Major est difficultas de Sponsalium effectu: is autem duplex est præcipuè, obligatio nimirum, & honestas publica. De hâc dicam ubi de impedimentis; circa priorem, videndum 1mo. an & quo tempore obligent Sponsalia ad contrahendum Matrimonium. 2do. An ità obligent ad servandam fidem, ut gravior sit in sponsis quàm in omninò solutis fornicatio. Sit

Conclusio. I. Sponsalia ad contrahendum Matrimonium graviter obligant; idque, si nihil obstet, tempore inter sponsos constituto; aut quam primùm commodè fieri potest, si nullum tempus præfixum fuerit.

Prob. 1. pars. quia promissio mutua, & utrinque onerosa, parit obligationem justitiæ. Hæc autem in re gravi, qualis est præsens, necessariò gravis est.

Prob. 2. pars, quia eadem est matrimonialis contractûs, quæ ceterorum conditio. Atqui in his servari debet tempus de quo inter Partes convenerit, quia *solutum solvitur non minùs quantitate quàm die:* ex L. 85. ff. *De solut.* Ergo & in Sponsalibus debet tempus servari, nisi compars expresse aut tacitè in dilationem consentiat.

Sicut tamen in aliis contractibus excusat à gravi parvitas moræ, sic & in præsenti. Unde dilatio ad unum vel alterum diem, regulariter loquendo, vacat à mortali. An idem sit de dilatione ad unam duasve hebdomades, ex circumstantiis judicari debet: utique mora hæc contra constituti temporis legem, plerumque nocet famæ compartis, & utramque incontinentiæ periculo exponit, nisi Pars cui apponitur mora, pietatem colat.

Prob 3. pars, 1mo. ex L. 14. ff. *De reg. Juris*, ubi sic. *In omnibus obligationibus in quibus dies non apponitur, præsenti die*, id est, quamprimùm, res *debetur*. 2do. Votum nisi executioni ejus certa dies præfixa sit, statim obligat, ità ut dilatio ejus *reputetur in peccatum*, ex Deut. 23. Et id de eò præsertim voto constat, quo quis pro toto vitæ suæ decursu aliquid spondet; quia quò seriùs illud exequitur, eò plus de re debitâ subtrahit. Atqui sponsus promisit se toto vitæ stadio cum sponsâ victurum; & id vicissim promisit sponsa. 3tio. Quia fatentur Adversarii, Sponsalia hæc per accidens obligare ad statim contrahendum; cùm timere est, nè sposi secum aut cum aliis vel soli peccent Atqui attentâ sponsorum fragilitate, & ut plurimùm nubendi cupidine, periculum illud non tam per accidens, quàm per se imminet. Ut solvantur nonnullæ difficultates.

Quæres. 1mo. an vir nobilis, qui cum puellâ conditionis longè inferioris, cognita ut tali, Sponsalia contraxit, eandem sub gravi ducere teneatur, etiamsi copulam injectâ Matrimonii spe non extorserit, &c. R. affirmat quia scienti & consentienti non fit injuria. Atqui ex hypothesi scit & consentit is de quo agitur. Et verò ut S. Bathildem, quæ ad Clodovæi II. nuptias pertracta est, silentio prætereaın, quot Principes Solii sui participes fecère puellas prosapiæ toto cœlo dissimilis! Hæc tamen intelligenda sunt, nisi ex dispari conjugio timeantur scandala, rixæ graves inter consanguineos, pœnitudo gravis ipsius mariti, &c. Nemo enim ad illiciti quidpiam ex justitiâ obligari potest: est porrò illicitum quod absque tantis malis impleri nequit. Si quid tamen sponsa hinc passa sit damni, ut si jam nè quidem paris sibi fortunæ virum invenire queat, erit id refundendum, vel dotando, vel dotem adaugendo.

Quæres 2do. an major 25. an. qui virginem seduxit, sub spe Matrimonii, eam ducere teneatur. R. affirm. posito quòd ablatus ei honos aliâ viâ resarciri non possit. Excipe, nisi quæ seducta est, intelligere potuerit nuptiarum promissionem dolosè & mendaciter ad obtinendum crimen sibi factam esse: tunc enim nihil penè ei debetur quàm quod debetur libenter consentienti. At plerumque qui parùm vel nihil debet puellæ, debet ejusdem parentibus, qui ut ei virum paris propè conditionis procurent, dotem ejus augere coguntur.

Quæres 3tio. an ad Matrimonium cogendus sit qui datam in Sponsalibus fidem exsolvere recusat sinè causâ. R. eum in conscientiæ foro per absolutionis dilationem compelli debere ut stet promissis: Quia absolvi nequit qui gravis injustitiæ reus est. Potest etiam stando in Jure communi, per legitima quæcumque Juris media, ad instantiam Partis alterius, à Judice, post adhibita exhortationis remedia, compelli ad Matrimonium, nisi gravia hinc timeri debeant incommoda, ut dissensiones capitales, fictus in Matrimonium consensus, sponsæ homicidium, &c. In Galliâ non compellitur per censuras sponsus ad Matrimonium, etsi nullam habeat resiliendi causam; sed ab Officiali, cùm flecti mens ejus non potest, certâ stipe pauperibus erogandâ mulctatur.

Quæres 4to. an possit quis de certâ pecuniæ summa pacisci, præcisè ut alteri natam ex Sponsalibus obligationem remittat. R. posse, non modò ut fatentur omnes, cum ex dissolutione Sponsalium damni aliquid patitur, sive ob expensas quas fecit, sive quia jam pares nuptias nonnisi ægrè invenire potest: Sed licèt etiam nihil subeat damni. Ratio est 1mo. quia resiliens sinè causâ gravem, eamque pretio æstimabilem, injuriam facit

innocenti. 2do. Quia hæc eſt, ſaltèm apud extraneos, plurium Diœceſeon ac Tribunalium praxis: Puto autem quòd & illa Spiritum DEI habeant. 3tio. Quia de Jure communi poteſt temerè reſiliens, per cenſuras & carcerem compelli ad ſtandum promiſſis. Hæc autem vexatio, quæ per ſe non eſt iniqua, pretio condonari poteſt. Quia tamen ex hypotheſi Pars nocens nihil præter mœrorem & quandam infamiam patitur detrimenti, compenſatio hæc moderata eſſe debet, non conquerentis ſed prudenti Judicis arbitrio pro perſonarum ac circumſtantiarum diverſitate taxanda.

Quæres 5to. an fidei, quam ſibi invicem ſponſi debent, violatio per fornicationem, ſit adulterium, aut circumſtantia neceſſariò confitenda. R. ad 1. negat. *Propriè* enim *adulterium in nuptam committitur*, ex L. 6. ff. ad *Leg. Jul. De adult.* unde ab omnibus definitur: alieni thori violatio. Atqui nec ſponſa de futuro jam nupta eſt; nec qui ad eam accedit, violat alienum thorum. R. ad 2. fornicationem utriuſque ſponſi eſſe circumſtantiam neceſſariò confitendam. Ratio eſt 1mo. quia fornicatio hæc contraria eſt fidei datæ in Sponſalibus, & quâ talis Legibus prohibita. Ergo in eâ duplex eſt malitia, alia fornicationis, alia fractæ fidei. 2do. Quia qui re alteri debita utitur modo eidem graviter injurioſo, graviter peccat contra juſtitiam. Ergo cùm ſponſæ corpus ex juſtitia debitum ſit ſponſo, ejuſque per fornicationem abuſio eidem graviter infeſta ſit, à gravi contra juſtitiam peccato excuſari non poteſt. 3tio. Quia tenentur graviter ſponſi totum id effugere unde Sponſalia diſſolvi poſſint. Atqui ex dicendis diſſolvi poſſunt Sponſalia per ipſius etiam ſponſi fornicationem.

Ceterùm non modò fornicatio ſponſi alterius eſt circumſtantia in Confeſſione aperienda, ſed & tactus obſceni & liberiora oſcula: per hæc enim plus vel minùs frangitur fides data ſponſo, & minuitur amor eidem debitus. Nec dubium quin de iis certior factus, juſtum inde mœrorem capiat.

### *De Diſſolutione Sponſalium ex fornicatione.*

Fornicatio hic duplex; corporalis alia quâ ſponſus vel ſponſa cum alio carnale commercium habet; alia ſpiritualis, quâ alter vel altera à Fide deflectit ad hæreſim. Jam

Quæres 1mo. an fornicatio antecedens Sponſalia ad eorum diſſolutionem ſufficiat. R. Sponſalia diſſolvi poſſe propter præviam ſponſæ fornicationem, à ſponſo priùs ignoratam. An à ſponſâ propter idem ſcelus, controvertitur. Probabilius quòd non, niſi vir cum pluribus peccaverit, vel ex una habuerit prolem.

Prob. 1. pars, 1mo. quia in jure paria sunt non esse & non apparere. Proinde à contrario paria sunt, esse & apparere. Atqui crimen Sponsalia subsequens, justa est ab iisdem resiliendi causa. Ergo & crimen ea præcedens, cùm postmodùm cognoscitur. 2do. Quia sponsa cujus turpitudo tandem foras erumpit, vel fortè propter amasii infidelitatem erumpet, notabiliter vilior efficitur, juxta cõmunem Sapientum æstimationem. 3tio. Quia maritus ex connubio cum vitiatâ grave damnum subit, quatenus ex bigamiâ fit irregularis. 4to. Quia, vereri est nè quæ innupta transiliit pudoris limites, ex Matrimonii velo, quod crimen tegit, faciliùs delinquat.

Prob. 2. pars, quam contra Navarrum uti certam tenent Sanchez, Pontius, &c. 1mo. quia juxta communem hominum æstimationem, quæ in his rebus maximè attendenda est, non ità turpe est vel exitiosum feminæ, si nubat viro qui aliam priùs cognoverit. 2do. Quia sic habet usus communior; ità ut pro magno habeant, tum familia, si filius, tum uxor, si maritus à crimine tandem desistat.

At, inquies, ex dictis, paria sunt nunc esse, & nunc apparere. Atqui ob fornicationem sponsi subsequentem dissolvi possunt Sponsalia. Ergo & ob antecedentem, quæ post Sponsalia primum apparet. R. dist. Paria sunt nunc esse, & nunc apparere, quando eadem occurrit ratio, eadem & inconvenientia, sive præcedat, sive sequatur causa dissolvendi, uti est in leprâ, in morbo Neapolitano, C. Secùs N. Porrò in fornicatione viri præcedente Sponsalia, non idem est incommodum ac in subsequente. Hæc enim frangit datam in Sponsalibus fidem, & profundo dolore sponsam obruit; non illa, quæ pro infelici temporum statu facilè præsumitur.

Fatentur tamen vulgò Doctores, posse sponsam resilire, 1mo. si sponsus cum pluribus rem habuisse detegatur, ità ut prudenter conjici possit eum libidini mancipatum fore; quia hæc prudentum judicio gravem mutationem inducunt. 2do. Si licèt semel tantùm reus, prolem habuerit. Id enim Matrimonii consortium facit longè difficilius; præsertim ob prolis alimenta, & graves inter conjugatos discordias parere consuevit. Mitiùs tamen agi suaderem, si sponsus seriò resipiscens sponsam præ ceteris hanc inhians, quia verè piam, spem melioris vitæ legitimam injiceret. Neque exempla ista defuerunt.

Quæres 2do. an fornicatio Sponsalia consequens, sponsæ ut & sponso causa sit sufficiens dissolvendi Sponsalia. R. affirm. De sponso res certa est ex C. 25. *De jurej.* ubi Sponsalibus etiam juratis *talis* subintelligenda dicitur *conditio, si sponsa contra regulam desponsationis non venerit.* Idem constat de

ſponſa, tum quia in eâ non ſecùs ac in ſponſo verum eſt, quòd frangenti fidem non ſit ſervanda fides; tum quia ex peccato contra fidem recèns datam *efficiuntur* ſponſi *ſibi invicem ſuſpecti de non ſervanda fide in poſterum*, ut advertit S. Thomas.

Hæc tamen a Sponſalibus reſiliendi facultas ſoli competit innocenti, non reo, quia ex trita Juris regula, *Nemo ex delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt.* At meliorem faceret, cui propter ſcelus ſuum liceret reſilire. Quare ſi puella ſponſum infidelem ad conjugium urgeat, tenebitur obſequi, aut damnum compenſare.

Quin & liberiores amplexus, ad diſſolutionem hanc ſufficiunt, ſi à ſponsâ non illubenter permittantur; quia puella in his caſibus juſtum ſui horrorem injicit, & meritò cenſetur impudica.

Sed an poterit ſponſus reſilire, eò quia deſponſatam erga ſeipſum expertus ſit faciliorem? R. neg. tum quia non eſt violata erga ipſum fides; tum quia ſuum & ſponſæ lapſum ſibi uni debet imputare; tum quia ex eo quòd faciliùs cedat puella ei quem jam penè pro marito habet, & qui ipſi fidem juravit, peſſimè inferretur eam cum alienis æquè indulgentem futuram eſſe.

Quæres 3tio. an ſi deſponſata per vim oppreſſa fuerit, poſſit ſponſus reſilire. Affirmant penè omnes, 1mo. Quia mulier etiam vi oppreſſa longè vilior facta eſt, & gravem ſubit mutationem. 2do. Quia rarò tanta vis infertur puellæ, quin ejus ſaltèm aliqualis conſenſus accedat, debitave minor circumſpectio vel reſiſtentia. Non penitùs placeret opinio hæc, ſi conſtaret actionem hanc prorſus invalidam fuiſſe: tum quia non eſt addenda afflictæ & immeritæ afflictio nova: tum quia dubium non eſt quin in paribus circumſtantiis contrahere, opus ſit multæ charitatis. Non auſim tamen ſponſum ad hujuſmodi nuptias impendiò urgere; quia nec hunc urgeri ferunt Canones nec facilè abjici poteſt horror ex mulieris oppreſſæ ideâ quaſi naturaliter erumpens; neque tunc ob culpam repudiatur ſponſa, ſed ob notabilem quæ in eâ facta eſt mutationem.

Quæres. 4to. an ſi ſponſus & ſponſa utrinque peccent, detur compenſatio delicti. R. probabiliùs tunc licitum eſſe ſponſo reſilire, non autem ſponſæ, 1mo. quia ea ſolùm delicta mutua compenſatione tolluntur, quæ paria ſunt. Atqui ex communi æſtimatione non eſt par, ſed longè gravior puellæ, quàm viri, fornicatio. 2do. Quia ea ſuſpicionem & metum ingerit damni longè majoris. Etſi enim funeſtos habet exitus incontinentia viri, at longè funeſtiores habet ſponſæ incontinentia

nentia, quæ spurium in hæreditatis partem cum legitimis filiis advocat.

Quæres. 5to. an propter apostasiam, vel hæresim partis alterius dissolvi possint Sponsalia. R. affirm. quia gravis mutatio superveniens sufficit ad dirimenda Sponsalia. Atqui gravior nulla fingi potest mutatio, quàm quæ ex hæresi vel idololatriâ nascitur, ut benè Pontas, qui idem docet de Magiâ & de Arte sortiatiâ: & hæc est unanimis Doctorum sententia.

## *An & quomodò dissolvantur Sponsalia ex Partium dissensu vel reclamatione?*

Quæres. 1mo. an utriusque Partis consensus ad Sponsalium dissolutionem sufficiat. R. 1mo. sufficere utriusque Partis, modò puberis, consensum liberum, licèt citra causam resiliant: quia per quascumque causas res nascitur, per easdem, & dissolvi potest. Cavendum tamen nè sinè causâ resiliatur; cùm id levitatis indicium sit, & seges oblocutionum, quæ semper à Christianis vitari debent: Quanquam satiùs est resilire, dum licet per tempus; quàm pœnitenda conjugia inire. Generatim autem loquendo in hoc casu opus non est Judicis sententia, nisi hanc requirat locorum consuetudo.

Dixi 1mo. *modò puberis*, quia ex C. 7. *De desponf. impub. Impuberes, si antequam ad annos Matrimonio aptos pervenerint, postulent separari, non sunt ullatenus audiendi*, nè inconstans ætas consilium mutet frequentiùs. Quin si carnaliter coierint, non datur locus resiliendi; quia qui potest coire, in jure non reputatur impubes.

Dixi 2do. *consensum liberum*, proinde à dolo & metu utrinque immunem: quia obligationis remissio est species donationis, quæ libera esse debet. Unde non est in conscientiâ tutus qui sponsæ consensum extorquet per minas.

Quæres 2do, quibus de causis Pars altera resilire possit. R. ad id sufficere mutationem rerum notabilem, quæ si à principio extitisset, vel fuisset cognita, Partem alteram deterruisset ab ineundis Sponsalibus, aut quæ Matrimonium longè difficilius & magis injucundum efficiat. Ratio est quia sponsi non aliter Matrimonium sibi pollicentur, quàm sub hac tacitâ conditione: *Si non emerserit notabilis mutatio;* prout traditur C. 25. *De jurejur.*

Hæc regula locum habet, 1mo. in Sponsalibus etiam juratis, ut patet tum ex C. mox adducto; tum quia juramentum includit conditiones omnes contractûs cui adjicitur: 2do. quamvis

vis sponsi Matrimonium voverint, quia verebantur nè in cœlibatu minùs pudicè viverent. Votum enim in gratiam hominis redundans non acceptat Deus, nisi in quantum acceptat homo; 3tio. licèt intervenerit copula, hæc enim per se nullam vim adjicit Sponsalibus; quanquam efficit ut non ità facilè sit resiliendum: 4to. etiamsi notabilis illa mutatio contigerit, postquam sponsus fuit in morâ contrahendi Matrimonii. Unde qui intra annum Mœviam ducere tenebatur, & biennio toto nuptias distulit, eandem, si post pactum tempus fornicata sit, ducere non tenetur; etsi ad compensanda, quæ moram hanc subsecuta sunt damna, obligetur.

Porrò mutatio contingere potest in bonis animi, vel corporis, vel fortunæ.

Contingit mutatio in bonis animi, 1mo. ratione erroris, aut Professionis impiæ; ut si sponsus hæresim amplectatur, si magicis Artibus se dedat, &c. 2do. Ratione infamiæ juris vel facti, ut si deprehendatur in furto, aut gravis criminis à publicâ voce accusetur; si scortator, aleæ mancipatus, ferox moribus, prolis spuriæ parens, vel ipse spurius esse detegatur; si scenicus Actor evaserit; si puella quæ honestis moribus credebatur, corrupta audiat: Imò, juxta plures, si vidua sit, quæ virgo habebatur. 3tio. Cùm parentes inter nascuntur rixæ & jurgia; cùm sponsus cor à sponsa penitùs alienum induit; ita ut vix quidquam præter funestos successus è Matrimonio sperare liceat.

Etsi autem sponsis in hoc statu constitutis exponere debet Director quam periculosum sit mutare fidem liberè datam, & ab Ecclesia acceptatam; si tamen advertat mentem à promisso conjugio ità alienam, ut flecti nequeat, absolutionis beneficium iis largiri non gravabitur; quia prudenter timebit nè Matrimonium istud infaustos sortiatur exitus. Quin & sæpè minùs delinquunt sponsi quàm parentes, qui Sponsionibus authoritate suâ firmatis, filios stare non patiuntur, quia fortè ditior offertur puella, & cognatione illustrior; cùm tamen nec istas exceptiones admittant Sponsalia, nec eas approbet Ecclesia.

Mutatio contingit in bonis corporis per gravem quæ alterutri supervenit deformitatem, vel habitualem morbum, secundùm id C. 25. *De jurej. Si post hujusmodi juramentum* Sponsalia confirmans, *mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, seu quidpiam ei turpius eveniret, numquid vir teneretur eam ducere in uxorem?* Quod de lepra, idem dicendum de oris graveolentiâ quæ sanari nequit; de herniâ, quæ necessarios ad victum labores non compatitur, de morbo comitiali, vel Gallico. Item si sponsa ab oris venustate exciderit; præsertim si sponsus ex personæ

elegantia

elegantiâ mediocritatem fortunæ ejus compensare intenderet etsi enim optandum est, ut virtutem ceteris omnibus præferant sponsi, vereri est tamen, nè compars horrore de sponsâ concepto, in alienis feminis inquirat, quod in sua non inveniet.

Mutatio suboritur in bonis fortunæ; 1mo. cum sponsa pactam dotem afferre nequit: imò si dos fuerit Sponsalium conditio, illâ deficiente, & hæc simul deficient. 2do. Cùm sponsus, etiam sinè culpâ vergit in gravem inopiam, aut jacturam bonorum gravissimam subit. 3tio. Cùm parentes exhæredationem seriò comminantur, aut Officii privationem. Hîc autem multâ ex parte Confessariorum opus est cautelâ, præsertim cùm nec disparis sunt prosapiæ, nec multùm disparis fortunæ sponsi. Duo enim constant: 1mo. quòd non sit licitum parentibus æqua filiorum conjugia prohibere: 2do. quòd sæpè graves injiciantur minæ, quæ paulatim concidunt.

Tria hîc inquiruntur: 1mo. quid juris, si dum sponsa suo in statu permanet, insigniter ex inopina hæreditate creverit fortuna sponsi. 2do. an detur compensatio paupertatis unius cum alterius paupertate, ità ut si ambo è fortunâ commodâ ad inopiam gravem devenerint, neutri resilire licitum sit. 3tio. An sponsus resilire possit, eò quòd sponsa non afferat dotem si hujus nulla in contractu mentio facta fuerit.

R. ad 1. Si par sit utriusque sponsi conditio, & unius fortuna, licèt jam alterius sortem superet, non tamen stupendo intervallo; tunc equidem hortarer, quin & certum usque ad gradum urgerem staret ut promissis: at ubi mentem ejus immotam manere conspicerem, recordarer istud Lucii III. c. 17. *De Sponsal. Cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere, monendus est potiùs quàm cogendus.* Interim & hîc certum compensationis modum præscriberem, sed non privarem absolutionis beneficio; quod & monet Pontas.

Ad 2. docet communior opinio tunc temporis licitum esse utrique resilire: quia per utriusque inopiam longè durius redditur Matrimonii jugum, quàm si eorum alter in calamitatem solus inciderit. Ergo cùm unius paupertas ad dissolvenda Sponsalia sufficiat, utriusque sufficere debet. Si tamen alter æquè pauperem ducere velit, jam primæ, cui per Sponsalia fidem dedit, adhærere tenebitur.

Ad 3. vel sponsa pro paupere habebatur à sponso, vel non. Si I. non potest ob dotis defectum resilire, qui dotem non expectabat. Si II. potest; quia in omni nuptiali pactione includitur dotis promissio, etiam non expressæ, nisi aliud locali lege sancitum sit.

Quæres

Quæres 3tio. an extra propositos casus contra Sponsalia reclamare liceat. R. affirm. Potest enim una pars reniti, 1mo. cùm contraxit ex metu gravi; 2do. cùm contraxit ex dolo dante causam contractui; seu cum contrahendo ità erat affecta, ut si novisset hunc vel illum Partis alterius defectum, minimè fuisset contractura. Quòd si dubites qualiter, dum contraxisti, affectus fueris, in tui gratiam judicare potes, quando causa adeo gravis est, ut ejusdem tecum conditionis homines à Matrimonio retrahere soleat. Secùs si levis sit, nec ad resiliendum inducere solita. Quòd si quis post cognitam resiliendi causam Sponsalia ratificet, seu verbis, seu factis, & præcipuè per copulam, jam ea rescindere non potest, quia juri suo renuntiasse censetur, ut & conjux qui adulteræ conjugi debitum scienter reddit. Secùs, si copulam habeat dissolutis jam Sponsalibus, quia jus extinctum non ratihabetur.

*An Sponsalia per discessionem, vel moram alterius Partis dissolvi possint?*

Quidquid de sponso dicemus, de sponsâ intelligendum, quia correlativorum eadem est ratio.

R. ad 1. Si sponsus sinè sponsæ assensu domicilium in aliam civitatem transferat, vel in regionem dissitam commigret, potest sponsa fidem alii dare, nisi spes subsit eum brevi reversurum esse. Ità Alexander III. c. 5. *De sponsal.* Et verò sponsus sponsam proprio marte dimittens, & aliò, seu intra seu extra Provinciam transmigrans, censetur amicitiam illius aspernari, proinde suo in illam juri renuntiare.

Hæc responsio vera est, 1mo. cùm etiam sponsus animum habet revertendi, sed nonnisi post multum tempus; tum quia dum sponsa tandiu & in incertum expectabit, excidere potest commodi Matrimonii occasio, quæ nunquam renascetur; tum quia incontinentiæ periculum iis semper gravius incumbit, qui mentem proximi Matrimonii spe & ideis refertam habent. 2do. cùm sponsus vel ex causâ necessariâ, vel ex causâ voluntaria, sed utili, diutiùs abesse cogitur. Ratio est 1mo. quia Jus Canonicum illimitatè loquitur; 2do. quia huc redeunt rationes mox adductæ; 3tio quia gravis hic suboritur mutatio, quæ ex dictis ad solvenda Sponsalia sufficit; 4to. quia non meretur diutiùs expectari, qui nequidem dignatus est sponsam de discessu suo, vel diuturnâ morâ præmonere.

Dixi, *nisi sperare sit eum brevi rediturum esse*; tunc enim vel expectandus est, vel illi præfigendum tempus, ultra quod si permaneat, sponsa sibi providebit, seu per se solam; quod sem-

per consultius est, per Ecclesiasticum Judicem, qui omnia penset; & nisi resistant circumstantiæ personæ, supponat eam, licèt de hoc nihil loquatur, in multo incontinentiæ periculo versari.

Ut solvatur secunda difficultas, notand. Sponsalia contrahi posse, vel sinè, vel cum determinatione temporis. Potest autem tempus præfigi, 1mo. non ad finiendam, sed tantùm ad differendam, huc usque obligationem Matrimonii, ità ut neutra Pars ante illud tempus ad contrahendum Matrimonium obligetur, at cogatur eodem elapso. 2do. Ad finiendam obligationem; ità ut si antè certúm tempus, putà diem Junii quintam, non contrahatur Matrimonium, liceat utrique Parti resilire.

R. 1mo. Si Sponsalia absque termini præfixione contracta sint neutrâ ex Parte dissolvuntur per communem lapsum temporis. Si verò una Pars Sponsalium executionem urgeat, ei, alterâ recusante, liberum est confestim resilire, non tamen Parti quæ est in morâ.

Prob. 1. pars, quia Sponsalia sinè temporis designatione contracta vim suam in omne tempus, modò non extraordinarium, conservant.

Si tamen Pars una, sponsus præsertim, nimiùm differat, non erit à peccato immunis. Imò si sit in morâ longiori censebitur juri suo renuntiare. Sanè mora etiam inculpata, sed prolixior, duplici sponsam periculo exponit, incontinentiæ scilicet, & perdendæ nubendi occasionis. In his casibus certum ac definitum Parti tardæ tempus constitui debet, quo elapso, jam non obligent Sponsalia. In Galliâ nullam sponsionis uno anno antiquioris rationem habent Officiales; cùm Pars quæ in morâ est, nec alteram invisit, si præsens erat; nec ad eam si absens, rescripsit.

Prob. 2. pars, quia qui, cùm potest, non stat promissis, quæ quamprimùm moraliter implere debet, iis renuntiare censetur. Ergo tacitè ad minùs permittit alteri, ut sibi per alium contractum provideat. Non tamen idem ex parte suâ potest; quia mora sua cuique, non autem alii nociva est; & aliunde lucrum reportaret ex dolo in his casibus facili.

R. 2do. Si certum tempus Sponsalibus constitutum sit, non ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandam executionem, Sponsalia non dissolvuntur ejusdem temporis lapsu. Si tamen Pars altera nimiùm differat, cessat, non quidem ex ejus parte, sed ex parte alterius, obligatio.

Prob. 1. pars, quia in tali casu duplex est obligatio, altera adimplendi promissum, altera tali tempore adimplendi. Atqui ubi duplex erat obligatio, non desinit una, quia neglecta est altera.

Prob.

Prob. 2. pars, quia qui nimiùm eſt in morâ, non ſolum juri ſuo renuntiare cenſetur, ſed & incipit frangere fidem, ad quam implendam ab ipſo temporis adventu ſollicitabatur. Unde tunc minor requiritur mora, quàm in caſibus in reſponſione primâ adductis.

Prob. 3. pars: cui enim frangitur fides, is ad ſervandam fidem etiam juramento confirmatam, minimè adſtringitur. Non tamen id alteri licitum eſt; quia nemini mora ſua prodeſſe debet, nè plerumque & ei proſit dolus.

R. 3tio. Si tempus præfixum ſit ad finiendam obligationem, eo tranſacto licitum eſt reſilire ei per quem non ſtat quominùs conjugium celebretur; non autem ei qui eſt in morâ.

Prob. 1. pars, quia ubi contractus ſic initus eſt, ut liberum fieret poſt certum tempus reſilire, non peccat qui jure ſuo utendo reſilit.

Prob. 2. pars, quia qui in morâ eſt, è delicto ſuo commodum reportare non debet. Ergo ſi urgeat Pars altera, debet datam fidem ſervare.

An autem liceat etiam reſilire, ſi mora ſponſi ſit planè inculpabilis, non convenit inter Theologos. Res è circumſtantiis definienda videtur. Ecquis ſponſam à promiſſione reſilire ferat quia ſponſus, quâ die nubendum erat, patrem morientem inviſit? Quis ſponſum non indignetur aliò vota ferre, quia ſponſa matrem, ut ceremoniæ nuptiali interſit, ad dies quatuor, vel quinque expectat? Ut minimùm igitur conſulendus foret in his caſibus eccleſiaſticus Judex, qui ſi ſapit, non continuò acquieſcet, niſi ſentiat ſponſos mentem gerere à ſe invicem averſam & ideò datam reſiliendi occaſionem vel prætextum avidè arripere.

### *An Sponſalia per Religionis ingreſſum, ſuſceptionem Ordinis, &c. diſſolvantur.*

Conſtat Sponſalia per Religioſam profeſſionem dirimi; cum hæc rata etiam conjugia dirimat. At dubium eſt an per ſolam religioſi habitûs ſuſceptionem dirimantur. Credimus porrò ea tunc dirimi ex parte illius qui in ſeculo remanet; non verò ex parte illius qui Religionem ingreſſus eſt; ità ut ſi non profiteatur, debeat, petente altero, datam fidem ſervare: eo modo quo per fornicationem dirimuntur Sponſalia ex parte innocentis, non autem ex delinquentis parte.

Prob. 1. pars, 1mo. quia Novitiatum ingrediens, palàm declarat ſe juri ſuo renuntiare. 2do. Quia Religionis ſuſceptio & deſertio, non minimam, judicio Sapientum, mutationem in perſonam

personam invehit. Neque enim decorum est feminæ, si Monacho, ut aiunt, exuto nubat; vel viro, si ducat Monialem.

Prob. 2. pars, 1mo. quia jus plenam Sponsalium dissolutionem soli Professioni tribuit. 2do. Quia Leges sic institui debent, ut non pateat fraudi aditus: pateret autem in hypothesi contrariâ; cùm cuique ut à Sponsalium jugo liber efficeretur, satis foret Religionis habitum induere, paulò post egredi, & cui vellet, nubere.

Quod ad Ordines spectat, tria certa sunt: 1mo. non solvi Sponsalia ex parte viri per Minorum Ordinum susceptionem; tum quia id nullo jure cautum est; tum quia facilitas suscipientum di Minores, qui non ligant, facilem dolo aditum recluderet. 2do. Posse tamen sponsam, si sponsus ipsâ invitâ vel nesciâ suscepit Minores, à sponsalibus resilire; tum quia qui Minores suscipit, censetur, ut fieri solet, tendere ad Majores, sicque statum Matrimonio repugnantem prosequi; tum quia magnam exhibet levitatem, proindè notabiliter mutatur sponsus qui post Sponsalia suscipit Minores, & post Minores ad Sponsalia regreditur. 3tio. Ordinum Majorum receptionem dirimere Sponsalia; quia Ordines sacri ad continentiam obligant: unde Trid. Sess. 24. Can. 9. *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos ... posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse ... Anathema sit.*

Quæres an Sponsalia dirimantur per simplex sacros Ordines recipiendi votum. Idem est de voto ingrediendi in Religionem. Negant multi, & hæc vota pro invalidis habent; 1mo. quia vergunt in præjudicium tertii; proinde à Deo non acceptantur; 2do. Quia Joannes XXII. Extrav. unic. *De voto.* præcipit ut qui post Matrimonium ratum sed non consummatum, sacris initiatus est citra sponsæ assensum, cùm eâ maritaliter vivere compellatur, si ipsa exigat. Sed qui jubet Subdiaconum redire ad uxorem, non pateretur sponsam ex castitatis vel Ordinis voto dimitti. 3tio. Quia id à contractibus arcendum, per quod eorum obligatio elidi facillimè possit. Quid autem facilius sponsis, quos initi fœderis jam piget, quàm castitatem vel susceptionem Ordinum vovere; præsertim cùm præparatio ad Ordines multùm temporis requirat, & ab iis arceri possit qui arceri volet, seu ex verâ vel fictâ ignorantiâ, seu ex morum levitate, &c.

Affirmant alii, quia in Sponsalibus, subintelligitur conditio hæc: *Nisi contingat notabilis mutatio vitæ in melius.* Atqui vovens castitatem mutatur in melius. Ergo, ait Sylvius: *Si vovens trahatur in judicium, debet absolvi, & si condemnaretur, non esset in conscientia obligatus parere.*

Prima opinio vero propior videtur, & gravioribus fulta argumentis. Utramque sequerer in praxi, sed diversimodè. Primam in foro exteriori, quod Officialium est, nè per hujusmodi vota fraudi via panderetur, nisi aliò traherer ex specialibus circumstantiis; ut si sponsus repentino complicis casu percussus, totum se dedat pœnitentiæ. Secundam sequerer in conscientiæ foro, proinde ad nuptias non urgerem eum qui post Sponsalia sese interiori Dei voce ad castitatem, vel sacros Ordines quadantenus trahi, non ore solùm profitetur, sed & factis comprobare incipit. Verùm non posset is, inconsulto Episcopo ordinari. Quia toto Tit. *De obligatis ad ratiocinia non ordinandis*, prohibetur nè quis obligatione aliquâ adstrictus, in alterius præjudicium ordinetur. Ceterùm, quævis eligatur opinio, constat Partem quæ voti emissi conscia non fuit, liberam manere à Sponsalibus; quia qui quantùm de se est statum cum Matrimonii vulgato statu incompossibilem amplectitur, juri suo renuntiat. Poterit hæc quidem ex priori sententiâ urgere Sponsalium executionem. At nusquam author ero ut multùm urgeat, nè trahat ad nuptias reluctantem, vel Deo ad aliud vocanti repugnet.

*An priora Sponsalia solvantur per posteriora, &c.*

Certum est Sponsalia jam non dirimi per posteriora sola, quia fides posteriùs data in præjudicium prioris planè irrita est. Si tamen Sponsalibus secundis accedat coitus cum consanguineâ in primo gradu prioris sponsæ, neutra duci poterit. Non prior, propter impedimentum affinitatis ex copulâ tali consurgens: non posterior, ratione publicæ honestatis, quæ ex prioribus Sponsalibus validis orta est.

At dubitatur 1mo. an, si priora Sponsalia dissolvantur, v. g. per prioris sponsæ mortem, teneatur sponsus posteriora exequi. 2do. An si idem cum secundâ sponsâ peccaverit, eam ducere teneatur, saltem ratione damni ceteroqui irreparabilis. 3tio. Quid juris si posteriora Sponsalia, non itèm priora, juramento confirmata sint.

Dico 1mo. qui posteriora Sponsalia contraxit, his post priorum dissolutionem non tenetur. Ratio est 1mo. quia secunda Sponsalia nequidem valuere in genere promissionis; quia promissio hæc erat rei illicitæ. Porrò *non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.* 2do. Quia qui voto ligatus Sponsalia contraxit, non tenetur ad ea, quamvis posthac dispensetur à voto; quia nempè Sponsalia hæc ab initio nulla fuerunt propter impedimentum prohibens. Atqui pariter in nostro

casu

casu posteriora Sponsalia ratione impedimenti priorum irrita fuere. 3tio. Quia promissio facta tempore inhabili non obligat tempore habili: unde si Religionem profiteatur conjugatus, non tenetur, mortuâ uxore ad Religionem reverti.

Imò nec sponsus posteriorem sponsam ducere tenebitur, etsi prior spontè, vel ex putatitiâ charitatis obligatione, jure suo in ejus gratiam cedat. Quia quod de Jure nullum est, nullam parit obligationem. Unde qui ante ætatem professus est invalidè, adeptâ ætate, non tenetur denuò profiteri. Si quæ igitur hic subsit secundi conjugii obligatio, hæc ex necessitate scandali vitandi, vel damnum illatum resarciendi exurget.

Dico 2do. Qui posteriorem sponsam corrupit, non tenetur eam, si priorum Sponsalium conscia erat, ducere: Si verò hæc nesciebat, tenetur aliquando ex charitate eam ducere, si sponsa prior jure suo cedat. An autem hæc jure suo cedere teneatur, judicandum ex circumstantiis.

Prob. 1. pars, 1mo. ex unanimi Doctorum consensu. 2do. Quia jus prioris sponsæ non potuit auferri per injuriam quam ei intulit posterior. 3tio. Quia quæ priora Sponsalia sciebat, deceptrix fuit potius, quàm decepta, unde quod patitur damnum, sibi soli imputare debet.

Prob. secunda pars, simul & tertia. Ut sponsus posteriorem sponsam aliquando ducere teneatur, ex prioris sponsæ consensu, & hæc quandoque in id jure suo cedere debeat; sufficit ut utrumque hoc quandoque exigat misericordia, & virtutum regina, charitas. Atqui res ità se habet pluribus in circumstantiis. Sit enim puella nequaquam nata crimini quæ à novercâ tractata inhumaniter, & incerta quò pedem figat, tradiderit se amico, qui per se vel per lenam renitenti tandem persuaserit coitum solam esse viam, quâ utraque familia ad consentiendum Matrimonio adduci possit, solam prohinc quæ puellæ calamitati modum imponat; annon miseratione quâdam digna est quæ dolo iis in casibus cessit? Supponatur rursum priorem sponsam à pluribus inquiri ad nuptias; posteriorem verò, nisi à corruptore ducatur, à totâ familiâ deserendam esse, ità ut se crimini dedere obligetur; itèm æterna inter utramque stirpem oritura esse jurgia; fortassis etiam sponsæ vel ipsius sponsi mortem, &c. annon exigit charitas ut sponsa prior cum mediocri sui detrimento, fortè etiam lucro, jure suo cedat, mala ut hæc tanta avertat? Annon hic clamat ea Evangelii regula: *Quodcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Annon legi huic, uno ante mortem instanti paruisse velit? Esto igitur amasium suum jure stricto spon-

sæ posteriori dimittere non teneatur; at, nisi fallor, jure charitatis hisce in circumstantiis dimittere tenetur.

Ceterùm hæc responsionis nostræ moderatio non proderit puellis pluribus: quia earum pleræque non tam decipiuntur à proco, quàm à propriâ libidine. Unde his non ità indulgendum ut legitimam sponsam à jure acquisito dimoveant: quin & quandòque exigit charitas, ut iniquitatis suæ pondus ferant, in aliarum terrorem.

Dico 3tio. Sponsalia juramento minimè vestita non dissolvuntur per posteriora etiam jurata, nisi, cum hæc contracta sunt, justa subesset causa resiliendi à prioribus.

Prob. 1. pars, quia juramentum illud, utpotè in præjudicium tertii, fuit de re iniquâ, adeòque contra bonos mores. Atqui juramentum nec iniquitatis vinculum esse potest, nec *contra bonos mores obligare*, R. 58. in 6. Hæc tamen Sponsalia ex parte illius cui prior fides data erat, caduca sunt, cùm sibi fidem frangenti, fidem non debeat.

Prob. 2. pars, quia si sponsus justam habebat à fide priùs datâ resiliendi causam, potuit vota aliò convertere. Ergo valent secunda quæ contraxit Sponsalia.

Circa Matrimonium quæritur an semper & absolutè dissolvat priora Sponsalia; ità ut contrahens liber sit à ducendâ priori sponsa, si conjux ipsius moriatur, &c.

R. 1mo. Matrimonium priora Sponsalia dissolvit, si validè contrahatur. Si autem invalidè, dissolvit ex parte illius qui deseritur.

Prob. 1. pars, tum ex Gregorio IX. C. 13. *De Sponsalib.* tum quia Matrimonium etiam ratum, est vinculum quâcumque simplici desponsatione fortius: Hæc enim solum jus ad rem tribuit, illud jus in re. Gravissimè tamen peccat qui post Sponsalia cum unâ, aliam ducit.

Prob. 2. pars, quia *non præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum.*

Prob. 3. pars, quia sponsus, cùm alii etiam invalidè jungitur, à desponsata, quantùm in se est, animo & corpore recedit.

R. 2do. Probabilius esse priora Sponsalia non omninò solvi ex parte contrahentis Matrimonium, sed solùm suspendi, quandiu manet idem Matrimonium.

Prob. Si Matrimonium istud priora dissolvat Sponsalia; vel ex Jure positivo, vel ex Jure naturali. Atqui neutrum dici potest. Non 1. ut patebit ex objectionum solutione. Non 2. sed è contra: Jus enim naturale eum qui justitiæ obligationem contraxit, tandiu ligat, donec eam certis in circumstantiis adimplere possit; licèt hic & nunc subsit obex obligationi actu

adimplendæ. Sic quæ nubit ligata voto castitatis, etsi ab ejus executione, plus minùsve immunis sit dum vivit conjux, ad illud implendum post mortem conjugis obligatur. Sed qui aliam desponsavit, cum eâ contraxit obligationem justitiæ. Ergo, licèt ei, vivente uxore, facere satis non possit, eâdem manet ligatus, & ubi se dederit occasio, adimplere tenetur. 2do. Si quis rem duobus venditam tradidit emptori secundo, potior est quidem hujus conditio, sed prioris jus non est omninò extinctum: unde si res ad vendentem redeat, hanc primo emptori tradere tenebitur. Ergo idem de sponsæ prioris jure sentiendum. Et verò iniquum est, ut quis ex fide violatâ commodum referat: referret autem, si à priori suo debito liber prorsus efficeretur. Si tamen hæc juri suo, verbo vel opere renuntiavit, putà alii nubendo, nihil jam in priorem sponsum juris habet.

Obj. 1mo. obligatio semel extincta non reviviscit, ex C. 129. dist. 4. *De consecr.* Atqui priorum Sponsalium obligatio per initum cum alia Matrimonium tollitur; ut constat ex C. 31. *De Sponsal.* R. dist. min. Tollitur ex parte sponsæ repudiatæ, quæ alii nubere potest, C. ex parte utriusque, N. Jura enim tantùm dicunt Sponsalia de præsenti, non obstantibus primis cum aliâ de futuro contractis, valere, nec proinde separandos esse conjuges; quod nemo in dubium vocat: At nullatenùs dicunt priora Sponsalia omninò extingui.

Obj. 2do. Ex duobus vinculis rationis ejusdem, minùs forte per fortius omninò extinguitur. Sic v. g. actualis in Ordine laxiori professio penitùs extinguit votum simplex priùs editum ingrediendi Religionem arctiorem. Atqui obligatio Sponsalium, minùs fortis est quàm actuale conjugii vinculum. R. neg. maj. Ut enim sua vinculo fortiori tota vis conservetur, sufficit, ut quandiu subsistet, suspendat vinculum minùs forte; non autem necesse est ut illud prorsus dissolvat. Imò æquum est ut unicuique vinculo suum robur permaneat. Nec nocet comparatio è Professione in largiori Monasterio petita; quia Ecclesia, divinæ voluntatis interpres, judicat professionem, qua quis se Deo, licèt minùs perfectè, tradit, eidem esse magis acceptam, quàm promissionem se se ei tradendi perfectiùs in posterum: idque eò magis æquum est, quòd promissionis hujus dispensatio satis facilè obtineri possit, non autem Professionis ipsius. Contra verò non judicat Ecclesia Matrimonium cum secundâ perfidè initum, sic placere Deo, ut jam nihil prorsus debeatur priori sponsæ. Ergo non valet hæc voti & Professionis comparatio cum Sponsalibus & nuptiis. Erit hæc longè felicior: Votum ingrediendæ Religionis non dissolvitur,

ſed tantùm ſuſpenditur per Matrimonium; unde mortuâ uxore tenetur vovens ingredi Religionem. Ergo nec diſſolvuntur priora de futuro Sponſalia per poſteriora de præſenti, ſed tantùm ſuſpenduntur.

*De ceteris Sponſalia diſſolvendi cauſis.*

Quæres 1mo. an Sponſalia diſſolvantur ob ſuperveniens Juris impedimentum. R. diſſolvi ſi impedimentum ſit dirimens, putà ex affinitate illicitâ. Ratio eſt: quia jam inter eos Matrimonium conſiſtere non poteſt.

Attamen tenetur is cujus culpâ impedimentum contractum eſt, diſpenſationem, ſi id exigat pars innocens, poſtulare, non modò ratione illati damni; ut cùm virginem, vel honeſtam viduam ſub ſpe Matrimonii corrupit, aut utrique imminet boni quod habent nominis jactura; ſed præciſo etiam Partis alterius damno, & eò ſolùm quod injuſta fuit impedimenti cauſa, 1mo. quia qui culpâ ſuâ ponit Matrimonii impedimentum, graviter violat jus alterius. Ergo jus illud reſarcire debet, ſi poteſt. Atqui poteſt per diſpenſationem. 2do. Quia nemo ex iniquitate ſuâ commodum referre debet, & facilitatem habere per ſcelus deficiendi à fide datâ. Utrumque autem contingeret, ſi quis impedimentum apponendo Sponſalibus, ab iis omninò ſolveretur.

Quæres 2do. an diffamatio alterius ſponſi, ſeu à ſponſo ipſo, ſeu à voce publicâ, ſit æqua ratio à Sponſalibus reſiliendi R. affirm. Unde ſi palam falsò aut verè jactet ſe ſponſus quòd cum deſponſatâ concubuerit, poterit hæc virum impudentem, vel imprudentiorem, dimittere. Idem erit ſi fama publica renuntiet ſponſum alterum impedimento dirimenti adſtrictum eſſe, prout docent SS. Thomas, Raymundus & Antonin. Favet id Urbani III. C. 2. *De conſang.* &c. *Si manifeſtum eſt juvenem cognoviſſe propinquam puellæ* à ſe deſponſatæ, *vel ſi non eſt manifeſtum, fama tamen loci hoc habet ... ab impetitione ejus debet abſolvi.* Cavendum tamen nè vagi, incerti, & malevolo animo ſparſi rumores pro famâ publicâ habeantur. Vix enim ullum in certis locis conſiſtet Matrimonium, ſi rumoribus, vel potiùs calumniis improbæ plebeculæ fides habeatur.

Quæres 3tio. an timor ſcandali vel mali exitûs ſit ratio diſſolvendi Sponſalia. R. affirm. modò timor ille ſit benè fundatus. Ratio eſt quia contrahere Matrimonium cum gravi ſcandalo, eſt culpa letalis; cum hinc notabiliter lædatur charitas proximi, parentum pietas, conſanguineorum amicitia.

Quæres

Quæres 4to. an ad id etiam sufficiat contradictio paterna. R. affirm. verùm peccat indubiè pater, cùm æquis Sponsalibus citra legitimam causam obsistit.

Quæres 5to. an Sponsalia necessariò debeant solvi authoritate Judicis.

R. 1mo. Non est opus Judicis sententiâ, cum nova Sponsalibus accidit causa, vel detegitur præcedens, quæ ipso facto irritet Sponsalia, putà cùm sponsorum alter Matrimonium init cum aliâ, aut Religionem profitetur. Prob. Quia tunc Matrimonium est impossibile, & neutra Pars ad illud obligari potest.

R. 2do. Cùm Sponsalia clandestinè inita sunt, & impedimentum superveniens jus tribuit ad resiliendum, potest qui jus illud habet, sinè Judicis assensu resilire, cùm resiliendi causa ex testibus, famâ, vel experientiâ moraliter certa est. Prob. tum quia potest quisque jure suo uti; is præcipuè qui eâ solùm conditione contraxit, ut positâ tali causâ liceret sibi resilire: tum quia Ecclesia non habet jurisdictionem in casus occultos, ut sunt Sponsalia clanculùm celebrata.

R. 3tio. Cùm Sponsalia publica sunt, licet ex naturâ rei sponsis propriâ authoritate resilire, si publica sit resiliendi causa. Prob. quia hæc Sponsalibus inerat conditio, ut tali in casu liceret resilire. Aliunde ubi resiliendi causa, certa est, tam de Jure in quo continetur, quàm de facto, quia publicè data est, nihil impendet scandali; sed quidquid dabit resiliens, passivum erit.

Dixi, *ex natura rei.* Variis enim in Diœcesibus constitutum est ut Sponsalia, nè ipso quidem Partium consensu, absque Judicis sententiâ, dissolvi possint, ut Gratianopoli, Carnuti, &c.

R. 4to. Si causa dissolutionis dubia est; seu de jure, quia dubitent eruditi an sufficiat; seu de facto, quia de ipsius existentiâ non constet, peccat letaliter qui motu proprio, & sinè Judicis sententiâ, resilit. Ratio est quia qui alium jure sibi acquisito spoliat in dubio, probabili se injustitiæ periculo exponit, ut per se liquet. Adde quòd in propriâ causa, eâque dubiâ Judicem se ferat. Si verò Judex ipse dubitet, non potest eâdem de causa contra alium sententiam ferre; præsertim quia in dubio melior est conditio possidentis.

R. 5to. Judex cujus authoritate solvi debent Sponsalia, solus is est, qui in exteriori Ecclesiæ foro jurisdictionem habet ordinariam vel delegatam. Prob. quia Sponsalium dissolutio, ut ad Sacramentum relativa, materia est spiritualis; ut verò clamosè utrinque agitanda, forum exterius requirit. Hinc Parochus nè quidem ex mutuo Partium consensu Sponsalia dissolvere po-

teſt in Diœceſibus quæ ad eorum ſolutionem Judicis arbitrium requirunt.

### §. II. *De Bannorum Promulgatione.*

Bannorum proclamatio, vel potiùs Bannum, eſt denuntiatio futuri inter tales perſonas Matrimonii, coram frequenti Populo facta, ut qui aliquod impedimentum inter eas cognoverit, illud Parocho vel alii quamprimùm declaret. Sed & intendit Eccleſia ut Fideles de futuro conjugio præmoniti in ſponſos ſupernam benedictionem precibus ſuis alliciant. Et ad id Chriſtiana Plebs à Paſtoribus debet invitari.

Quæres. 1mo. Qui Bannorum legi ſubjaceant. R. omnes *cujuſcumque ſtatûs, qualitatis & conditionis exiſtant*, Eximuntur tamen ſummi Principes, quia eorum genus omnibus notum eſt.

Quæres 2do. quæ ſit hujuſmodi denuntiationum neceſſitas. R. 1mo. eas eſſe graviter neceſſarias, neceſſitate, præcepti Eccleſiaſtici, patet ex Trid. Seſſ. 25. de reform. Matrim. C. 1. ubi *præcipit* ſancta Synodus, *ut antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum Solemnia publicè denuntietur inter quos Matrimonium ſit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur.*

R. 2do. Banna non ſunt de neceſſitate Sacramenti. 1mo. quia de iis nè verbum quidem eſt in Scripturâ. 2do. Quæ proclamationem Bannorum præſcribunt Concilia, nullibi omiſſioni ejus clauſulam irritantem adjunxerunt.

Quæres 3tio. annon poſſit Parochus, urgente Adventûs tempore, & impoſſibili ad Epiſcopum diſtantem recurſu, Banni unius promulgationem prætermittere. R. Non poteſt, quia id ei nullâ authoritate conceditur. Nec dubium, quin ſi id auſit, in eccleſiaſticis Curiis ſeverè plectatur.

Quæres 4to. quo tempore Banna promulgari debeant. R. hæc juxta Trid. *tribus continuis diebus feſtivis* denuntianda eſſe, & quidem ob majorem Populi concurſum *inter Miſſarum Solemnia.*

Circa hæc notand. 1mo. verba hæc, *tribus continuis diebus*, non ſic accipienda eſſe, ut Banna tribus quæ proximè ſe contingunt Feſtis, Paſchatis v. g. vel Pentecoſtes, promulgari debeant; cùm è contra dies plena vel inter promulgationes ſingulas, ut Burdigalæ; vel *inter primam & ſecundam, aut in-*

ter

*ter secundam & tertiam intercedere* debeat, ut Parisiis; *nè brevitate temporis eludantur qui aliquod impedimentum revelare tenentur:* * quin & cavendum *nè quo die ultima denuntiatio facta est Matrimonium celebrari sinat* Parochus, *nisi dispensatum fuerit à D. Archiepiscopo.* Itaque Tridentini Textûs sensus est, Matrimonium non longo à promulgationibus intervallo sejungi debere, nè novum aliquod inter Partes suboriatur impedimentum quod Ecclesiæ non innotescat. Hinc dilato Matrimonio, novis opus est denuntiationibus, alicubi quidem post menses à prioribus duos, alicubi post tres aut quatuor; alibi verò, ut Parisiis, post sex duntaxat.

Not. 2do. diem festivam strictè hic sumi pro eâ quæ de præcepto Ecclesiæ, saltèm in hoc loco, celebratur. Unde Banna nec in Festis vel ex solâ devotione institutis, vel quæ ad meridiem desinunt, nec in die Cinerum, nec Feriâ IV. aut VI. majoris Hebdomadæ, nec in Paschatis aut Pentecostes pervigilio denuntiari debent.

Not. 3tio. Banna intra Missam tantùm Parochialem esse denuntianda. Unde non valet denuntiatio in Missâ, Confraternitatis alicujus factâ, aut in Missâ, ut aiunt, minori, nisi hæc sit Parochialis. Si in eâdem Ecclesiâ plures sint Parochiales Missæ, possunt in unaquâque ex istis Banna promulgari ad Parochi arbitrium. Peccat tamen qui de industriâ denuntiationes facit intra Missam, cui novit nunquam interesse eos, quos denuntiandum Matrimonium præcipuè tangit: secùs, si nulli solemni Missæ intersint. Tempus promulgationis est ipsum *Pronai* tempus. Hinc sequitur non esse faciendas Matrimonii denuntiationes, seu extra Ecclesiam post Sacrum solemne, seu intra Vesperas aliudve Officium à Sacro solemni diversum. Ceterùm monere non pigebit *publicationes* altâ & intelligibili voce faciendas esse; quod adeo negligunt nonnulli, ut denuntiando, nihil denuntient: unde prodeunt omissæ denuntiationis incommoda.

Quæres 5to. ubi denuntiationes fieri oporteat. R. eas nec in Regularium Ecclesiis, nec in Capellâ, (nisi ad hanc tota processerit Parochia ad audiendam quæ in eâ celebranda est parochialem Missam) sed in ipsa parochiali Ecclesia, non ad valvas ejus, fieri debere.

At non semper sufficit ut in unâ tantùm Parochiâ fiant. 1mo. enim si contrahentes è duplici sint Parochiâ, vel licèt ex eâdem sint, uterque vel alter sufficienti careat domicilio, in utraque, prioris scilicet & actualis domicilii Parochia faciendæ erunt denuntiationes, 2do. Si eorum alter vel uterque commoretur in *Annexâ*, quæ Matrici Parochiæ subsit, moris est certis

* *Rit. Paris. pag.* 351.

certis in locis ut Banna, tum in Annexa, tum & in Parochiâ denuntientur; 3tio. Banna, Minorum, etiam Viduarum, qui necdum 25. ætatis annum compleverunt, non modò in eâ ubi de *facto* resident, sed & in patris ac matris, tutorumve aut curatorum Parochia, ubi *juris* domicilium habent, promulganda sunt. 4to. Si puellæ, etiam 25. annis majores, in Monasterio degant; non solùm in Monasterii Parochia, ubi parum notæ sunt, sed & in patris aut matris, curatorumve Parochiâ ubi notiores sunt, Banna promulgari oportebit. 5to. Si Partes æquum duobus in locis domicilium habent, Banna in utroque domicilio denuntianda sunt, nisi sat diu manserint in loco ubi conjungendæ sunt. 6to. Domesticorum conjugia in Parochiâ Heri cui ab uno anno famulantur, denuntiari oportet. Imò, nisi aliunde noti sint, percunctandum, tum in eorum originis loco, tum & in eo quem ante actualem famulatum incolebant, an ab alio quocumque seu Sponsalium, seu Matrimonii vinculo liberi sint. 7mo. Curandum Turmis Regiæ Domûs ut in loco ubi Rèx actu residet; militibus verò, ut in Præsidiis, vel in locis ubi ab anno degunt, atque in ipso nativitatis suæ loco conjugia sua denuntientur: qui etiam Præfecti sui afferre debent testimonium, quo de sua libertate constet, 8vo. Vagi & alienigenæ denuntiari debent, non tantum in loco actualis domicilii, sed & in loco nativitatis, aut ut minimùm ubi moram traxêre longiorem; & de his Episcopum consuli oportet, quod Ritualia plura sub pœnâ suspensionis præcipiunt.

Quæres 6to. à quo faciendæ sint eæ denuntiationes, & quæ facienti onera incumbant.

R. ad 1. Banna non à Parocho primitivo, & multò minùs ab Apparitore Regio, sed à proprio contrahentium Parocho, vel à Clerico quem is aut Episcopus designaverit, esse denuntianda. Idem potest Vicarius; qui, si denuntiatio quidpiam habet difficultatis, de ea Parochum admonere debet.

R. ad 2. hæc à Parocho sedulò præstanda esse. 1mo. Nunquam denuntiet Banna Minorum, nisi sibi de parentum tutorumve assensu constet; & is ante Sponsalia habendus est, si Sponsalia Bannis præmittantur. 2do. Nec Banna, nisi ad ipsam nupturientium postulationem promulgabit, nè alieni id ipsorum nomine ad risum vel probrum sollicitent: hi tamen si institerint, agendum ut postulationem suam chirographo suo muniant. 3tio. Si concedenda speretur unius aut duplicis Banni dispensatio, curabit admonere ut revelare festinent, qui aliquid norunt revelandum. 4to. Cavebit nè sponsos ipsa postremæ

denuntia-

denuntiationis die Matrimonium conjungat sinè speciali Ordinarii licentiâ. 5to. Si alia quàm Confessionis via impedimentum aliquod detexerit, præsertim verò dirimens, & quod foro contentioso obnoxium fieri valeat, monebit sponsum, sivè in Tribunali, sive extra; licèt is & invictè suum hoc vinculum ignoret, & modicam obsequendi spem injiciat. 6to. A sponsis ipsis aut eorum genitoribus vel consanguineis inquiret an Partes liberè consentiant, an nullo cognationis nexu irretiantur; annon aliis fidem conjugii spoponderint an Religionis Mysteria satis capiant; an Paschali officio functæ sint, &c. 7mo. Parochus neminem junget Matrimonio, nisi ex testificatione legitima didicerit Banna ubicumque opus erat fuisse denuntiata.

Quæres 7mo. quæ debeat esse Bannorum forma, R. 1mo. tritam eam esse Bannorum formam, ut in ipsa exprimantur nomina, tum contrahentium, tum & eorum à quibus nati sunt, aut nati esse perhibentur, tum & mariti prioris, si de vidua sermo sit; item & locus eorum originis. Si ex contrahentibus alter spurius sit, erit hæc ejus conditio reticenda, & supprimendum utriusque parentis nomen, licèt Registris consignatum: quapropter is suo tantùm & artis quam exercet nomine designandus erit. Eadem de causa, qui infantes olim expositi sunt, citra ullam vitii hujus mentionem, sub nomine sibi ex tunc indito, & in Parochia cognito, indicandi sunt. Si pater aut mater decesserit, de hujus vel illius morte facienda est mentio. 2do. In qualibet denuntiatione exprimendum qua vice fiat; monendumque de futura vel præsenti à Banno uno vel duobus dispensatione.

Quæres 8vo. ad quid ex denuntiationibus teneantur Fideles. R. eos, & quidem omnes, ad impedimenti cujuscumque etiam prohibentis, si quod subesse norint, revelationem graviter teneri, nisi urgens quæpiam causa excuset. Dixi 1mo. *omnes*: Neque enim, vel alterius Parochiæ aut Diœcesis incolæ, vel consanguinei sponsorum, vel eorumdem amici, quibus impedimentum sub secreti lege commissum fuerit licet in Monitoriis identidem à revelando immunes sint, eximuntur à revelatione in præsenti casu. Non alienigenæ, quia Episcopus, non tam suo quàm Ecclesiæ nomine, revelationem præcipit: Porrò Ecclesia non in unam tantùm Diœcesim, sed & in vicinas jurisdictionem habet. Non consanguinei vel amici, ratione cognationis solius vel amicitiæ: imò utroque hoc titulo strictiùs tenentur ad avertendum consanguinei vel amici crimen & scandala, quæ ex hisce conjugiis à Deo maledictis exoriri solent.

Dixi 2do. *ad cujuſcumque impedimenti etiam prohibentis revelationem.* Nimirum urget obligatio revelandi, nè Sacramentum profanetur, & Matrimonii uſus in peccatum cedat. Ad id porrò impedimenta etiam ſimpliciter prohibentia, revelari oportet. Quot enim admittet peccata, quæ poſt virginitatis votum nubendo citra diſpenſationem, & Sacramenti ſanctitatem violat, & debitum petendo, ſponſionem Deo factam toties quoties tranſgreditur!

Dixi 3tio. *graviter*: quia obligatio ex quâ pendet ſalus animarum, familiarum quies, Regni tranquillitas, honos vel injuria Sacramenti, nonniſi gravis eſſe poteſt.

Dixi 4to. *niſi cauſa urgens excuſet.* Poſtulat enim naturalis æquitas ut qui ſinè graviori, vel pari ſuo aliorumve detrimento malum proximi avertere nequit, ad id avertendum minimè teneatur. Unde à revelando immunes ſunt, 1mo. Confeſſarii; 2do. Qui impedimentum norunt, vel quia ab iis petitum ſit de eo conſilium, ut Parochi, Doctores, Advocati, quin & peni- tiores amici, quibus ad proprium ſui regimen ſua quæque panduntur; vel ratione profeſſionis ſuæ, ut Medici, Chirurgi Obſtetrices. Hi enim omnes, ſi ſemel frangant fidem, conſiliis præcludetur aditus, quia nemo erit quem in arduis tutò liceat interrogare. 3tio. Qui ſinè propriâ ſui infamiâ, vel alio gravi detrimento impedimentum detegere non poſſunt; ut mater aut ſoror, quæ cum filiæ vel ſororis amaſio rem habuere; ancilla quæ dominæ ſuæ crimen adjuvit, villicus itèm, cui ſi herum prodat, imminent ab eo mors vel jactura gravis, &c. In dubio prudentius nihil, quàm ut interrogetur ſapiens Confeſſor, quandoque etiam Epiſcopus, aut ſecularis Judex, ſi notæ ſit probitatis; idque etiam faciendum à Domeſticis, nè vel temerè revelando domos perturbent; vel vanæ perturbationis metu deſint Eccleſiæ Legibus. Etſi revelatio teſtis unius fidem non facit; ad id tamen prodeſſe poteſt ut res penitiùs examinentur, ut Partes, vel earum altera, benignè moneantur, & ut in dubio obtineatur diſpenſatio Epiſcopi. Ceterùm impedimenti revelatio quamprimùm *moraliter* fieri debet, præſertim cùm Partes de obtinenda unius vel duplicis banni diſpenſatione cogitant, *moraliter*, inquam, quia æquum eſt, ut qui conſilio indigent ſapientes interrogare valeant.

Quæres 9no. Cui impedimentum detegi oporteat. R. Impedimentum, ſi ex natura ſua publicum eſt, ut cognatio, affinitas, &c. detegendum eſſe Partibus, aut eorum conſanguineis Si Partes nec à Matrimonii conſilio deterreri, nec diſpenſationem obtinere ſatagant, res ad Parochum deferenda erit; quin & quandoque ad Epiſcopum, ſi Parochus Matrimonio contra regulas

regulas

regulas favere velit. Si verò impedimentum occultum sit, satius quidem foret ut privatim moneretur Pars impedimenti conscia, nè ad conjugium sinè dispensatione progrediatur. Sed quia sæpe fit, ut monita hæc ut minimùm inutilia sint, docent plures rectâ pergendum esse ad Parochum, ut meliori quâ licebit viâ, malo occurrat. Erit autem hæc via Parocho melior, ut postquam sponsos in omnem sensum versaverit; ad Episcopum recurrat, ejusdem mandata suscepturus.

Quæres 10mo. Quid à Parocho faciendum, cùm quis obsistit Matrimonio. R. Posse quem Matrimonio obsistere, 1mo. per viam simplicis *revelationis*, cùm Partes aliquo impedimento astringi declarat: 2do. per viam *intercessionis*, seu *oppositionis*, seu hæc fiat secundùm formam juris, seu fiat solâ voce. In priori casu exigendum à revelante ut denuntiationem suam det in scriptis, suoque & duorum, si fieri potest, testium chirographo munitam, ubi & impedimenti probationes contineantur. Si denuntiator non omnino fide indignus, id renuat, & revelationis hujus falsitas non appareat certa, res ad Episcopum deferenda erit. In posteriori casu, *intercessionis*: videlicet 1mo. Parochus exiget ab iis qui se se Bannis vel Matrimonii celebrationi opponunt, ut id faciant in scriptis. & non solùm verbo: tum quia alioqui malevolus quisque Matrimonium impedire posset; tum quia nescirent contrahentes adversùs quem sibi esset agendum: unde Parochum ipsum juridicè insequi cogerentur; tum quia facilè contingeret, ut *intercessor* coram Judice negaret factam à se fuisse oppositionem. 2do. Si tamen patres, matres, tutores sola voce Matrimonio filii aut pupilli obsistant, hærebit statim Parochus, ut qui nulli Matrimonio interesse possit, nisi de parentum aut tutorum consensu sibi constet. Hinc rescissum à Curiâ Paris. Matrimonium, quod non obstante verbali matris oppositione celebratum erat. 3tio. Cùm intercessio vel ab Apparitore significata est Parocho, vel uti fit in certis Diœcesibus, Parochi Registris inserta, atque opponentis manu subscripta, debet quidem Parochus ejus exemplum contrahentibus tradere, quò sibi provideant: At actum ipsum penès se sedulò conservare debet, aut, ut aiunt, *Recepissé*, ejus postulare. 4to. Manus habet ligatas, quandiu subsistit oppositio. Imò nec ei solventur manus per sententiam Judicis, sed necessum est ut ea sibi ritè intimetur. Ratio est, quia potuit ab ea sententia interjici ad superiorem Judicem appellatio. 5to. Cùm res ad forum contentiosùm deducta est, dubitatur an sufficiat simplex *ab oppositione discessio*, annon requiratur significatio sententiæ

tentiæ quâ opponentes ab intercessione suâ dejecti sunt. Hanc ego brevem regulam efformaverim: Quoties quis obsistit Matrimonio in gratiam juris cui renuntiare potest, sufficit recessio simplex coram Notario. Quoties è contra quis obsistit Matrimonio in gratiam Sacramenti, requiritur sententia Judicis. Unde sufficit simplex recessio in matre quæ consensum suum negaverat; vel in eo qui datam sibi Matrimonii fidem causabatur. At requiritur sententia Judicis, si quis affinitatem, votum castitatis à nupturiente emissum, & similia, declaraverit. Sed consulendi locorum usus, iisque inhærendum, tum in præsenti capite, tum circa oppositionum Judices, quorum examen non ad nos, sed ad Superiores pertinet.

Quæres 12mo. An, à quo, quousque, quîcum & quâ de causa in Bannorum promulgatione dispensari possit.

R. ad 1. Posse aliquando in Bannorum denuntiationibus dispensari. 1mo. Quia denuntiationes illæ Juris sunt tantùm positivi: istud porrò relaxari potest, cùm id idoneæ causæ postulant. 2do. Quia id decernitur, à Trid. Sess. 24. Can. 1. ubi denuntiationum remissio Ordinarii *prudentiæ & judicio* relinquitur.

R. ad 2. Bannorum dispensationem regulariter ab Episcopo solo concedi posse, vel à Vicario ejus generali, aut Capituli, Sede vacante, nisi utriusque facultas limitata sit; proinde non à Parocho, &c. Dixi, *regulariter*, sunt enim Decani quidam, ut Aureliacensis, qui in denuntiationibus dispensant, eò quia jurisdictione quasi Episcopli fruantur.

R. ad 3. Potest Episcopus cautè quidem & sobriè, nusquam autem in Matrimoniis Minorum, qui sinè parentum aut tutorum assensu contrahere intenderent, à tribus etiam Bannis dispensare. Et id pluries per annos viginti quinque à Card. Noallio factum est.

R. ad 4. Non potest Episcopus nisi cum Diœcesano suo dispensare: unde si Sponsi diversæ sint Diœcesis, & dispensationem Banni gemini obtinere velint, quisque ad Ordinarium suum recurrere tenebitur. Et verò nihil jurisdictionis habet Carnotensis Episcopus in Diœcesanum Archiepiscopi Parisiensis, & vicissim.

R. ad 5. Cum Sanche: *Letaliter delinquit Episcopus, absque legitima causa dispensans, quia materia est gravis.* Sanè dispensatio sinè causa non tam dispensatio est, quàm temeraria legum violatio. Causæ verò dispensandi sunt utilitas, necessitas & prærogativa personæ.

Ratione utilitatis dispensari potest, 1mo. cum iis qui gravi & injusto ex denuntiationibus pudore suffunderentur ob nimiam

am ætatis, conditionis aut fortunæ discrepantiam; 2do. Cùm moraliter, non autem remotè solùm timere est, nè sponsorum alter, vel ex innatâ levitate resiliat, vel avertatur à Matrimonio Christianè aut civiliter utili; putà sponsus ab ea ducendâ quam infamavit; aut quam sibi pater sapiens, cujus mors imminet, solerter elegit. 3tio. Cùm grave imminet periculum seu peccati inter nupturientes, seu dissidiorum inter familias. 4to. Cùm urget tempus itineris, seu sponsi, seu parentis proximi, patris præsertim, quod & penè necessarium sit, & differri nequeat. Uno verbo quoties impendit periculum scandali, vel gravis damni in bonis fortunæ, corporis, famæ, ut animæ.

Ratione necessitatis dispensatur, tum in plerisque ex casibus modò adductis, qui sæpè veram necessitatem inducunt; tum & 1mo. Cùm alioquin vitari non potest scandalum, ut si Partes in Matrimonium jungendæ, quia pridem in concubinatu vivunt, pro conjugatis toto in loco habeantur; aut si occultum inter eos qui olim palàm contraxêre, detegatur impedimentum dirimens; 2do. Cùm impossibilis est Bannorum denuntiatio, putà quia populus grassante peste non confluit. 3tio. Cùm Partes pœnis concubinorum à Judice afficiendæ sunt, nisi se legitimo Matrimonio conjunctas esse probent. 4to. Cùm Matrimonium crimini finem imponet; ut si vereri sit nè duo qui in concubinatu vivunt, peccare pergant, dum fient denuntiationes; aut si meretrix, modò hìc & nunc ducatur, à lupanari recedere consentiat. At redit, quæ me jam pridem torquet difficultas, quo pacto ad Sacramentum idonei sint, qui crimen anhelant, vìxque, si tamen utcumque, scelus odisse incipiunt? 5to. Cùm in articulo mortis constitutus vult ducere concubinam, ut prolem ex ea susceptam legitimet. Verùm Matrimonia inter concubinos contracta in extremis, id est, quod cautè notand. imminente nece ex verbo, quamvis in conscientiâ valeant, si contrahens sit animo sanus, nullos tamen in Galliâ pariunt effectus civiles; (licèt quandoque moveant Judices ad assignandam proli pensionem) Ità Statutum à Ludovico Magno anno 1697.

Ratione conditionis dispensatur cum Principibus, ut patet tum ex consuetudine; tum quia horum impedimenta, cùm subsunt, à nemine ignorantur.

Duo hic addenda, 1mo. satius esse ut Episcopus interdictis tripudiis Matrimonium per Quadragesimam iniri permittat justâ de causâ, quàm ut ab omnibus Bannis dispenset. 2do. Nec dispensandum esse seu cum iis qui ab omni impedimento liberi sciuntur: quia si semel ob hanc causam dispensat Episco-

pus

pus cum uno, vix erit qui se se in casu dispensationis esse non contendat; seu cum vagis, 1mo. quia sæpe fit, ut qui omnibus ignoti esse credebantur, ab aliquo seu loci incolâ, seu per locum fortuitò transeunte cognoscantur. 2do. Quia dum denuntiantur Banna, quod vulgò diebus 15. indiget, fieri potest ut aliquid per literas de eorum statu comperiat Episcopus.

Quæres 13tio. Quæ sint pœnæ omittentium denuntiationes citra dispensationem. R. Præter culpæ & pœnæ æternæ reatum, assignari plures. 1mo. Enim Parochus, aut alius Sacerdos, clandestinis hujusmodi conjugiis assistens, per triennium ab officio suspendi debet, & *graviùs puniri, si culpæ qualitas postulaverit.* Ità ex Concilio Lateran. Trid. Sess. 24. de reform. Matrim. C. 5. 2do. proles illegitima censetur, si forrè parentes ejus, impedimento sibi ignoto ligabantur, 3tio. omnis jam hisce contrahentibus adimitur spes obtinendæ dispensationis.

Ex dictis inferes indignum esse, quòd nonnulli contra tot Ecclesiæ & Regum Sanctiones, adeò faciles sint in remittendis proclamationibus, ut earum lex pauperibus tantùm præscripta videatur: imò quod dicere pudet, sola utcumque nummi carentia ad observationem Legis constringat. Unde, vulgò non accedunt ut supplices dispensationem petituri, sed ut emptores, & dicunt audacter se velle Banna redimere, ac indignabundi recedunt, nisi obtinuerint, quod vident ditioribus vix unquam denegari. Sanè Parochorum est his abusibus pro virili occurrere, utpotè qui sint Legum vindices, & subditis exponere quibus de causis denuntiationes illas Matrimoniis tam seriò præmitti mandaverit Ecclesia; quàm periculosum sit in ipsâ Sacramenti susceptione Legem tantâ firmatam authoritate infringere; neque ipsos per dispensationem, si legitimâ causâ destituta sit, excusari.

Quæres 14to. An Matrimonia secreta, seu *conscientiæ*, valeant, & licita sint. R. Matrimonia secreta, seu quæ sine contractu, plerumque & Bannorum denuntiationibus, nisi intercedentes obmurmurantis, sed tamen coram Parocho & testibus in facie Ecclesiæ celebrantur; valere quoad fœdus; quia nihil eis deest, seu ex parte materiæ, formæ & Ministri, seu ex parte contrahentium, quos ab omni impedimento liberos esse supponimus: Verùm si per totam conjugum vitam celentur, esse graviter illicita: 1mo. quia ut ait Ludovicus XIII. in Edicto anno 1639. art. 5. plus concubinatum sapiunt, quàm veri nominis Matrimonia: 2do. quia gravibus obnoxia sunt scandalis; cùm turpe sit, ut conjugaliter vivere conspiciantur, qui non palàm habentur pro conjugibus: 3tio. quia ex iis incerta fit

prolis

prolis conditio; si enim vel unum *Registri* folium lacerari contingat, necessum est ut filii pro spuriis habeantur: Unde sequitur, Matrimonia hæc à Confessario, vel Parocho, nusquam toleranda esse, nisi id causæ exigant gravissimæ; quarum examen non ad ipsos contrahentes, sed ad viros graves (præcipuè Episcopum, sinè cujus nutu in hisce materiis nè uno quidem passu procedendum) referri debet.

Quæres 15to. An peccent qui ficta contra Matrimonium impedimenta proponunt. R. Eos graviter peccare contra justitiam. Unde de omni quod hinc suboritur damno tenentur ante Judiciis sententiam.

## §. III. *De consensu Parentum.*

Docent Calviniani Matrimonia filiorum sinè paterno consensu omnimodis irrita esse. Sit contra

Conclusio. Matrimonia filiorum sinè parentum assensu sunt valida de Jure tam naturali quàm divino. Sunt tamen utroque graviter prohibita, nisi causa legitima excuset.

Prob. 1. pars. Quia spectato solo naturæ Jure, tria tantùm ad Matrimonii substantiam requiruntur, mutuus videlicet Partium consensus, ejusdem manifestatio exterior, & reciproca corporum traditio. Atqui secluso etiam parentum consensu tria hæc in filiis verè & absolutè subsistunt. Ergo sicut filius nescio vel invito patre, cui unicus est, validè dat nomen militiæ, seu sacræ, seu profanæ; sic & in præsenti.

Prob. 2. pars. Jus divinum in veteri & novo Testamento continetur. Atqui utrumque conjugiorum valorem à solâ filiorum voluntate repetit. Unde Moyses, Num. ult. *Nubant quibus volunt, tantùm ut suæ Tribûs hominibus;* & indistinctè Apostolus, I. Corinth. 7. *Cui vult nubat, tantùm in Domino.* Huc facit exemplum junioris Tobiæ, qui Saram duxit insciis parentibus.

Prob. 3. pars. 1mo. Ex Scripturis, quæ filiorum Matrimonia parentibus committunt; putà Jerem. 19. ubi: *Date filiis vestris uxores; & filias vestras date viris.* I. Cor. 7. *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit, & qui non jungit, melius facit.* 2do. Ex Patribus, Tertul. Lib. ad Uxorem *Nec in terris filii sinè consensu patrum rectè & jure nubunt.* 3tio. Quia si quando exigit reverentia, ut filii voluntati paternæ cedant, utique in re unde pendet familiarum pax, Regnorum optima constitutio, felix in præsenti & in altera vitâ conjugiorum exitus. Atqui è Matrimoniis benè institutis hæc omnia dependent; contra verò quæ invitis parentibus fiunt, longam pœnitudinis segetem habere solent. Unde ex Trid.

Sess.

Seff. 24. de reform. Matrim. cap. 1. *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit.*

Pars 4. Elucescet ex infrà dicendis.

Obj. 1mo. contra 1. part. Deus Matrimonii author & conciliator esse debet, secundùm id. *Quod Deus conjunxit*, &c. Atqui Deus, qui filios parentibus *per omnia* obsequi vult, Matrimonii iisdem insciis vel invitis facti author esse non potest. R. dist. Deus esse non potest author Matrimonii, quantùm ad accidentales ejus circumstantias, cùm resistunt parentes, C. Non potest esse author quoad substantiam, N. Sicut enim Deus est author Baptismi, quem quis ob sordidum lucrum recipit; nec tamen est author fœdæ illius intentionis: sic Deus est author Matrimonii in quo servantur omnia quoad substantiam à Deo instituta, licèt non sit author inobedientiæ, quæ in filio rebelli Matrimonium illud viriat. Neque quia jubet Deus filios *per omnia* parentibus, justè præcipientibus scilicet, obsequi, ideo irritat quæcumque contra obsequium illud efficiuntur. Alioqui filius quem, quia necdum benè dispositum, arcet pater à Baptismo, validè non tingeretur; quod nè ipse quidem Kemnitius admiserit.

Obj. 2do. cont. 2. part. Potest pater irritare votum filiæ suæ, Deuter. 22. ergo à fortiori conjugium ejus irritare. R. 1mo. Non potest pater irritare votum filiæ, nisi in *ætate puellari* factum. 2do. faciliùs relaxatur promissio Deo facta, quàm homini: ut enim remittatur prior, sufficit authoritas eorum quos Deus in hâc parte Judices constituit: ut autem remittatur posterior, requiritur consensus illius, qui jure suo defraudatur.

Obj. 3. Conjugia hæc in primævâ Ecclesiâ fuerunt irrita. Ergo & nunc esse debent R. dist. Fuêre irrita jure divino vel naturâli, N. jure civili & Ecclesiastico, transeat. Id enim licèt à gravibus viris admissum, à gravibus negatur Theologis & Jurisperitis quos inter Cujas, Gothofredus, &c. Aliunde potest Ecclesia inductam legitimis de causis disciplinam, legitimis de causis rescindere; uti fecit, cùm usum calicis negavit secularibus. Hinc Tridentinum cit. Seff. 24. Can. 1. eos *anathemate damnat, qui falsò affirmant Matrimonia à filiis familias sinè parentum consensu contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse:* licèt *sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata fuerit.*

CAPUT

# CAPUT QUARTUM.

## *De Causâ efficiente Matrimonii.*

IN isto Capite videndum 1mo. an & quis ad Matrimonium requiratur consensus: 2do. an is independenter ab operâ Sacerdotali sufficiat in novâ Lege: 2do. quæ sit conjugii materia & forma.

### §. I. *De Consensu ad Matrimonium requisito.*

CONCLUSIO I. Ad Matrimonii valorem necessarius est absolutè Partium consensus.

Prob. Matrimonium spectari potest, vel ut contractus, vel ut Sacramentum. Atqui consensum exigit: 1mo. ut est contractus; cùm in eo mutua fiat corporum traditio, quæ sinè tradentis consensu perfici non potest. 2do. Ut est Sacramentum, quia in Matrimonio Sacramentum nihil est aliud quàm contractus ipse ad Sacramenti dignitatem evectus. Ergo si contractus consensum requirit absolutè, requirit & Sacramentum.

Obj. tria, 1mo. Quòd ex Florentino consensus sit *regulariter* Matrimonii causa efficiens; ergo non semper. 2do. Quòd ex Cap. fin. *De condit. apposit.* valet Matrimonium sub conditione impossibili initum; & tunc tamen deest consensus; cùm is pendeat à conditione quæ apponitur; 3tio. quòd potest quis invitus cogi ad Episcopatum & tamen Episcopatus quædam est species Matrimonii.

R. ad 1. neg. conseq. Vox enim *regulariter* afficit id quod proximè sequitur, *per verba de præsenti expressus*, & indicat consensum aliquando per nutus posse exhiberi.

R. ad 2. Ideo validum Judicari Matrimonium istud, quia judicat Ecclesia, conditionem merè nugatoriam, à contrahentibus, verè & ex animo appositam non fuisse. Si tamen hæc præsumptio falsa foret, non staret Matrimonium.

R. ad 3. dist. Potest quis invitus cogi ad Episcopatum, id est per præceptum Ecclesiæ compelli, ut ex nolente suscipere Episcopatum, fiat volens, C. id est, effici Episcopus sinè ullo suo consensu, N. Sic potest quis per censuras compelli ut eam ducere velit, quâ sub spe Matrim. abusus est; at nunquam in eo consensum, si deest, supplebit Ecclesia.

Quæres 1mo. An ad Matrimonialem contractum requiratur

tur, ut simul existat Partis utriusque consensus. R. Non requiri ut utriusque consensus simul physicè existat. Unde ex dictis suprà valet Matrimonium per Procuratorem; licèt cùm contrahitur, mandans dormiat. Sufficit ergo ut cùm unius consensus ponitur, consensus ab alio anteà præstitus, virtualiter perseveret. Sic autem perseverat, donec explicitè vel implicitè revocetur. Unde non perseverat, 1mo. si qui in unam consenserat, cum aliâ contrahere velit; 2do. Cum præteriit tempus nuptiis præfixum; quod tamen ex dictis morali sensu intelligendum est; 3tio. Cum etsi nullum sit præfixum tempus, Pars altera adeò in morâ est, ut nemo prudens tandiu expectare velle censeatur.

Quæres 2do. An si conjux uterque ex metu, vel cum alio impedimento dirimente consenserit, sufficiat ut uterque deinceps solo animo consentiat. R. negat. Quia tunc perinde est ac si Matrimonium penitus non esset contractum, ut quando cadit super materiam ineptam. Atqui in hoc casu denuò utrinque renovandus est consensus. Nec enim perseverare potest consensus qui nullus omninò fuit, cùm permanentia existentiam supponat. Ità Sylvius, qui subjungit, Matrimonium post obtentam impedimenti dispensationem non convalescere, nisi ignoranti significetur priorem contractum fuisse invalidum, sicque ei detur libertas de novo contrahendi. Tunc autem ut conjugium dignitatem sacramenti obtineat, satagendum est, ut contrahentes coram Parocho, vel Confessore per Episcopum ad id deputato, consensum renovent. Imò necessum erit coram Parocho & testibus denuò contrahere, si impedimentum publicum sit, vel deinceps verisimiliter manifestandum.

Quæres 3tio. An cum errore facti & scientia Juris possit subsistere consensus, ad Matrimonium sufficiens; putà an validè consentiat Titius ducendo Mœviam, quam ex errore credit sibi in gradu prohibito affinem esse. R. Multò probabilius negat. Ratio est, quia nemo sincerè velle potest id quod firmiter credit esse sibi impossibile; cùm intentio nunquam sequi possit in voluntate, nisi secundum id quod præcessit in intellectu. Ergo sicut qui malè persuasus est opinionem hanc esse falsam, non potest eam sequi; sic & qui falsò licèt, persuasus est uxorem suam in vivis esse, non potest in sensu composito hujus judicii aliam ducere. Quia tamen contraria Sanchesii opinio non adeò invictè confutatur, ut nihil supersit dubii, curandum semper Confessariis qui hosce casus repererint, ut Partes ad novum consensum adducant, nec jam ab initio plenam ad alia vota transeundi libertatem annuntient.

Quæres 4to. Ad quid teneatur qui fictè solùm consensit.

R. 1mo.

R. 1mo. Huic nihil licitum esse eorum quæ solis conjugibus permissa sunt, ut qui verè conjux non sit. 2do. Eum, nisi graves obsint circumstantiæ, purà metûs iniquè incussi, &c. teneri de novo interiùs contrahere, cùm factam comparti injuriam aliter resarcire non possit; nisi hæc circumspectè interrogata consentiat in cœlibatu vivere usque ad mortem putatitii sui conjugis. Is tamen ad alias nuptias, cùm priores in Ecclesiæ foro pro validis habeantur, convolare nequit.

Quæres 5to. An Pars una teneatur credere alteri se fictè consensisse afferenti, & à debito petendo abstinere.

R. negat. Cum Innocentio III. Cap. 10. *De probat.* quia verisimilius est quòd tunc mentiatur, quàm quòd id commiserit in actu principali. Unde ei nequidem juranti credendum, nisi id speciales circumstantiæ exigant; ut si puella metum sibi incussum probet.

Quæres 6to. An consensus debeat esse exterior. R. affirm. Consensus enim unius conjugis ab alio debet acceptari. Atqui acceptari non potest, nisi per exteriora signa cognoscatur.

Quæres 7mo. An consensus necessariò verbis aperiri debeat. R. negat. Muti enim nuptiarum capaces sunt, ut patet tum ex praxi, tum ex Cap. 25. *De Sponsal.* & ii tamen nonnisi in signis loquuntur. Cavendum tamen, ne qui verbis possunt, signis contrahant; tum quia à trito Ecclesiæ usu non est sinè causa recedendum; tum quia contra nutus, velut utcumque ambiguos, non autem contra verba diserta reclamari potest; tum quia non desunt qui existiment letaliter peccari ab iis, qui sine gravi causa nutus adhibent pro verbis; minores verò culpam hic admittunt venialem. Erit tamen taciturnitas puellæ sufficiens consensûs signum, si taceat coràm patre & matre repromittentibus viro pro ipsâ; quia silentium non contradicentis, quando contradicendum esset, signum est consensûs; nisi ex aliis circumstantiis colligeretur tacere, quia dissentit, & non audet ob metum patris contradicere.

Quæres 8vo. An consensus debeat esse liber, adeoque immunis ab errore & vi quæ voluntarium perimunt. R. De his à nobis dictum iri inter impedimenta.

Quæres 9no. An valeat Matrimonium sub conditione initum

R. 1mo. Matrimonium contractum sub conditione honestâ vel indifferenti de futuro contingente, valet quidem, sed non absolutè, donec impleatur conditio. Idem contractum sub conditione impossibili, jam nunc regulariter validum est: contractum verò sub conditione turpi valet, si conditio bonis Matrimonii non repugnet; si autem repugnet, invalidum est.

Prob. 1. pars: Quia ea est generatim natura conditioni,

ut contractûs sub ea initi valorem usque ad conditionis eventum suspendat, ut habetur L. *Si stipulatus* ff. *De verb. obl.*

Quòd tamen certus quidam ei Matrimonio valor insit, patet quia eô sic celebratô, nulla Pars usque ad eventum conditionis aliâ invitâ resilire potest. Si verò partes ante eventum conditionis vel revocent consensum, vel altera alteri nubat; corruit illicò Matrimonium. Id tamen licitè facere non possunt, nisi justâ de causâ. Quæ autem causæ sufficiunt ad resiliendum à Sponsalibus, eæ ad hujusmodi conjugiorum dissolutionem sufficiunt.

Prob. 2. pars: Ex C. final. *De conditionib.* ubi sic Gregorius IX. *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur; puta si alter dicat alteri: contraho tecum, si generationem prolis evites; vel, donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem; aut si pro quæstu adulterandam te tradas, Matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu: licet aliæ conditiones appositæ in Matrimonio si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro nòn adjectis haberi.* Ubi propter favorem Matrimonii conditio impossibilis rejicitur; quia qui sub ea contrahunt, præsumuntur jocari potiùs, & absolutè contrahere velle, quàm invalidè, & cum gravi peccato. Si tamen ex circumstantiis appareret conditionem impossibilem vel turpem seriò adjectam fuisse, nullum utique foret Matrimonium, quia nulla fuisset ejus contrahendi intentio. Et ideò dixi Matrimonia hæc valere *regulariter*, id est quando non constat de oppositâ Partium voluntate. Hic enim est quidem præsumptio *juris*, sed non *de jure*, quæque ideò probationem admittit in contrarium.

Prob. 3. pars: Tum ex cit. Gregorii IX. Textu; tum quia conditio turpis Matrimonio adjecta, ut *Contraho tecum, si Petrum occidas*, incitat ad peccandum. Ergo habenda est pro impossibili: *id enim solùm possumus quod Jure possumus.* Atqui conditio impossibilis à Matrimonio rejicitur, seu habetur pro non adjectâ; ergo & turpis, nisi ut mox dixi, ex circumstantiis constet conditionem hac seriò adjectam fuisse animo Matrimonii usque ad conditionis eventum suspendendi. Cur conditio turpis in Sponsalibus pro adjectâ habeatur, eaque idcircò irritet, licèt non irritet Matrimonium, dixi Cap. præced.

Quarta pars. Videlicèt quòd propter *conditiones, contra substantiam conjugii* insertas *matrimonialis contractus caret effectu*, patet ex eod. C. fin. *De condit. appos.*

Hinc invalidè contrahit qui dicit: *Duco te si prolis generationem evites*, positivè scilicèt per poculum sterilitatis, per seminis effussionem, &c. Vel *Nubo tibi, donec aliam digniorem*
*invenero:*

*invenero:* Vel *si pro quæstu adulterandam te tradas, &c.* Nimirum verò Matrimonii substantiam impedit conditio, uxorem aliam, si quæ dignior occurrat, relictâ priore, ducendi; quia idem est ac si dicatur: *Contraho tecum, si nolis mecum in perpetuum contrahere.* Conditio autem quòd mulier se tradat adulterandam ex pacto; vel conceptionem positivè evitet; conjugii proprietates evertit: quia Matrimonii proprietas est, quòd neutra Pars fidem violare cogatur, aut prolis generationem absolutè evitet.

Obj. Intentio vitandæ prolis, vel adulterii, nihil aliud est quàm negatio actûs quem Matrimonium exigit; vel positio actûs cui Matrimonium resistit. Atqui neutrô Matrimonium subvertitur. R. dist. min. Matrimonium neutrô subvertitur, cùm neutrum in pactum deducitur; C. Cum utrumque vi contractûs Matrimonialis exigitur, N. Sicut ergo intentio violandæ castitatis, Religiosam professionem non perimit, quam tamen perimit stipulatio cum Superioribus facta, nè profitens ad castitatem obligetur; sic non rescindit Matrimonium intentio adulterandi, rescindit verò, si à conjugibus deducatur ut pactum.

R. 2do. Peccant letaliter, tum ii qui sub conditione etiam honesta de futuro contingenti contrahunt; tum qui eorum conjugiis intersunt Parochi & Testes. Ratio est quia mortaliter peccat qui Sacramenta sub conditione de futuro conficit, aut conficiendis cooperatur, absque necessitate. Atqui vix unquam subesse potest justa necessitas Matrimonium conditionatè celebrandi; cum suo potiori effectu careat ante conditionis eventum, & ante eum rescindi possit. Et verò Matrimonium sub conditione initum mille anxietatibus subjacet. Ergo cum ista, quantum potest, avertenda sint à Sacramentis, debent & à Matrimonio averti.

Quæres 1mo. An & quomodò renovari debeat nuptialis consensus. Not. Matrimonium potest contrahi, 1mo. sinè consensu alterius vel utriusque contrahentis, ut si unus vel uterque fictè tantùm, aut ex gravi metu consentiat. 2do. Cum consensu vero, sed invalidè præstito, seu propter absentiam Parochi, seu propter impedimentum dirimens, publicum vel occultum. 3tio. Cum consensu ex eventu conditionis suspenso. Jam

R. 1mo. Quando Matrimonium ex defectu veri in utraque Parte consensus invalidum fuit, debet utraque novum consensum præbere, & quidem exteriùs; idque si fieri potest, coram legitimo Sacerdote.

Prob. 1. pars. Quia renovari non potest Matrimonium,

quin renovetur conditio eidem essentialis. Atqui consensus, &c.

Prob. 2. pars. Quia prioris consensus expressio neutiquam vera erat, cùm mera foret ficti consensûs expressio. Ergo sicut novo consensu, sic & novo ejus signo opus est.

Prob. 3. pars. Quia enixè curandum est ut Matrimonium dignitatem & gratiam Sacramenti obtineat. Atqui id certò fieri non potest, nisi consensus coram legitimo Sacerdote renovetur. Quod si deesset Sacerdos, vel ab omni coitu abstinendum esset, vel renovato utrinque consensu hærendum intra fines contractûs civilis.

R. 2do. Probabile quidem est Matrimonium ex unius duntaxat consensu invalidum, ex hujus solius consensu deinceps præstito convalescere, modò alter consensum suum non revocaverit: Contraria tamen opinio, quantùm fieri potest, practicè est tenenda.

Prob. 1. pars. quam tenent SS. Thomas, & Bonaventura. Ad Matrimonium sufficit duorum in idem consensus. Atqui is in præsens occurrit: cùm ex hypothesi perseveret consensus prioris (qui compartem habet pro conjuge, & ab ea quâ tali debitum petit) & huic accedat consensus posterioris. Ergo.

Prob. 2. pars. Quam alii ut tutiorem practicè teneri suadent, nisi scandalum vel grave incommodum timeatur; alii verò necessariam judicant. Prob. Inquam, quia in re Matrimoniali ea, nisi grave quid obstet, tenenda est opinio, quæ sola valori Sacramenti certò consulit. Atqui talis est secunda opinio, de qua nunc.

R. 3tio. Cùm Matrimonium ex defectu præsentiæ Testium & Parochi nullum fuit, necessum est, ut coram iis iteretur. Prob. Quia Matrimonium istud solemnitate essentiali caret, quæ proinde suppleri debet; nisi secunda vice contrahatur in loco ubi receptum non sit Tridentini clandestina conjugia irritantis Decretum. Et tunc etiam nitendum, ut coram legitimo Sacerdote contrahatur; nè Matrimonium à Sacramenti ratione excidat.

R. 4to. Si Matrimonium fuerit nullum propter impedimentum dirimens, ante omnia curandum ut Pars nullitatis conscia nec debitum exigat, nec reddat exigenti; alioqui scienter fornicatura. Ut autem convalescat Matrimonium illud, 1mo. obtinenda est dispensatio, nisi impedimentum per se cessaverit, ut defectus ætatis. 2do. Uterque conjux novum exteriùs consensum præstare debet: Unde Matrimonii nullitas comparti, quàm cautè fieri poterit, detegenda est.

Prob. Hæc postrema pars, quæ sola difficultatem facit. Tunc utraque Pars novum consensum præstare debet, cùm consensus

consensus prior de se omninò fuit invalidus: Quod enim de se prorsus invalidum est, nullum sortiri potest effectum. Atqui quoties Matrimonium cum impedimento dirimenti contractum est, consensus eidem datus de se omninò invalidus fuit; utpotè qui fuerit inter personas relativè ad se inhabiles.

Atqui hinc Pars nullitatis inscia de eadem admoneri debet. Alioqui non ponit propriè consensum novum, sed priorem invalidum ex errore renovat: Porrò consensus invalidi renovatio Matrimonium invalidum non confirmat. Unde constans hæc S. Pœnitentiariæ Clausula: *Ut, dicto conjuge de nullitate prioris consensus certiorato dispenses.* Sed de his infrà ubi de impedim. affinitatis. Hic solùm repetam, Confessario qui animadvertet Partes cum impedimento dirimente, quod invincibiliter ignorant, contraxisse, sedulò cavendum nè de ipso eas priùs admoneat, quàm perspexerit, an & quale ex monito suo incommodum subsequi possit. Unde ei pensandum istud Innocentii III. C. 6. *De consanguin.* &c. *Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta; cùm ex separatione grave videas scandalum imminere.*

R. 5to. Matrimonium ex impedimento dirimente invalidum, publicè post dispensationem iterari debet, cùm nullitas ejus notoria est, vel verisimiliter manifestanda. Unde novus tunc coram Testibus & Parocho consensus præstari debet. Ideò enim Tridentinum Matrimonia publicè contrahi voluit, ut de iis tam Ecclesiæ quàm imperio constaret; sicque gravia, quæ ex clandestinis nuptiis scaturiebant incommoda, præsertim adulterium, vitarentur. Atqui non constaret publicè, & ad hunc effectum, de Matrimonio clandestinè tantùm & sinè testibus renovato. Unde conjux alter, probato deinceps impedimento, non posset à novo Matrimonio coërceri; quia constaret de prioris Matrimonii nullitate, non autem de convalidatione ipsius.

Tunc porrò novis Bannorum denuntiationibus opus erit; nisi paulò anteà factæ sint pro priori conjugio, vel conjugii nullitas necdum eruperit. In hoc enim postremo casu, nè toti aperiatur Parochiæ, quod ea plerumque citra scandalum rescire non possit; longè satius est ut obtenta ab Episcopo Bannorum dispensatione, in renovandi Matrimonii testes assumantur ii, vel eorum præcipui qui impedimentum cognoscunt.

R. 6to. Matrimonium occultè tantùm renovari debet, quando cum impedimento nunc & in futurum occulto celebratum est. Ratio est 1mo. Quia ità declaravit Pius V. ad preces totius Pœnitentiariæ. 2do. Quia Lex Trid. quâ clandestinæ nuptiæ prohibentur, non se extendit ad hunc casum. Cùm enim

Matrimonium prius, licèt à parte rei nullum, nihilominùs in Ecclesiæ foro validum sit, non est vereri, nè sponsorum alter aliud conjugium, quod polygamiæ pœnas subiret, attentare ausit. Utique praxis contraria patentem scandalis aliisque incommodis aditum reseraret.

R. 7mo. Cùm Matrimonium conditionatè in Ecclesiâ coram Parocho & Testibus contractum est, non videtur necesse ut coram iisdem post conditionis eventum renovetur consensus. Id tamen practicè servandum, nè fortè Matrimonium sacramentali dignitate privetur.

Prob. 1. pars. Quia ex dictis cap. 3. probabilius est Matrimonium, ut & alios contractus conditionatè initos, statim ut impleta est conditio, absque novo Partium consensu perfici.

Prob. 2. pars Quia cùm de Sacramento agitur, pars tutior tenenda est, cùm & facillime potest teneri, & pars opposita non est omninò improbabilis. Atqui 1mo. tutius est, ut purificatâ conditione renovetur consensus coram Parocho; cùm & id in Matrimoniis per Procuratorem contractis, quæ tamen minùs dubii habent, fiat; & incertum sit an benedictio Sacerdotalis hoc anno data moraliter uniatur consensui post biennium, vel eo plus, absolutè dato. 2do. Et ea pars facilè teneri potest, ut per se patet; 3tio Demum non omni caret probabilitate opinio, quæ novum adimpleta conditione requirit assensum; præsertim si in Matrimonio non spectetur ratio sola contractûs, sed & ratio Sacramenti; quæ unionem verborum Sacerdotis cum Partium consensu, si minùs physicam, at certè moralem requirit.

## §. II. *De Ministro Matrimonii, &c.*

Quæritur an contrahentes, annon Sacerdos sit hujusce Sacramenti Minister. Sit

CONCLUSIO. Probabilius est Sacerdotem esse Sacramenti Mamonii Ministrum.

Prob. Ille est Sacramenti Matrimonii Minister, qui solus est Minister benedictionis, ad conferendam hujus Sacramenti gratiam essentialiter requisitæ. Atqui Sacerdos; 1mo. est Minister benedictionis, quæ sponsis impertienda est, ut patet 1mo. ex Tertul. Lib. 2. ad Uxorem, ubi Fidelium Matrimonia *Ecclesia conciliat*, seu jungit, *& obsignat Benedictio.* 2do. Ex S. Ambrosio, Epist. 19. ubi sic: *Cùm ipsum conjugium velamine Sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat*, &c. 3tio. Ex Concilio Carthag. IV. cujus verba superiùs retuli cum aliorum PP. Textibus. 4to. Benedictio hæc non est ritus accidentalis,

cidentalis, sed essentiale aliquid, & conjugalis gratiæ productivum. 1mo. enim ritus gravis & constanter in Ecclesia observatus, non debet facilè præsumi accidentalis, præsertim in materia sacramentaria. Atqui benedictio conjugum & ritus est gravis, & in Ecclesia semper observatus, secundùm id Gan. 2. xxx. q. 5. *Nullus Fidelis occultè nuptias faciat, sed benedictione accepta à Sacerdote, publicè nubat in Domino.* 2do. Benedictio, vi cujus *Ecclesia* Matrimonium *conciliat;* & quâ *conjugium sanctificari oportet;* benedictio *pro* cujus *reverentiâ* sponsi ad certum tempus *in virginitate* permanere debent, & quæ sinè sacrilegio *nullâ transgressione* violari potest; benedictio quæ *aliis Sacramentis* annumeratur, & quâ seclusâ conjugium *humana* tantùm inter *officia* recensetur, seu est contractus purè civilis, hæc, inquam, benedictio nullos ritûs accidentarii, omnes verò ritûs essentialis characteres habet. Atqui ex dictis cap. 2. &c.

Prob. 2do. Pluribus è Conciliis, quæ antiquorum Ecclesiæ Doctorum mentem meliùs assecuta fuêre, quàm privati, quicumque ii sint, Theologi. Conc. Coloniense, anno 536. Part. 7. C. 40. *Quod,* inquit, *Sacramentum* Matrimonii, *si quis, sicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione confert donum Spiritûs, quo vir diligat uxorem amore casto, &c.* Atqui precatio, quâ confertur gratia, non est ritus merè accidentalis, sed ipsa Sacramenti forma, secundùm id Augustini: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Unde in Enchiridio, quod ejusd. Concilii jussu editum est, palàm dicitur *Sacerdotes legitimos hujus Sacramenti Ministros esse.*

Concilium Trident. Sess. 24. cap. 1. *Parochus,* inquit, *viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris,* &c. *Vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* Ex his sic: Sacerdos per verba hæc in dubio procul facit quod se facere testatur. Atqui testatur se virum & mulierem conjungere in Matrimonium, utique prout est Sacramentum, cùm de eo qua tali, non autem quatenus contractu, qui solâ Partium voluntate perfici potest, sermo sit in Concilio.

Concil. Cameracense anno 1567. C. 1 de Matrimonio *Cùm constet,* ait, *in Matrimonio habendam esse rationem Sacramenti & gratiæ, quam in illo consequuntur Fideles admonendos esse duximus Parochos hujus Ministros,* &c. ubi not. Patres penè omnes hujus Synodi Concilio Trident. interfuisse, atque adeò ex ejusd. mente locutos esse. Jam verò ab iis Ministrum nudè & simpliciter dici Sacerdotem, etsi ritûs meri, nullatenus autem Sacramenti ipsius Minister sit, nemo facilè intelliget.

Prob. 3tio. Rationibus Theologicis. I. Doctrina antiquior recentiori est anteponenda. Atqui recentior est doctrina, quæ contrahentes facit Matrimonii Ministros; cùm nè unus quidem prioribus decem seculis id admiserit: contra verò quotquot de Sacramento Matrimonii disseruere, simul de benedictione Sacerdotali, ut ad ipsum necessariâ, locuti sint.

II. Ex Decreto Eugenii IV. *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam formâ & intentione Ministri.* Atqui in opinione adversâ Sacramenta non constabunt necessariò verbis tanquam formâ: Signa enim & nutus non sunt verba. Atqui valet Matrimonium per solos nutus in mutis. Ergo falsum erit Sacramenta non minùs verbis constare quàm rebus.

III. Forma Sacramenti, utpotè à Christo instituta, est essentialiter opus Religionis. Atqui non ità est in opinione contrariâ. In hâc enim non solùm verba, sed facta & nutus sunt forma; unde quia ante Tridentinum sponsalia per copulam animo maritali factam transibant in Matrimonium, copula hæc erat Matrimonii forma. Atqui, ut piè Sylvius, nullam habet speciem veri, Christum pro Sacramenti formâ id instituisse, quod non potest absque gravi peccato fieri, qualis erat copula hæc quæ & à solâ libidine erat, & grave peccatum, utpotè pertinens ad clandestinum Matrimonium, ab Ecclesia semper improbatum.

Obj. 1mo. Ea sententia omninò tenenda est, quam per annos 400. tenuêre omnes Theologi. Atqui ante Canum Theologi omnes, uno dempto Guillelmo Paris. Episcopo, &c. Unde D. Soto de nostra opinione Scribit eam *nullum habuisse hactenus assertorem, sed disputatorem*: R. dist. maj. Quam tenuêre ut caput aliquod magni momenti, quòdque tenendum esse solidè probaverint, C. Quàm tenuêre solùm ut opinionem tempore suo longè communiorem, N. Cùm expenduntur Veterum sententiæ, duo attendenda; 1mo. quem iis gradum in ordine Fidei assignaverint; 2do. quibus illi asserta sua probationibus munierint. Quæ enim ad meras opiniones pertinent, nec aliunde quàm ex communiori Doctorum sensu probantur, ab Ecclesia sola infallibiliter definiri possunt. Jam verò nec antiqui Scholastici suam de Matrimonii Ministris sententiam aliter exhibent, quàm ut receptam suo tempore opinionem, nec eam vel à Scriptura vel à Traditione probant. Ergo opinio hæc ad inducem revocari potest. Quia, ut ait Bannes, *quod uno tempore occultatur, posteà per diligentiam & studium advenientium multoties innotescit.*

Confirm. 1mo. Quia suos sub ipsa hæc tempora vindices habuit

habuit opinio nostra, atque in primis Guillelmum Paris. Episcopum. Isnè porrò qui summâ cum laude Theologiam docuit, nullos habuit Asseclas? 2do. quia multò pluribus Veterum monumentis adstrui potest: contritionem perfectam, saltèm in certo nec mediocri gradu, olim ad Pœnitentiæ Sacramentum ab iis requisitam fuisse. Atqui non ideò prædictam opinionem reducent Adversarii. 3tio. Quia opiniones verè temerarias non tolerat diù Ecclesia. Atqui nostram eò usque suffert, ut jam in his saltèm partibus longè sit communior, prout & pluribus Conciliis longè est magis consentanea.

Obj. 2do. Ex Eugenio IV. *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus, per verba de præsenti expressus.* Unde sic: Ille est Minister Matrimonii, qui est ejusdem causa efficiens. Atqui contrahens uterque est Matrimonii causa efficiens: Siquidem ex Eugenio Matrimonium facit qui consentit. Atqui consentire non est Sacerdotis, sed contrahentium, quorum res agitur. R. dist. Causa efficiens Matrimonii est consensus mutuus positis ponendis, C. est consensus mutuus per se solum, N. Non magis mirum est, Eugenium solam tantùm Matrimonialis formæ partem expressisse, cùm de Matrimonii Sacramento locutus est; quam mirum sit eumdem, cùm de Ordine disseruit, solam ejus partem, eamque, juxta multos, tantùm accidentalem commemorasse. Atqui tamen Eugenius... Sic enim loquitur: *Ordinis materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* Et deinde: *Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis & mortuis,* ubi altum est silentium de manûs impositione, quam tamen ex Adversariis plerique ad Presbyteratûs constitutionem requirunt. Porrò si materiam ex toto, vel ex parte essentialem omittere potuit Eugenius, cùm de Ordine, quidni & omiserit, cùm de Matrimonio locutus est? Dicent fortè omissam ab eo manûs impositionem, quia Armenis nota esset. At dicam omissam fuisse nuptialem benedictionem, quia Armenis notissimam. Addam hanc indirectè expressam fuisse ab Eugenio: cùm enim generatim definiat Sacramenta essentialiter verbis perfici, & statuat Matrimonium sinè contrahentium verbis confici posse, necessum est ut ad ejus constitutionem verba Sacerdotis tacitè requirat.

Obj. 3tio. Ex Trident. Sess. 24. C. 1. *Clandestina Matrimonia,* proinde absente Sacerdote facta, *rata & vera fuêre Matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit.* Atqui Matrimonia rata inter Christianos, non solùm valent in ratione contractûs, sed & in ratione Sacramenti. Sic enim loquitur Innocentius

nocentius III. C. 7. *De divortiis. Matrimonium inter Fideles verum & ratum existit, quia Sacramentum fidei quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum.* R. 1mo. neg. maj. Quatenus supponit Matrimonia clandestina absque Sacerdotis concursu celebrata esse. Ut enim clandestina forent, satis erat, ante & post Trident. ut sinè testibus, præsertim verò insciis parentibus celebrarentur. Atqui poterant à Sacerdote benedici, & tamen celebrari sinè testibus, &c. Id autem in usu fuisse, & pluries à Conciliis prohibitum esse, liquet tum ex Arnaldo Pictav. Episcopo, qui in Statutis seculo XIV. editis prohibet sub pœna excommunicationis ipso facto: *nè quis Presbyter secularis, vel Religiosus, talia Matrimonia contrahentibus præsumat benedictionem impendere nuptialem;* tum ex Statutis Andegav. anno 1304. ubi hæc: *Nos volentes ... tales benedictiones clandestinè in quocumque loco præsumpserint celebrare, suspensionis ... vinculo innodamus.* Ergo falsum est, Matrimonia clandestina sinè concursu Sacerdotis celebrata fuisse.

R. 2do. neg. min. Nam rata quidem erant in ratione contractûs Matrimonia sinè Presbytero contracta, at non in ratione Sacramenti. Neque contrarium ex Innocentio III. probari potest; cùm in Textu ipsius nè unus quidem sit apex, qui eum de aliis quàm legitimis conjugiis locutum esse ostendat.

Obj. 4to. Trident. Can. 11. Sess. 24. sic habet: *Si quis benedictiones & alias ceremonias, quibus Ecclesia in nuptiis utitur, damnaverit, anathema sit.* Ergo benedictio quam Sacerdos nubentibus impendit, mera est ceremonia. R. neg. conseq. Ceremoniæ nomen latissimo sensu accipitur, & pro iis etiam ritibus qui essentiales sunt: unde qui de Missæ ceremoniis disputant, disputant de Consecratione, de Communione, &c. Nihil ergo fuit cur Tridentin. omnes Matrimonii ritus & ipsam benedictionem communi ceremoniarum nomine non appellaret.

Obj. 5to. Secundæ nuptiæ verum erat Sacramentum. Atqui secundæ nuptiæ olim sinè Sacerdotis ministerio celebrabantur; cùm eas benedici vetet Concilium Neocœs. anno 314. Can. 7. R. dist. Vetat Concilium Neocœs. nè secundis nuptiis impendatur benedictio accidentaria, C. Essentialis, Subd. Et tunc probari non potest nuptias illas vera fuisse Sacramenta, C. Secùs, N. Duplex in nuptiis primis datur benedictio: alia quæ essentialis est, & per quam Minister conjuges in Matrimonium jungit; accidentalis alia, quæ profertur post dictum *Libera nos.* Hæc secundò nubentibus non datur, quia habetur velut quædam ad mulieris fœcunditatem consecratio, quæ cùm jam

semel

ſemel facta ſit, & effectum ſuum produxiſſe ſupponatur, non judicatur eſſe repetenda. Quòd ſi quandoque vetuit auſterior diſciplina nè ſecundæ nuptiæ benedicerentur, negamus eas tunc Sacramenti propriè ſumpti rationem habuiſſe.

Obj. 6to. S. Congregatio Tridentini interpres declaravit verba, *Ego vos conjungo*, non pertinere ad ſubſtantiam Matrimonii. R. Declarationes nullas à Cardinalibus condi poſſe quoad Fidei dogmata, quia hæc ſibi Pontifex exponenda reſervavit: quæ verò ab iis circa mores dantur, ſuam alteri opinioni probabilitatem non adimere, niſi datæ ſint conſulto priùs Pontifice, prout ſtatuerunt Sixtus V. & Gregorius XIV. Atqui declaratio que ſtatuit Sacerdotem eſſe vel non eſſe Sacramenti Miniſtrum, pertinet ad dogma; nimirum ad quæſtionem quæ ex verbo Dei ſcripto vel tradito definiri poteſt. Ergo. Hinc ſententia noſtra Romæ etiam *publicè defenditur; quod & ipſe vidi dum ea in Urbe degerem, & ab aliis ex quò diſceſſi, non ſemel accepi*, ait Serryus. Hinc & Benedictus XIV. L. 7. de Synodo Diœceſ. C. 28. *De hac quæſtione*, inquit, *Eccleſia nihil hactenus pronuntiavit, ſed Theologorum diſputationi permiſit*, &c. Porrò in re diſputationi Theologorum permiſſa, id quiſque præeligere poteſt, quod coram Deo verius ac tutius judicaverit.

Inſt. In opinione noſtra, qui coram inopinante & ſilente Parocho contrahunt, civilem quidem ineunt contractum, at Sacramentum non efficiunt; idemque eſt de iis, qui in locis ubi recepta non eſt Tridentini diſciplina, clàm nubunt. Atqui tamen nec hos nec illos urget Eccleſia, ut coram Parocho conſenſum ſuum renovent: Ergo eorum Matrimonia, licèt ſine ſacerdotali benedictione contracta, pro veris Sacramentis habet. R. Non deſunt, qui Matrimonia clandeſtinè contracta in locis ubi non viget Tridentinum, coram Parocho renovari curent; eaque via, cùm potis eſt, ut melior tenenda videtur. Quod ad Matrimonia coram duobus Teſtibus, & Parocho renitente contracta, ea tam rara ſunt, tam ſeverè prohibita, ut mirum non ſit nihil de iis ſpeciatim eſſe præſcriptum.

Obj. 7mo. Si Sacerdos eſt Miniſter Sacramenti Matrimonii, verba Sacerdotis ſunt forma, quâ perficitur idem Sacramentum. Falſum conſeq. Si enim verba Sacerdotis ſunt Matrimonii forma, vel ea quibus Sacerdos nubentibus benedicit, vel iſthæc aut æquivalentia; *Ego vos inMatrimonium conjungo*. Atqui neutrum dici poteſt. R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. Et dico, nec verba ſola, *Ego vos conjungo*, nec benedictionem ſolam eſſe formam hujus Sacramenti, ſed verba, *Conjungo vos*, vel æquivalentia, ut *Sponſo vos*, vel *Matrimonium*

*per vos contractum ratifico*, &c. eſſe formam unà cum benedictione, quæ gratiam ſponſis conferat vel adprecetur; ſeu ad id ſufficiant ſolæ voces, *In nomine Patris*, &c. quæ juxta intentionem Eccleſiæ, cùm de Matrimonio agitur, Deitatis totius opem implorent; ſeu his verbis alia, quæ gratiam expreſſiùs ſignificent, & invocent, adjungi neceſſe ſit. Nec enim arguendus ſit, qui Matrimonii formam ad ultimum apicem non indicet, cùm id in aliis etiam Sacramentis, potiſſimè autem in Ordine difficillimum ſit. Cur autem ſola non ſufficiant verba, *Conjungo vos*, vel æquivalentia, ratio eſt, quòd ex dictis benedictionem nuptialem Antiquitas tota commendavit. Ergo huic prorsùs inſiſtendum. Ex præmiſſis ſit

Conclusio II. Materia Sacramenti hujus ſunt actus contrahentium: forma verò ſunt verba, quibus Sacerdos contractum hunc nomine Eccleſiæ ratihabendo benedicit.

Prob. 1. pars. Materia Sacramenti in eo benè reponitur, quòd cùm de ſe indifferens ſit ad eſſe duntaxat civile, vel ad eſſe ſacramentale, ad iſtud per formam determinatur. Atqui contrahentium actus, qui de ſe indifferentes ſunt ad permanendum in ratione contractûs civilis, per formam, ſeu per verba Sacerdotis determinantur ad acquirendum eſſe ſacramentale. Hinc ipſe S. Thomas, 3. par. q. 84. art. 1. *In illis Sacramentis quæ habent effectum correſpondentem humanis actibus, ipſi actus humani ſunt loco materiæ, ut accidit in Pœnitentia & Matrimonio.*

Prob. 2. pars. In eo reponenda eſt Matrimonii ut Sacramenti forma, quod Antiquitas tota ut potiſſimam ejus partem commendavit; cui Traditio gratiam in Chriſtiano Matrimonio collatam tribuit conſtanter; quod formam Sacramenti hujus eſſe aſſeruerunt quædam Concilia, nulla autem negaverunt. Atqui ex dictis Concl. præced. &c.

Prob. 2do. In materia Sacramentali ea tenenda eſt opinio, quæ tutior eſt, niſi contraria ſit longè probabilior. Atqui opinio quæ Sacerdotis verba ut eſſentialem formam requirit, indubiè tutior eſt, cùm nulli Sacramentum exponat periculo. Aliunde contraria opinio non eſt longè multò probabilior: imò nec æquè probabilis, ut ex dictis videre eſt. Ergo

An & quis Parochus ſit Matrimonii Miniſter, dicam ubi de impedimento clandeſtinitatis. Addam, occaſione difficultatis mihi nuper propoſitæ, Parochum cui commiſſa eſt ab Ordinario extraneos maritandi provincia, non poſſe officium illud, ſeu Vicario, ſeu Sacerdoti alii demandare, quia tunc meras delegati vices agit: Delegatus autem in cauſa particulari ſubdelegare non poteſt.

CAPUT

# CAPUT QUINTUM.

## *De proprietatibus Matrimonii.*

PRoprietates Matrimonii duæ recensentur à Catholicis, unitas scilicet & indissolubilitas; his necessitatem adjunxêre Pseudoreformati: contra quos sit.

CONCLUSIO. Matrimonium præceptum est communitati generatim sumptæ, non singulis ejus membris. Imò in Lege novâ, sanctior est vita cœlebs, quàm Matrimonii status.

Prob. 1. pars. Si voluit DEUS Mundum ad judicii tempus subsistere, voluit in eo esse hominum seriem, qui alii aliis succedant. Sed ad id opus est Matrimonio. Humana enim species nonnisi per sexuum commixtionem potest conservari. Atqui omnis sexûs commixtio extra Matrimonium est illicita.

Prob. 2. pars. Quia cùm scopus legis sufficienter obtinetur per præcipuam Communitatis partem, necesse non est, ut singula illius membra legem adimpleant, potissimè verò cùm eam implere singuli non possent sinè gravi Communitatis dispendio. Atqui speciei humanæ conservatio satis habetur per Matrimonia, prout à longè majori hominum parte contrahuntur. Aliunde grave subiret dispendium Communitas, si omnes ad Matrimonium tenerentur: ejus enim plurimi interest, ut quidam è suis vitæ contemplativæ vacent; * hæc verò *per Matrimonium maximè impeditur.*

Prob. 2do. Si nubendi præcepto tenerentur singuli, peccassent sanctiores quique, ut Josue, Elias, Elizæus, qui teste contra Jovin. Hieronymo, cœlibes permansêre. Impium consequens.

Prob. 3. pars. 1mo. Ex Math. 19. *Sunt Eunuchi qui se ipsos castrevarunt propter Regnum Cælorum: Qui potest capere, capiat:* ubi laudantur qui mercedis æternæ intuitu castitatem servant. 2do. Ex Apost. I. Cor. 7. v. 38. *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit; & qui non jungit, meliùs facit.* Et v. 8. *Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego.* Ergo Apostolus uti rem meliorem, quam ipse amplexus erat, cœlibatum suadet iis, qui ex Cœlesti auxilio futurum sperant, ut continenter vivere possint.

Obj. 1mo. Præceptum obligat quandiu non revocatur. Atqui primis parentibus, & in eorum persona cæteris hominibus

* *S. Thomas.*

nibus præceptum eſt Matrim. Gen. 1. ubi: *Creſcite & multiplicamini.* Ea verò lex nunquam revocata; imò confirmata fuit, I. Cor. 7. *Unuſquiſque uxorem ſuam habeat.* R. neg. min. Vel enim verba hæc, *Creſcite, &c.* non important præceptum, ut hinc colligi poteſt, quod & ad Belluas præcepti incapaces dicta ſint; vel pro eo ſolùm tempore præceptum importarunt, quo exigebat paucitas hominum, ut ad humanæ ſpeciei propagationem quilibet generationi vacaret. Textus Apoſtoli non ſonat legem, ſed indulgentiam, eamque non ad omnes, ſed ad ſolos conjugatos pertinentem: de his enim unis eo loci agit Apoſtolus, & docet v. 1. *bonum* eſſe *homini mulierem* ſeu uxorem propriam *non tangere*, ſed ab ea abſtinere; at non tamen, ut prædicabant quidam, diſcedendum à conjugibus legitimè ante ſuſceptam Chriſti fidem ductis.

Obj. 2do. Non poteſt Matrimonio renuntiare, niſi qui certus eſt ſe ſummum continentiæ donum habere. Atqui nemo certus eſſe poteſt, &c. R. diſt. min. Nemo qui temerè, nec conſultis in oratione propriis viribus, caſtitatem ſpondet, certus eſſe poteſt, &c. C. Nemo poſitis ponendis, Subd. Nemo certus eſſe poteſt certitudine metaphyſicâ, C. Certitudine morali, quam in agendis Deus nobis ſufficere voluit, N. Ut enim auxiliante Domino quiſque confidere poteſt futurum, ut ſolâ ſuâ uxore contentus ſit; etſi, teſte Auguſtino & conjugatis pleriſque, faciliùs ſit vivere cœlibem, quàm intra Matrimonii unius limites conſiſtere; ſic & qui gratiæ impulſu ad continentiæ ſtatum movetur, confidere moraliter poteſt ſe in eo, mediantibus oratione, & mundi ac præſertim mulierum fugâ, ad finem uſque eſſe perſeveraturum.

Contingere tamen poteſt, ut quis etiam ſub mortali ad conjugium teneatur, ut ſi pax vel Religio ſervari non poſſint, niſi Regia Stirps propagetur. Jam de veris conjugii proprietatibus.

## §. I. *De Unitate Matrimonii.*

Unitas Matrimonii, quæ *Monogamia* dicitur, eſt unius tantùm cum unâ ſolâ conjunctio. Huic opponitur *polygamia*, quâ unus plures ducit uxores; vel ſucceſſivè, vel ſimul, ut olim Patriarchæ, & nunc Muſulmani. Quæritur an hæc omnia vel olim, vel nunc licita ſint. Sit

Conclusio I. Polygamia ſimultanea non repugnat ſimpliciter Juri naturali; eidem tamen repugnat ut aliquid minùs perfecti.

Prob. 1. pars. Quod ſimpliciter Juri naturali repugnat, eſt intrinſecè malum, & quà tale nunquam permitti poteſt. Atqui

polygamia

polygamia simultanea non est aliquid intrinsecè malum: cùm à Deo permissa fuerit, ut infrà dicemus; & non violet vel primarios conjugii fines; cùm homo unus pluribus fœcundandis uxoribus sufficiat, & plurium filiorum educationi invigilare possit; vel secundarios, qui in sociali vita & mutuis obsequiis consistunt: cùm rixosa una mulier & difficilis, multò plus domesticæ tranquillitati obsit, quàm duæ pacificæ. Quòd si identidem eas inter suboriantur jurgia, vir, ut caput, eas inter, ut inter domesticos & filios, pacem componet.

Prob. 2do. Ex PP. Hieronymus, Epist. 82. *Sciebat* Apostolus *Lege concessum, & exemplo Patriarcharum ac Moysi familiare Populo noverat, in multis uxoribus liberos spargere.* Augustinus L. de Bono conjug. cap. 17. *Plures feminas uni viro legimus, neque enim contra naturam nuptiarum est.* Theodoretus, q. 67. in Gen. Abraham ab omni culpa excusat, quia non libidinis, sed prolis desiderio, duxerit Agar: *Maximè*, inquit, *cùm neque natura, neque Lex ulla tum scripta, plures ducere uxores prohiberet.* Jam verò quod Lege concessum est, & non magis à natura quàm à Lege scriptâ prohibitum erat veteribus Patriarchis, illud Juri naturali, ut intrinsecè malum, non adversatur.

Prob. 2. pars. Quod obest nè natura finem suum tam perfectè assequatur, id eo sensu Juri naturali adversum, vel potiùs minùs congruum dici potest. Atqui polygamia... Hæc enim 1mo. difficiliorem reddit numerosæ prolis educationem. 2do. Minus favet paci domesticæ, cùm ex ea nascantur rixæ inter conjuges, & zelotypia, ut patet exemplis Saræ & Agar, Gen. 2. Liæ & Rachelis, etsi sororum, Genes. 25. Annæ & Phenennæ, I. Reg. 1.

Confirm. Quod deficit à prima institutione, quæ sanè naturali Juri consentanea erat, utcumque deficit à Jure naturali. Atqui polygamia.... Deus enim tum verbo, tum & facto ostendit eam esse Matrimonii perfecti naturam, ut unus uni tantùm jungeretur. Facto quidem, cùm unicam Adæ uxorem creavit: Verbo autem, cùm per os Protoparentis dixit: *Erunt duo in carne una; duo* inquam, non tres aut quatuor *in carne unâ.*

Obj. contra 1. part. 1mo. Jure naturali necessaria est in omni contractu æqualitas. Atqui non viget ea æqualitas in conjuge polygamo. Postulat enim æqualitas, ut vir totum se tradat feminæ, sicut se femina totam tradit viro: Id autem non facit polygamus. R. ad 1. neg. min. Ad æqualitatem enim conjugalem sufficit, ut maritus se tradat uxori, quantùm sufficit ad fœcunditatem ejus, & debitam in ceteris omnibus

sustenta-

sustentationem. Adqui id non impedit polygamia sapienter instituta. Imò fœcunditati uxoris, ac prolis sanitati consulit, quatenus à muliere jam gravidâ retrahit, & in aliâ permittit remedium concupiscentiæ.

Obj. contra 2. part. Jus naturale aliquando præcipit, ut vir uxorem secundam ducat primâ vivente; puta si hæc sterilis sit, & exigat Reipublicæ bonum, ut Princeps Regni sui hæredes relinquat. R. neg. ant. Rebus enim integris, & nondum inducto polygamiæ usu, satius fuisset, ut Princeps Regni sui fortunam Deo committeret, quàm ut secundam, priori superstite, uxorem duceret; præsertim cùm potens sit Deus ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, ut Abrahæ ipsi è vulvâ Saræ jam emortuâ filium suscitavit. Quare fatendum polygamiam primæ institutioni adversari: cùm Deus unam tantùm uxorem ad Adamum adduxerit. Unde S. Hieronymus Epist. 85. *Etiam de Paradiso expulsus Adam unam habuit uxorem. Primus Lamech maledictus & sanguinarius, & de Cain stirpe descendens, unam costam divisit in duas, & plantarium digamiæ protinùs diluvii pœna subvertit.*

Dubitari tamen possit an Patres omnes; Augustinus præsertim & Theodoretus, tam durè de polygamiâ ipsius Lamech sensissent, cùm generatim eam nullâ Lege prohibitam esse dicant. At eorum verba ad tempus Patriarcharum referri possunt. In rebus enim non absolutè malis idem quandoque prohibetur, quandoque toleratur. Quod ut magis innotescat, videndum an polygamia in veteribus Patriarchis fuerit peccatum, saltèm materiale, an iisdem à Deo simpliciter fuerit permissa. Sit

Conclusio II. Veteribus Patriarchis, quin & Judæis omnibus, permissa est à Deo uxorum pluralitas.

Prob. 1. pars. 1mo. Quia nemo sibi persuaserit Abraham, Dei amicum, ac penè familiarem, & cujus semini, tam ex Agar quàm ex Sarâ concepto, benedixit, Genes. 17. nemo, inquam, sibi in animum induxerit, magnum illud pietatis exemplar in adulterio materiali partem vitæ maximam traduxisse, nec ab eo peccato mundatum fuisse, nisi quomodò à ceteris suis ignorantiæ peccatis mundabatur. Etsi enim justi ex ignorantiâ peccant, at non eo usque sibi derelinquuntur, ut adulterium habeant pro concubitu legitimo. Nec dubium quominùs qui Saram intempestivè ridentem corripuit, Genes. 18. 15. Abraham ab ipsâ materialis adulterii specie deterruisset. Hinc S. Ambrosius, etsi ceteris Patribus durior, fatetur tandem L. de Abraham, cap. 4. Abrahæ conjugium cum Agar non fuisse *peccatum*, sed *mysterium*; per quod ex Apostol. Galat. 4. 22. significa-

significabatur, Deum populos duos habiturum, unum è Synagogâ, qui per Ismaël filium Agar, alium ex Ecclesiâ, qui per Isaac filium Sara repræsentandus esset.

Prob. 2. pars. 1mo. Quia Lex Mosaica nullibi polygamiam prohibet; imò non obscurè confirmat Deut. 21. v. 16. 2do. Quia viri pii & à Deo insigniter benedicti plures simul uxores habuerunt. Sic I. Reg. 1. 2. *Elcana habuit duas uxores:* Sic Davidi II. Reg. 2. v. 2. *Fuerunt duæ uxores Achinoa & Abigail.* Sic II. Paralip. cap. 24. *Fecit* Joas Rex Juda *quod bonum est coram Domino: Accepit autem ei Jojada uxores duas.* Atqui non dedisset ei Princeps Sacerdotum, vir pius, uxores duas, si secunda sinè adulterio, & violatæ Legis crimine haberi non potuisset.

Obj. 1mo. Genes. 25. v. 6. *Dedit Abraham cuncta quæ possidebat Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera.* Ubi ceteræ præter Saram feminæ pro vilibus scortis habentur. R. Concubinæ nomen, quod ex usu pridem recepto inhonestam mulierem sonat, apud primi temporis Judæos veram, sed secundi ordinis, conjugem significasse, quæ procreandæ sobolis causa ducebatur, ità ut & primariæ uxoris ancilla esset, & nullum jus ad hæreditatem paternam haberet, si fortè primaria conjux liberis donaretur, prout Saræ jam vetulæ contigit. Patet id, 1mo. quia Agar & Cethura, quæ in objecto Textu vocantur concubinæ, alibi simpliciter dicuntur uxores. Agar quidem Gen. 16. 3. Cethura verò Genes. 24. 1. 2do. Quia Judic. 19. Levità *accepit sibi uxorem concubinam de Bethleem Judæ;* & hæc tamen una erat eidem Levitæ uxor. Ergò concubina uxorem significat, sed absque solemnitate & dote ductam; licèt penè aliter S. Leo sensisse nonnullis videatur.

Obj. 2do. Quod Salomoni gravem in culpam versum est, non vacavit à peccato. Atqui uxorum pluralitas III. Reg. c. 11. &c. R. dist. min. Uxorum alienigenarum pluralitas versa est Salomoni in peccatum, C. Uxorum per se pluralitas, Subd. Pluralitas ad scandalum multiplicata, C. Secus, N. Meritò in grave crimen imputatum est homini tot beneficiis cumulato, quòd *jam senex adamavit mulieres alienigenas multas;* ità ut, quod nec sibi Turca indulgeat, fuerint *ei uxores quasi Reginæ 700. & concubinæ 300.* At si intra patris limites stetisset, non inde magis quàm pater reprehensioni fuisset obnoxius.

Conclusio III. Christus polygamiam simultaneam abrogavit.

Prob. 1mo. Ex Matth. 19. interrogatus à Pharisæis Christus, an liceret homini *dimittere uxorem suam quacumque ex causa,* sic respondet: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Dico

*autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Et Marc. 10. simpliciter: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Unde sic 1mo. Qui Matrimonium revocat ad primævam originem, in qua duo tantùm erant in carne unâ, is polygamiam omninò tollit. Atqui Christus, &c. 2do. Qui pro adultero habet eum qui dimissâ uxore suâ aliam ducit, à fortiori pro adultero habet eum, qui retentâ uxore suâ novam ducere audet. Atqui summus Legislator, &c.

Prob. 2do. Ex Concil. Milevitan. c. 17. *Placuit ut secundùm Euangelicam & Apostolicam Disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.* Ergo vetat Evangelica Lex nè qui uxorem semel habuit, conjungatur alteri eadem vivente. Idem docent Ambrosius, Hieronymus, & ceteri ad unum omnes. Meritò igitur Trident. Sess. 24. Can 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Ubi percelluntur tum Anabaptistæ, fœda Lutheri propago, tum Lutherus ipse, qui in c. 16. Genes. scripsit se polygamiæ *consuetudinem nec introducere velle, nec improbare posse.*

Obj. 1mo. Valentinianus Senior, ex Socrate, L. 4. c. 26. Lege sanxit: *ut cuicumque volenti liceret duas habere uxores legitimas, eamque in singulis civitatibus divulgavit.* R. 1mo. Id si factum est, pessimè factum esse. R. 2do. Socratem in hoc capite non secùs ac in aliis plurimis errasse, 1mo. quia fictitiam hanc Legem altô pressêre silentiô Sozomenus, Theodoretus, & qui Valentiniani gesta fusè recenset Ammianus; 2do. quia dubio procul reclamassent Patres ejusdem ævi, qui nec Theodosiis ipsis parcebant. Porrò nequidem de illâ Lege verbum habuêre Hieronymus, Orosius, &c. 3tio. Quia Justinam à Valentiniano post mortem Severæ ductam esse constat; eamqs non virginem, ut frigidè mentitur Socrates, sed Magnentii Tyranni viduam.

Obj. 2do. Gregorius II. consultus de marito cujus mulier, quia infirma, debitum reddere non poterat, novas ei nuptias concedit, Epist. 14. Ergo. R. neg. Conf. In illo enim Greg. Textu sermo est de feminâ quæ Matrimonio impotens erat, quæ proindè nusquam verè fuerat uxor illius, cui ab ipsa discedere permittit Rom. Pontifex. Quòd autem vetat Gregorius nè vir ille *subsidii opem subtrahat* ab ea quam deserit; non vetat eò quòd illa verè fuerit uxor, sed quòd inops esset, nec sibi propter infirmitates victum posset comparare. Ex

Ex his sequitur Evangelicam Legem, quæ polygamiam abrogat, ad ipsos etiam Ethnicos pertinere. Et reipsa Lex illa universalis est: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mæchatur.* Aliunde Christus, cui *omnis data est in Cælo & in terrâ potestas,* in omnes prorsus homines jurisdictionem habet. Fieri tamen potest, ut Infideles ob ignoratam invincibiliter Evangelii Legem, ab adulterio formali excusentur.

Conclusio IV. Polygamia successiva, tam mulieri quàm viro, licita est sub Evangelii Lege. Ità omnes contra Montanistas.

Prob. 1mo. Ex Apostol. I. Cor. 7. v. 8. *Dico autem non nuptis & viduis: Bonum est illis si sic permaneat,* cœlibes nempe, *sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant,* &c. Sed qui permittit viduis ut nubant; is licèt nuptias primas vel secundas minùs amet quàm cœlibatum, utrasque tamen habet pro maximè licitis.

Prob. 2do. Ex Conciliis: Nicænum 1. Can. 8. *Eos qui se catharos, id est puros nominant, si aliquando ad Ecclesiam redierint, scripto profiteri oportet, quòd Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant, id est & bigamis se communicare.* Laodicenum, Can. 1. *De his qui secundùm Ecclesiasticam regulam liberè ac legitimè secundis nuptiis juncti sunt, oportet ut, parvo tempore transacto, vacent orationibus & jejuniis; quibus etiam, juxta indulgentiam, Communionem reddi decrevimus.* Ergo subjiciebantur equidem pœnitentiæ, qui secundis nuptiis jungebantur, at eæ tamen & *legitimæ* censebantur, & *secundùm Ecclesiasticam regulam* contrahebantur.

Prob. 3tio. Si vetita sit polygamia successiva, vel Jure naturali, vel divino, vel humano. Atqui non Jure naturali: cùm nec fini Matrimonii, nec ejus essentiæ adversetur. Non Jure divino. Illud enim in veteri, & novâ Lege continetur. Neutra porrò secundas nuptias reprobat. Lex enim Mosaica præcipit ut Judæus quivis, seu virgo sit, seu viduus, viduam fratris sui sinè liberis defuncti in uxorem ducat. Neque id in Evangelio redarguit Christus, ubi tamen obvia se dabat ejusdem redarguendi occasio. Non jure humano, saltèm generaliter in Ecclesiâ recepto, & quod rem intrinsecè malam demonstret.

An autem vetus Ecclesia trigamiam speciali lege irritam fecerit, ambigunt eruditi. Duo constant, 1mo. trigamos *tribus & sæpe quatuor annis* pœnitentiæ publicæ subjacuisse, ut patet ex Epist. S. Basilii ad Amphiloch. 2do. Patres, præcipuè Græcos, durè admodum de trigamis locutos esse; & tamen horum verba sæpius sic intelligi posse, ut non tam nuptias ipsas in se impetant, quàm libidinem ex quâ contrahi solent.

Sed de his adeantur Prælectiones nostræ, Tom. XIV. pag. 696. & seq.

## §. II. *De Indissolubilitate Matrimonii.*

Matrimonium consummatum certam Jure divino firmitatem habere docet id Christi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Quæritur an ideò nunquam dissolvi possit: quod ut innotescat agendum; 1mo De infidelium. 2do. De Judæorum conjugiis.

### *An Infidelium conjugia solvi possint.*

Certum est 1mo. ex dictis cap. 2. Matrimonia ab infidelibus nullo impedimento irritante ligatis contracta, legitima esse & valida.

Certum est 2do. Matrimonium Gentilis conversi non dissolvi ipso facto per conversionem ejus, tametsi alter converti nolit. 1mo. Quia ex Innocentio III. c. 8. *De divort. Per Baptismum non solvuntur conjugia.* 2do. Quia grave esset scandalum, si quis in Indiâ hodie baptisatus novum cras iniret Matrimonium, non admonitâ uxore; non interrogatâ saltèm, an Fidei Christianæ mysteria edoceri velit. Quæstio igitur est: an & quando Matrimonium istud ab infideli converso dissolvi possit.

R. Matrimonium Gentilis conversi ipso facto dissolvi, seu per novum quod contrahit Matrimonium, seu probabiliter per Professionem Religiosam; saltem quando alter eidem pacificè cohabitare recusat, aut nonnisi cum contumeliâ Creatoris cohabitare vult, aut conversum conjugem ad mortale peccatum trahere nititur. Porrò *cohabitare recusat*, qui à Parte conversa recedit; cohabitat *cum contumelia Creatoris*, qui in verba blasphemiæ contra Religionem prorumpit; eave coram conjuge opera infidelitatis exercet, quæ teneram ejus fidem labefactare possint: demùm ad *mortale peccatum trahit*, qui peccatum ei inspirat quâdam persuasione quæ sit vehemens, attentâ novelli conversi fragilitate.

Prob. 1. pars. Ex Apost. 1. Cor. 7. 15. Ubi hæc: *Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Atqui servitus à quâ immunis est Pars conversa, nihil aliud est quàm vinculum Matrimonii; sicut lex cui *alligata est mulier* vivente viro, est ejusdem Matrimonii vinculum. Unde Innocentius III. c. 7. *De divortiis: Si alter infidelium conjugum ad Fidem Catholicam convertatur.*

altero

*altero vel nullo modo, vel non sinè blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat in peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit.* Et in hoc *casu intelligimus quod ait Apostolus: Si Infidelis discedit,* &c. Atque id Christus pro summa suâ sapientiâ constituere debuit. Alioqui vir, quia Fidem amplexus esset, vel perpetuæ continentiæ oneri, quod multis durum est, subjacuisset; vel tota vita cum comparte adversus Christum blasphemante, aut ad peccatum dictis vel factis trahente, commorari debuisset, cùm perpetuo lapsûs scandalive periculo.

Prob. 2. pars. Quod vinculum fortius disrumpit, minùs forte disrumpere debet. Atqui Professio Religiosa disrumpit Matrimonium Christianorum antè ipsius consummationem; quod quidem vinculum est fortius quàm Matrimonium in infidelitate consummatum; cùm istud per Matrimonium simpliciter ratum infidelis conversi solvatur. Ergo hic valet istud Legis effatum; *Si vinco vincentem te,* à fortiori *vincam te.*

Obj. contra 1. part. Non magis Matrimonia Infidelium dissolvuntur per conversionem alterutrius, quàm Matrimonia Fidelium dissolvi possint per hæresim vel apostasiam alterutrius. Atqui.... Minor patet ex Trident. Sess. 24. Can. 5. ubi sic: *Si quis dixerit propter hæresim dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.* Major non minùs aperta est: Eadem enim hic urgent incommoda, ex quibus nitimur persuadere Matrimonium à Fideli converso dirimi posse. Ut enim is cœlebs vivere cogeretur, sic & ille cum gravi lapsûs periculo. R. neg. maj. Disparitas est ex Innoc. III. ibid. quòd *etsi Matrimonium verum inter Infideles existat, non est tamen ratum,* neque Sacramentum: *inter Fideles autem verum & ratum existit,* & Sacramentum; adeoque postquam semel consummatum, nullâ potest ratione dissolvi; *quia Sacramentum Fidei* nempe Baptisma, *quod semel est admissum, nunquam amittitur, & ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret,* adeoque & post apostasiam, quia post eam perdurat etiam Baptismus. Adde quòd Matrimonium à baptisatis initum & consummatum ex institutione Christi significat indissolubile Christi vinculum cum Ecclesiâ per Incarnationem; ad quod requiritur ut omnimodis indissolubile sit. Hinc quidem quandoque nascuntur incommoda: Verùm hæc ex pacto quodam acceptata sunt: aliàs conjugium ex perpetuo alterius partis morbo dissolvi posset.

Obj. contra 2. part. Nullo Jure constitutum est, quòd Fidelis conversi Matrimonium per Religionis Professionem dirimatur. Ergo. R. dist. ant. Nullo Jure constitutum est explicitè,

citè, C. implicitè N. Statim enim ac Jure constitutum est Matrimonia Infidelium, licèt consummata, non esse rata; Fidelium verò rata esse, & tamen per Professionem Religiosam dissolvi; non obscurè à fortiori constitutum est Matrimonia quæcumque Infidelium per eamdem Professionem ab alterutro emissam dirimi. Quia tamen opinio hæc non est adeò certa, difficilè permittendum, fortè nunquam, ut Infidelis conversus Religiosum statum amplectatur, quandiu uxor ejus superest in vivis. Quòd si id fecerit, & uxor ejus postea convertatur, seu novum ipsa conjugium inierit, seu non, nihil melius factu, quam ut Papa interrogetur, an maritus ejus ad ipsam reverti debeat.

Quæres 1mo. An sicut Fideli converso novum inire Matrimonium licet in casibus suprà memoratis, sic & liceat infideli. R. Id quidem licet Infideli, cùm Fidelis novas nuptias celebravit, quia posterius hoc Matrimonium est concomitanter dissolutio prioris. At anteà non licet, quia secundi conjugii facultas tantùm concessa est in favorem Fidelis.

Etsi verò negat Sanchez opus esse sententiâ judicis, ut in his casibus fidelis aliud conjugium ineat, melius tamen, ac utriusque conjugis saluti tutius est, ut nihil fiat inconsulto Episcopo, vel saltèm Neophyti Directore. 1mo. Quia cùm semel ad novas nuptias deventum est, jam penè desperata est conversio sponsi infidelis; quandiu verò res sunt integræ, sperari potest hunc legitimo conjugis amori cessurum esse. Ad id autem multùm conferre possunt sapientis Directoris monita. 2do. Quia non licet ad novas nuptias transire, nisi Pars Infidelis sufficienter monita fuerit, an velit converti, &c. Atqui meliùs judicabit Antistes vel Director, quàm alius, an præcesserit monitio sufficiens. 3tio. Quia hæc penè una est via impediendi quominus Pars Catholica præpropero ad novum Matrimonium transitu, hoc magis quàm ipsam Fidem inhiasse videatur.

Si infidelis tempus ad deliberandum postulet, expectandum erit, donec rem totam perpenderit. Quòd si de die in diem moras de industriâ nectat; erit ei certum & idoneum tempus præfigendum, quo semel elapso non detur regressus. Id autem nemo faciet consultiùs quàm legitimus Pastor.

Quæres 2do. An Infidelis qui tres ante Baptismum habuit uxores, quæ omnes ejus exemplo Fidem amplexæ sunt, ex iis quam volet retinere sibi valeat. R. Cum S. Thomâ in 4. dist. 39. *Non est verum Matrimonium Infidelis, nisi cum illâ cum quâ primùm contraxit: unde si ipse cum omnibus suis uxoribus convertatur, potest* & debet, aliis abjectis, *cum primâ cohabitare*, etiamsi hanc secundùm legem suam repudiasset:

Quia

Quia repudium illud, utpotè Lege divinâ jam prohibitum, nullius est momenti.

Quæres 3tio. an si uxor convertatur postquam vir ejus cum Fideli contraxit, teneatur is ad eam post secundæ mortem reverti. R. negat. Matrimonium enim semel dissolutum nullam amplius vim habet: proinde ad nihil respectu uxoris dimissæ obligat.

Quæres 4to. an proles sequi debeat conversum, an infidelem. R. cum S. Thomâ, ibid. *Proles aut pervenit ad perfectam ætatem & tunc poterit liberè sequi patrem Fidelem, vel matrem Infidelem*, (quia nemo ad Fidem cogendus est, licèt ad eam omnimodis sit alliciendus) *vel est in minori ætate constituta, & tunc debet dari Fideli*, nè ab infideli pervertatur.

Quæres 5to. an Judæus ad Fidem conversus, ut ambages ab uxore suâ sibi suscitandas devitet, possit ei scribere libellum repudii. R. *destabilem hunc abusum* á Benedicto XIV. proscriptum esse an. 1747. Et verò libellus ille repudii eò peccat, quòd Matrimonii alterius licentiam concedit, quam nemo jam concedere potest, cùm à Christo sit revocata. Quæ autem ejus olim vis fuerit nunc expendendum.

## *De Libello repudii.*

Constat repudium Hebræis in exteriori foro certis de causis fuisse permissum, Deuter. 24. 1. ubi Moyses: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam*, (id est, *cohabitaverit ei*, ut vertunt LXX.) *& non invenerit gratiam ante occulos ejus propter aliquam fœditatem, scribat libellum repudii, & dabit in manu illius & dimittet eam de domo suâ, cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoquè oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo suâ, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem; quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino.* Sed controvertitur an repudium illud coram Deo ab omni peccato immune foret. Negant non pauci cum Estio. Asserunt plures cum Bellarmino. Sit.

Conclusio I. Matrimonii per repudium dissolutio, non tantùm in Judæis tolerata fuit, sed iisdem, dispensante Deo, licita.

Prob. 1mo. Quia Juxta Augustini regulam, Scripturæ verba, ea maximè quæ continent Leges, quibus nihil obscuri subesse debet naturali sensu, quantùm licèt, intelligi debent. Atqui citata Moysis verba, obvio sensu accepta, non significant meram

minoris mali ad fugiendum majus permissionem, sed veram facultatem juris. Neque aliter loquitur Moyses, cùm res proponit, quas Adversarii licitas esse fatentur.

Prob. 2do. ex his ibidem verbis: *Cùmque egressa à priori marito alterum maritum duxerit, & ille quoquè eam dimiserit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.* Atqui si per repudium non solvebatur Matrimonium prius, nec simpliciter dici poterat *maritus*, qui eam secundo loco duxerat, sed scortator, nec piè eam ad se redeuntem suscipere prohibebatur prior, isque duntaxat, ex Adversariis, verè maritus. Quid enim iniquum magis, quàm prohibere, nè vir gravissimi sceleris injustitiam resarciat?

Prob. 3tio. Quia fieri non potuit ut divina Lex * adulteria publica toleraverit; cùm vel ipsam adulterii suspicionem aquis zelotypiæ subjiceret. Atqui tolerasset tamen, si libellus repudii non dissolvisset Matrimonium; cùm dimissa ab uno conjux palàm nuberet alteri. Et verò quis concipiat, nec Moysen, nec Prophetas, qui tot alia longè gravia minùs, ut accessum ad menstruam, tam severè carpebant, nusquam hæc, quæ cum repudiatis tam frequentia erant, adulteria corripuisse. Atqui tamen nullibi adversùs ea, quantùm ad ipsam substantiam insurrexerunt.

Obj. 1mo. Id Christi ad Pharisæos Matth. 19. *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic.* Unde in formâ: Quod tantùm permissum est ad duritiam cordis, & contrarium erat primævæ institutioni, permissum non fuit ut licitum ad excusationem culpæ, sed ut minus malum ad immunitatem pœnæ. Atqui repudium &c. R. neg. maj. Aliud est enim rem permitti ad duritiam cordis, quæ mala est; aliud rem quæ permittitur esse malam; nec semper hæc, quia primævæ institutioni contraria sit, ideò mala est; quia primæva institutio, licèt naturæ consentanea magis, dispensationem admittere potest. Sic jampridem per Quadragesimam permittitur cœnula vespertina, licèt ab initio non fuerit sic: Et hæc tamen licèt ad duritiam cordis permissa, non solùm pœnæ immunitatem habet, sed & excusationem culpæ; quia Ecclesia, ut filiorum suorum infirmitati consuleret, legis suæ severitatem temperavit. Atqui pariter potuit Deus, ut Judæorum infirmitati consuleret, primævæ Matrimonii institutionis rigorem moderari.

Obj. 2do. Si valuisset in conscientiâ libellus repudii, uxor dimissa potuisset sinè peccato ad novas nuptias transire. Atqui non poterat, utpotè quæ ob novas nuptias *polluta* foret *& abominabilis*

* Num. 5.

*minabilis coram Domino*; ut patet, tum ex citato Deuteron. Textu, tum ex Jeremiæ 3. v. 1. R. ad 1. neg. min. Ad. 2. R. Hebraica, Chaldaica, & LXX. Versio legunt, *quia abominatio hoc est coram Domino*; id est, quia orbicularis ille nuptiarum regressus, per quem, maritus alteri uxorem suam ad tempus commodare videtur, est quid coram Domino abominabile, fucatique tantùm divortii, veri autem lenocinii rationem habet. Uxor ergo dicitur *polluta* per semen secundi viri, à quo cognita est, ut explicat Cor. à Lapide.

Nec est quòd objiciatur Malachias cap. 2. v. 16. Is enim non redarguit Judæos ex eo uno quòd uxores suas dimitterent, sed quia dimitterent sinè causâ; & sæpe ut Ethnicas ducerent. Patet id ex v. 11. *Habuit Juda filiam* cultricem *Dei alieni*; atque ut eò perveniretis miseri, *operiebatis lacrymis altare Domini, fletu & mugitu* uxorum iniquè repudiatarum, *ità ut non respiciam ultra ad sacrificium vestrum.*

Obj. 3tio. Latum esse debet discrimen conjugium inter & liberam fornicationem. Atqui nullum fuisset in hypothesi nostrâ: Ut enim viro ab uxore ad uxorem, sic uxori à viro ad virum transire permissum fuisset. R. neg. min. 1mo. Quia fornicatio ab objecto in objectum currit, filiosque, si parit, parit illegitimos, nec eis providere satagit: Secùs in Lege Mosaicâ, ubi & ritus ad divortium præscriptos servari oportebat, & filii pariebantur legitimi, & iis providebatur. 2do. Quia divortium nonnisi gravibus de causis, & quidem à viro solo, fieri poterat, iisque à Judice approbatis; quæ omnia nescit fornicatio.

Non objicimus Patres; quia cùm alii ab aliis dissentiant, ut & Interpretes, nihil certi ex eis inferri valet.

### *An Matrimonia solvantur per adulterium?*

Asseruit an. 1515. Erasmus. Asseruit & post Lutherum Calvinus, qui L. 4. Institut. c. 19. *tyrannicam* vocat Legem, quæ *viro, qui adulteram repudiaverit, alteram inducere non* permittit. Hos errores protrivit primùm in Erasmo Facultas Paris. an. 1526. in aliis verò Trid. Synodus, Sess. 24. Can. 5. & 7. Utroque hoc sacri Concilii Decreto litem hanc quantùm ad Catholicos dirimi oportuerat. Sed non ità res cesserunt. Launoius siquidem in Tract. de Regiâ in Matrim. Potestate demonstrare nititur vinculum conjugale propter alterius conjugis fornicationem dissolvi posse. Ut autem à Trid. definitione se tueatur, contendit quæstionem de solubili vel insolubili per adulterium Matrimonio, atque editum eâ de re Canonem, non

ad

ad dogma ſpectare, ſed ad diſciplinam, quam pro jure ſuo, immutare potuit ſacra Synodus. Hæc Launoii opinio favet admodùm Græcis, qui Matrimonia quoad fœdus propter adulterium jam pridem dirimunt. Sit

Conclusio. Vinculum conjugale non diſſolvitur propter adulterium Partis alterius.

Prob. 1mo. ex Scripturâ. Marci 10. 11. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit mæchatur. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mæchatur.* Luc. 16. 18. *Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mæchatur, & qui dimiſſam à viro ducit, mæchatur.* Unde ſic: Qui abrogando repudii licentiam, ſtatuit generatim nec virum ab uxore, nec uxorem à viro jam poſſe dimitti; ſtatuit conſequenter dimiſſionem hanc nè adulterii quidem causâ fieri poſſe. Atqui Chriſtus ... Voces enim *omnis* & *quicumque*, ut neminem excipiunt, ſic nec ullam cauſam excipiunt. Unde eaſdem ponderans Auguſt. L. I. de adult. Conjug. C. 9. *Qui ergo nos ſumus,* inquit, *ut dicamus, eſt qui mæchatur uxore ſua dimiſſa alteram ducens; & eſt qui hoc faciens non mæchatur; cùm Evangelium dicat omnem mæchari, qui hoc facit?*

Idem confirmat Apoſt. Roman. 7. 2. ubi: *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum altero viro.* Et I. Cor. 7. *Iis qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Unde ſic: Qui repetit Matrimonium ex Domini præcepto ſolâ morte dirimi, ità ut mulier â marito diſcedens, (utique gravibus de cauſis, quas inter primo loco eſt adulterium) debeat manere innupta, niſi viro ſuo reconciliari malit; ille conſequenter docet vinculum conjugale non diſſolvi per adulterium. Atqui Apoſtolus ... Unde Auguſt. ibid. Lib. 2. c. 5. *Hæc verba Apoſtoli toties inculcata, vera ſunt viva ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit. Eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir ejus, non ſi fornicetur.*

Prob. 2do. ea ſententia teneri debet, quam Patres omnes demptis tribus aut quatuor, tenuere. Atqui demptis Tertulliano, Origene, Epiphanio, & fortè Baſilio: qui inter ſe non conſentiunt * ceteri apertè negant conjugium ex adulterio diſſolvi. E Græcis tres, quatuor è Latinis proferimus. Hermas L.

2.

* Origenes bigamos à Regno cœlorum excludere videtur. Baſilius Feminam quæ à viro diſcedit, nec accuſare nec excuſare audet. Epiphanius ab omni culpâ eos abſolvit qui propter quodcumque crimen novas nuptias contrahunt.

2. pastoris. *Si vir dimiserit mulierem suam,* ob flagitium, *& aliam duxerit, & ipse mœchatur .. Hic actus similis est in viro & in muliere.* Atqui in eo Textu, quem prudenter omisit Launoius, disertim traditur orthodoxa sententia de vinculo Matrimonii post adulterium permanente, tam in viro quàm in muliere. S. Justinus Martyr universim & indistinctè statuit Apologiâ 2. eum *qui repudiatam à viro altero uxorem ducit adulterium committere;* idque inter capita Christianæ Doctrinæ recenset. Ergo noster quoquè erit Justinus. S. Chrisost. Homil. 17. in Matth. 5. sic loquitur de eo qui uxorem dimisit propter adulterium. *Ille, etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quòd adulteram fecit ex conjuge,* cùm hæc nupserit alteri. *Hic verò excipiendo alienam adulter effectus est. Nequaquam enim mihi referas quia illam alter ejecit; nam expulsa quoquè uxor esse ejus qui eam expulit, perseverat.* Idem Hom. 62. docet *mulierem etiam omni nequitia plenam, esse perpetuò retinendam, quamvis onerosum illud & durum videatur.* Atqui non docet mulierem etiam quoad thorum perpetuò esse retinendam; cùm velit ipse ut vir adulteram conjugem deserat secundùm istud Prov. 18. *Qui tenet adulteram, stultus & impius est.* Ergo docet mulierem hanc nequam eo sensu perpetuò retinendam esse, quòd initum cum ipsâ conjugale vinculum dissolvi non possit.

Jam è Latinis, PP. Concilii Milevitani III. an. 416. *Placuit* inquiunt Can. 17. *ut secundùm Evangelicam & Apostolicam Disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungantur; sed ita maneant, aut sibi reconcilientur.* Atqui hic Tridentinæ Doctrinæ præit Ecclesiæ Africanæ doctrina, cùm secundas post divortium nuptias omninò prohibeat.

S. Augustinus, cujus mens jam ex eo patet quòd prædictæ Synodo interfuit, sic loquitur L. 1. de adulter. Conjug. c. 8. *Majus* est *adulterium uxore non fornicante dimissa alteram ducere, quàm si fornicantem quis dimiserit, & hanc alteram duxerit; non quia & hoc adulterium non est, sed quia minus est, ubi fornicante dimissâ ducitur altera.*

S. Innocentius I. Ep. ad Exuperium c. 6. hæc habet, *Qui interveniente repudio aliis se Matrimonio copularunt, in utrâque parte adulteros esse manifestum est. Qui verò vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri ... secundùm illud quod legimus in Evangelio: Qui dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur.* Unde sic: Repudium, generatim loquendo, præcipuè fiebat propter adulterium. Atqui tamen univesè

statuit

statuit Innocentius I. nunquam ob repudium licere ad alias transire nuptias; quia *quamvis dissociatum videatur esse conjugium, reapsè semper subsistit.*

Ambrosius, c. 16. in Lucam: *Dimittis ergo uxorem quasi jure, sinè crimine, & putas id tibi licere, quia Lex humana non prohibet? Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi Legem Domini, cui obsequuntur etiam qui Leges ferunt: quæ Deus conjunxit, homo non separet.* Ergo peccabant, qui quoniam *jure*, id est, ut statim explicat se S. Doctor, secundùm humanam Legem dimittebant uxores propter adulterium, se *sinè crimine* esse arbitrabantur. Ceteros mitto.

Prob. 3tio. Ex censurâ à Parisiensi facultate an. 1526. latâ adversùs quatuor Erasmi Propositiones. I. hæc erat: *Quæ alteri viro sui fecit copiam, jam uxor esse desiit.* Atqui, aiebat sacra Facultas, *Hæ Propositiones, quatenus per eas prætendi videtur Matrimonium per adulterium dissolvi quantùm ad vinculum, hæreticæ sunt, Est enim vinculum Matrimonii Jure divino indissolubile, ut ad Corinthios scribens Apostolus demonstrat*, &c. Mirum sanè quòd Launoius audacior Erasmo, qui propositiones suas de separatione quoad thorum interpretari studuit, Facultatis, matris suæ, censuram velut ipsa indignam suggillaverit.

Prob. 4to. ex Conciliis generalibus. Florentinum in Decreto: *Quamvis ex causâ fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est.* Trid. Sess. 24. Can. 7. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm docuit aut docet, juxta Evangelicam & Apostolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi; anathema sit.* Jam verò dogma, quod à longè majori Doctorum parte constanter traditum est, cujus oppositum sequi vetuerunt Concilia plurima, quod demùm ut ab Evangelica Doctrinâ profluens amplexa est tota in Concilio Trident. Ecclesia, pro indubitato tenendum est.

Prob. 5to. ratione Theologicâ duplici. I. In dubio pars tutior tenenda est; præcipuè ubi agitur de Sacramentis. Atqui nè ipsi quidem Græci negare possunt tutiorem esse Latinæ Ecclesiæ sententiam, quàm Græcæ suæ. Nimirùm fateri debent ad minus dubiam esse Christi mentem, Matth. 19. quæ proinde tam de solâ quoad thorum dimissione, quàm de omnimodâ intelligi potest. Rursum nec inficiari possunt quin ea de re Patres Patribus, & Concilia Conciliis adversentur; quæ gratis supponimus utrinque æqualia esse. In hoc autem dubio, quis neget multò esse tutius, ut permaneatur in Matrimonio, quod fortè dissolvi potest, quàm ut dirimatur, quod fortè dissolvi nequit. II.

II. E duabus sententiis ea meritò præsumitur à Christo inducta fuisse, quæ longè graviora arcet incommoda. Atqui talis est R. Ecclesiæ sententia. Si enim Matrimonii nexum ex adulterio rescindi dicimus, habenas laxamus impudicitiæ. Cùm enim conjuges capitali sæpiùs odio utantur, ii quos initi fœderis graviter pœnitet, vel adulterium facilè sibi permittent, quò fatale vinculum solvant; vel saltèm alter alteri non ità gravibus de conjecturis crimen illud impinget. Quis verò mala hæc tanta à Christo, Legislatorum sagacissimo, exclusa esse non credat?

Obj. 1mo. id Mat. 5. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ facit eam mæchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Atqui is Textus manifestè docet uxorem propter adulterium dimitti posse, & aliam duci. Sicut enim si dixero: *Quicumque peccaverit, nisi agat pænitentiam, certissimè peribit*, valet consecutio hæc à contrario: *Ergo qui pænitentiam aget post peccatum, non peribit*; sic & cùm dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur*, legitimè infertur: *Ergo qui dimittit ob fornicationem, & aliam ducit, non mæchatur.*

R. ad 1. neg. min. Ut enim ex prædictis verbis inferri certò possit licitum esse, ob fornicationem uxoris, non modò ab eâ separari, sed & aliam ducere, necessum est, ut certò constet illud; *excepta fornicationis causa*, utrumque Propositionis Christi membrum pariter afficere; id est, tam licentiam denuò nubendi, uxorem adulteram dimittendi. Atqui id nec Protestantibus certò constat, nec Græcis. Non Protestantibus; His enim nihil certò constat, nisi quod in verbo DEI exprimitur. Atqui nuspiam in verbo DEI exprimitur clausulam hanc, *nisi ob fornicationem*, licèt à Christo pòst primum ipsius Propositionis membrum de industriâ appositam, utrumque ejusdem Propositionis membrum ex æquo afficere. Sed neque idem Græcis constat; quia ad minimum fateri debent Patres in eo puncto Patribus adversari, &c. Quin & certò constat exceptionem fornicationis ad prius duntaxat membrum referri. Quia, ut notat quoad præsens August. L. 1. de adult. Conjug. c. 8. postulat æquitas, ut paulò obscurior Matthæi Textus per clariores Marci & Lucæ Textus exponatur. Uterque porrò absolutè, & demptâ *fornicationis* clausulâ, eum omnem mœchari asserit, qui vel uxorem à priore viro rejectam ducit, vel suâ rejectâ conjungitur alteri. Ergo.

Ad 2. neg. conseq. Ideò enim in hâc Propositione *Quicumque peccaverit, nisi agat pænitentiam, peribit*, valet illatio contraria; quia in Propositione hâc: *Quicumque peccaverit*, &c. unicum

unicum est membrum, quod exceptio, *nisi pœnitentiam agat*, afficere possit. Contrà verò in hâc Propositione: *Quicumque dimiserit uxorem, nisi fornicationis causâ, & aliam duxerit*, duplex est membrum; aliud spectans dimissionem, aliud spectans mulieris alterius ducendæ licentiam. Porrò indubiè potuit sancire Christus, ut uxorem, fornicationis causâ, dimittere liceret, non tamen aliam ducere. Id autem ab eo reapsè factum liquet, tum ex aliis Evangelistis, tum ex Apostolo, qui mulierem à viro dimissam vult innuptam permanere. Quapropter se habet Propositio hæc Christi, *Quicumque dimiserit uxorem*, &c. perinde ac ista: *Qui jejunium violat, nisi dispensationem obtinuerit, & se inebriat, graviter delinquit.* Atqui nemo sanus hinc à contrario inferet: *Ergo qui jejunium violat, aut se inebriat cum dispensatione, non delinquit.* Ergo à pari ex Christi Propositione, quæ virtualiter duplex est, quasi simplex foret, colligi nequit non mœchari eum, qui simul & primam dimittit uxorem, & alteram ducit.

Inst. Nisi verba Christi de dimissione quoad vinculum intelligantur, jam quæstioni sibi propositæ non satisfecit. Pharisæi enim de eâ dimissione Christum interrogabant, quam Moyses confirmaverat, quæque apud ipsos erat in usu. Atqui dimissio hæc erat vinculi ipsius dissolutio.

R. neg. ant. Namque Pharisæorum interrogatio, an liceret uxorem dimittere quacumque ex causâ; prout à Christo Populum edocere volente sumi potuit ac debuit, duo complectebatur; I. an quacumque, proinde levi etiam ex causâ, liceret uxorem dimittere. II. an eâ dimissâ aliam ducere liceret. Atqui ad utrumque disertim respondet Christus. Ad 1. quidem non licere quâcumque de causâ, sed tantùm ob gravissimam, qualis est fornicatio, uxorem dimittere. Ad 2. verò, dimissâ propter fornicationem uxore, non licere cum aliâ inire conjugium, quia jam revocetur quæcumque eâ de re Judæis facta fuerat licentia. Id autem, quia nonnihil obscurè dictum eò quòd Pharisæi Christo insidiantes veritatem totam portare non possent, privatim exposuit Christus Discipulis; qui eò usque Magistri sui sensum intellexere, ut difficultate permoti exclamarint, Matth. 19. 10. *Si ità est causa hominis cum uxore non expedit nubere.* Nedum porrò verba sua leniret Christus, id unum respondit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.*

Inst. 2do. Juxta hanc solutionem prima responsionis Christi pars intelligenda est de dimissione quoad thorum. Atqui non sic intelligi potest: Alioqui enim sola uxoris quoad thorum dimittendæ causa esset fornicatio: id autem in Evangelicâ

etiam

etiam Lege falsum est; cùm conjuges ex pluribus extra fornicationem causis ab invicem separentur. R. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. min. Sola fornicatio non est causa dimittendæ uxoris impropriè, & eo modo qui ad divortium Judaicum nullatenùs accedat, C. Propriè & eo modo qui divortium Judaicum magis repræsentet, N. Divortium Judaicum, prout fiebat per libellum repudii, perpetuum erat. Atqui in Evangelica Lege nulla est præter fornicationem causa propter quam à conjuge in perpetuum separari liceat. Ceteræ enim separationis rationes non adimunt spem reditûs, sed cohabitationem suspendunt donec Pars nocens resipuerit. At fornicatio, nisi Pars innocens jure suo cedat, omnem reconciliationi viam præcludit.

Obj. 2do. Doctrina quam Orientalis Ecclesia ab initio tenuit, quam Imperatores etiam pii Edictis suis, utique de Episcoporum consensu, sanxerunt; quam in Græcis per plura secula suo ut minimùm silentio comprobarunt Rom. Pontifices, nonnisi ab Apostolis manare potuit. Atqui talis est doctrina quæ Matrimonium ex adulterio dirimi docet. 1mo. enim hanc ab initio tenuit Orientalis Ecclesia, ut ex longa Patrum serie probat Launoius 2do. Eam Legibus suis consecrarunt Imperatores, qui *Fidei Conservatores* acclamati sunt in Concilio VI. Constantinus videlicet & Justinianus. 3tio. neque tunc temporis, neque diu post reclamarunt R. Pontifices. Non Nicolaus I. in gravi lite quam habuit cum Photio. Non Gregorius X. in Lugdunensi Concilio, ubi longè minora Græcis objecta sunt. Ergo.

R. ad 1. neg. min. Et dico 1mo. plerosque Ecclesiæ Græcæ Patres causam nostram tueri, prout ex dictis liquet; alios verò tam dubiè ut plurimùm loqui, vix ut quidpiam certi ex iis decerpere possint Adversarii. Dico 2do. Constantinum definiisse quidem quo in casu uxor marito, vel maritus uxori *repudium mittere* posset; sed nullatenùs definiisse an vi repudii hujus aliam uxorem ducere liceret, quod nec fecit Justinianus. Dico 3tio. nihil ergo mirum esse, si contra dissolutionem Matrimonii non reclamaverint SS. Pontifices, cùm probari quidem ex Imperatoriis Legibus possit viguisse repudium; at nec ex eorum literâ, nec ex usu tunc stabilito probari possit moris fuisse ut repudians vel repudiata novas nuptias inirent.

Quod Spectat ad citatos à Launoio Patrum textus, ex iis nonnulli sunt quos ille corrupit, ut Epistolam Joannis VIII. alii qui certè nostri sint, ut Hilarius in Matth. alii qui Christi verba referentes non plus dicant, quàm ipse Christus dixerit; alii qui Launoii sint, ut Lactantius. Verùm hi numero pauci non magis catholicæ doctrinæ nocent, quàm qui vel Millenariorum errorem

rem

rem tuiti sunt cum Papia, vel Baptismi ab hæreticis dati nullitatem cum Cypriano.

Obj. 4to. Potissima nostra ratio desumitur ex Synodo Trid. Atqui hæc difficultatem non tangit. Dici enim potest cum Launoio Decretum ejus pertinere tantùm ad disciplinam. R. ad 1. neg. min Ad 2. neg. ant. 1mo. Quia verba hæc Can. Trid. *Si quis dixerit Ecclesiam errare cùm docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi ... anathema sit*; hæc, inquam, verba, quibus jam ab an. 416. prælusit Milevitana Synodus, ipsum dogma, non merum disciplinæ caput, designant. Quod enim juxtà Evangelicam & Apostolicam Doctrinam traditum est & traditur, utique ad dogma pertinet. 2do. Quia error propriè adversatur veritati seu dogmati, sicut abusus sancitæ disciplinæ: Atqui hic non emendat Ecclesia abusum, sed erroris labem à se propulsat.

Quia tamen PP. Tridentini ad Venetorum preces Canonem hunc reformaverunt: credunt multi solos Protestantes, non autem Græcos à sacra Synodo percussos fuisse.

*An Matrimonium dirimatur Professione religiosâ, vel Dispensatione.*

Constat jam apud omnes Matrimonii consummati vinculum non solvi Professione Religiosâ. Sed dubium est an per eam solvatur Matrimonium duntaxat ratum. De quo sit

Conclusio. I. Matrimonium duntaxat ratum dirimitur quoad fœdus per Religionis Professionem.

Prob. 1mo. Quia juxta regulam Augustini, L. 4. contra Donatistas, c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Atqui Matrimonium simpliciter ratum Professione Religiosa dissolvi, tenet, & jam dudum tenet universa Christi Ecclesia, &c. Quod teneat, patet ex. Can. 6. Trid. Concilii Sess. 24. ubi: *Si quis dixerit Matrimonium ratum, & non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* Quod teneat jampridem, non minùs constat ex variis doctiorum Pontificum Decretis, quales fuêre S. Leo, Lib. 7. Epist. 23. Innocentius III. cap. 14. *De convers. conjugatorum*, & Alexander. III. ibid. cap. 2. ubi sic: *Post consensum legitimum de præsenti datum licitum est alteri, altero etiam repugnante, Monasterium eligere, sicut quidam Sancti de nuptiis vocati fuerunt, dummodò inter eos carnis commixtio non intervenerit; & alteri remanenti, si*

*commonitus ſervare noluerit continentiam, licitum eſſe videtur ut ad ſecunda vota tranſire poſſit.* Quòd demùm idem dogma ſemper in Eccleſia retentum ſit, patet ex pluribus Sanctorum exemplis; putà Theclæ, quæ teſte S. Epiphanio hær. 78. *pactas nuptias diſſolvit, cùm primario cuidam civitatis totius ... deſponſata jam fuiſſet.* Gregoriæ, quæ ut refert S. Gregorius M. L. 3. Dialog. c. 14. *conſtitutis jam nuptiis in Eccleſiam fugit, & ſponſum habere meruit in Cælo, quæ ſponſum fugit in terrâ.* Edildridæ, quæ relicto Ecgfrido Anglorum Rege Monaſticam vitam amplexa eſt, uti jam *aliquoties* ab aliis factum erat, prout Scribit Beda L. 4. Hiſt. Angl. cap. 19. porrò conjugia hæc quoad vinculum ſoluta fuiſſe liquet; 1mo. quia Ecgfridus, pius princeps, aliam duxit uxorem, nomine Ermenburgam nullo Paſtorum reclamante; 2do. Quia ſic inſtitui debuit Chriſti Religio, nemini ut damnoſa vel inviſa efficeretur. Fuiſſet verò inviſa & damnoſa Religio, quæ ſponſum in ſeculo manentem, neque idoneum continentiæ, à nuptiis in perpetuum abſtinere ſanxiſſet; 3tio. Quia his Sanctorum exemplis nixi Pontifices declararunt licere ſponſo derelicto alias inire nuptias. Atqui nuſquam eò deveniſſent, niſi Traditione perpetua, ſaltèm orali, didiciſſent Matrimonium in eo caſu reſcindi.

Prob. 2do. ut Matrimonium ratum Religioſa profeſſione dirimatur, ſatis eſt, ut ſub hâc ſolùm conditione à Fidelibus contrahatur. Atqui ex S. Thomâ hic q. 61. a. 2. ad 2. Matrimonium *ſub* eâ ſolùm *conditione* initur, *ſi intereà alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet.* Ergo.

Obj. 1mo. Exempla Theclæ, Cœciliæ, &c. ſunt extra rem; quia nulla erat prioribus Eccleſiæ Seculis Religio. R. nullam quidem fuiſſe tunc temporis Religionem quoad modum, ſeu cum formalitatibus à Conc. Later. IV. præſcriptis: at fuiſſe quoad ſubſtantiam. Enim verò ſubſtantia Religionis tria tantùm exigit, cœlibatum, ſeu omnimodam à venereis temperantiam, obedientiam Superiori legitimo, uſum boni dependenter ab ejus voluntate. Atqui creditu facile eſt, ſanctas feminas, quæ à pactis conjugibus ante coitum receſſerunt, caſtitatem omnimodis DEO conſecraſſe; & Epiſcopis ad unguem obtemperaſſe, & pro eorum arbitrio, vel renuntiaſſe facultatibus ſuis, quod primos inter fideles quotidie contingebat; vel iis nonniſi dependenter ab illorum arbitrio uſas fuiſſe.

Inſt. Quod Scripturæ & antiquiori Traditioni repugnat, nullâ poſteriori Traditione firmari poteſt. Atqui diſſolubilitas Matrimonii ex intuitu Religionis, 1mo. repugnat Scripturæ, Geneſ. 2. *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit*

*uxori suæ.* Ubi Adamus loquitur de Matrimonio, quale tunc temporis erat ipsum inter & Evam, rato proinde, & necdum consummato. 2do. Repugnat Traditioni, quam exhibet S. Gregorius Mag. Epist. 49. Lib. 9. *Si dicunt*, inquit c. 2. *causâ Religionis conjugia dissolvi debere, sciendum est: quia, etsi hæc Lex humana concessit, Lex divina prohibuit.* R. neg. min. pro utraque parte. Namque 1mo. Adam, etsi loquitur ante Matrimonii sui consummationem, loquitur tamen relativè ad ipsam, ut ex his ejus verbis patet: *Erunt duo in carne unâ*, quod non fit nisi per Matrimonii consummationem; imò moraliter loquitur, cùm facta postmodùm repudii licentia non sinat verba ejus metaphysicè intelligi. 2do. S. Gregorium de Matrim. consummato loqui perspicuè indicant hæc ipsius verba: *Postquam copulatione conjugii viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, & ex parte in seculo remanere.* Ex quibus à contrario inferri potest: Ergo antequam copulatione conjuges unum corpus efficiantur, potest converti eorum alter, altero in seculo remanente.

Obj. 2do. Matrim. omne est essentialiter maritalis conjunctio individuam vitæ societatem exigens. Sed quod essentialiter individuam vitæ societatem exigit, solâ morte finiri potest. R. dist. maj. Est maritalis conjunctio individuam vitæ societatem exigens, præterquam in casibus à Deo exceptis, ut erat in antiquâ Lege repudium, in nova verò susceptio status melioris, C. In omni prorsus casu, quasi Deus res aliter constituere non potuerit, N. Porrò ex dictis patet, res sic à Deo fuisse ordinatas, ut sponso terrestri, rebus modò integris, cœlestem sponsum ad se trahentem sequi liceret. Unde fit ut Matrimonium consummatum morte naturali solvatur, at ratum simpliciter morte civili, non quidem fortè per se solam, sed positâ Dei constitutione.

Quæres 1mo. quo jure solvatur per Professionem Religiosam Matrimonium simpliciter ratum. R. solvi tum jure divino; quia nempe à Deo constitutum est, ut in hoc casu solveretur; tum jure naturali; quia quòd contractus sub certâ conditione initus eâ deficiente solvatur, juris est naturalis. Atqui ex S. Thoma suprâ pag. 241. Matrimonium sub eâ conditione initur à Fidelibus, ut iis ad Religionem, rebus integris transire liceat.

Quæres 2do. quandonam Matrimonium ità consummatum censeatur, ut jam Professione sacrâ dissolvi non possit. Respondet Sylvius hic q. 61. a. 1. sufficere consummationem imperfectam, quæ fit per vasis penetrationem, absque semine. Et hæc opinio, licèt non indubia, in praxi tenenda est. Unde

feminâ

feminâ copulam affirmante, viro autem negante, vel è contra, credendum affirmanti. Sic enim tenetur pars tutior, & quæ minori periculo Matrimonium forsan indissolubile exponat. Imò, postquam uxor ad domum viri deducta est, non est credendum conjugibus in præjudicium Matrimonii, nè, ut in simili casu aït Cœlestinus III. *inter se contra Matrimonium velint colludere.* Requiritur ergo ut mutuæ huic utriusque confessioni *rationabiles & fide dignæ probationes accedant*, c. 5. *De eo qui cognovit*, &c.

Quæres 3tio. an Matrimonium post copulam fornicariam contractum vi ejusdem præcedentis copulæ censeatur consummatum, ità ut jam sponsis Religionem ingredi non liceat. R. probabilius affirmat. Quia si conjugium illicitam copulam subsequens vim habet legitimandæ prolis, vim etiam habere debet, ut actus qui proli ortum dedit, censeatur quædam Matrimonii consummatio; adeòque, ut copula primùm fornicaria evadat conjugalis.

Quæres 4to. quotum sponsis tribuatur tempus ad deliberandum de Religionis ingressu. R. ex C. 7. *De convers. conjugat.* juxta communem intellectum accepto sponsis assignari *duorum mensium spatium*, quo vel ad Religionem transeant, vel secum maritaliter habitent.

Quæres 5to. quo instanti rescindatur Matrimonium, an eo quo recipitur habitus Religionis, an quo emittitur Professio. R. non dissolvi nisi per Religionis professionem. Patet id, tum ex Can. 6. Trid. ubi Matrimonium *per solemnem Religionis professionem dirimi* dicitur; sola autem susceptio habitûs non est professio: tum quia vinculum nonnisi vinculo immobili dissolvi potest. Quòd si sponsus, quasi experturus quæ Religio sibi magis conveniat, ex unaquâque ante finem Novitiatûs egrediatur; recurrendum erit ad Judicem, qui terminum constituat, quo vel completo Novitiatu profiteatur, vel ad conjugem redeat, Matrimonium consummaturus. Alioqui enim pars derelicta posset diuturno, quin etiam toto vitæ tempore manere ligata, sibique per aliud conjugium mederi incapax; quod nec intendit DEUS, nec approbat Ecclesia. Porrò ut annus probationis ità à momento in momentum currit, nihil ut omninò deficiat; sic & bimestre sponsis ad deliberationem concessum.

Quæres 6to. Quæ Religio Matrimonium ratum dissolvat. R. Matrimonium per eam solam Religionem solvi, quæ ab Ecclesiâ approbata fuerit, ut hominem Regulari Statui invictè addicens. Status enim de se invariabilis nonnisi in statum perfectiorem simul & æquè invariatum commutari potest.

Hinc non solvitur conjugium, 1mo. per professionem vitæ Eremiticæ; quia Eremitæ hodierni simplicia tantùm vota, eaque ab Ecclesiâ minimè acceptata, emittunt. 2do. Nec dirimitur per vota à feminis quibusdam piis Tertii, ut aiunt, Ordinis SS. Augustini, Dominici, Francisci emissa. 3tio. Nec per vota simplicia post biennium in Societate Jesu emissa; sed nec per vota Coadjutorum Formatorum ejusdem Ordinis; quia *sunt simplicia, licèt publicè emittantur*, ait Sanchez. At dirimitur per vota Equitum Melitensium.

Quæres 7mo. an conjugium ratum Pontificia dispensatione solvi possit. R. cum Sylvio & aliis pluribus contra Jurisperitos plures negat. 1mo. Quia si potestas illa Pontificibus à Christo tradita esset, eâ usi essent primævi Pontifices: cùm prioribus Ecclesiæ seculis sicut nec nostris, non defuerint gravissimæ ejusmodi dispensationum causæ, præsertim quando moris erat, ut aliquandiu Matrimonium à cohabitatione divelleretur. Atqui tamen per tota 14. secula nullum extat dispensationis hujus vestigium. Unde ejus epocha non prætergreditur Martinum V. qui an. 1431. diem clausit. 2do. Quia in moralibus, iis præsertim quæ ad Sacramenta spectant, non licet sequi opinionem minùs tutam, nisi hæc simul sit multò probabilior. Atqui opinio nostræ contraria, 1mo. longè minùs tuta est; quia gravi exponit periculo rescindendi contractum Sacramentalem, qui fortè rescindi non potest; 2do. nec est nostrâ longè probabilior; seu ab extrinseco; tum quia si plures contra nos militent Jurisperiti, plures contra Jurisperitos illos militant Theologi; tum quia assertionem nostram ipse Sanchez, *probabilissimam* vocat; Sanchesii verò opinionem nè umbram quidem probabilitatis habere contendunt è nostris aliqui, ut Soto, qui etiam refert Adrianum VI. improbis precibus victum, ut dispensationem hanc tribueret, respondisse, *se dare quod posset, at credere se nihil posse.*

### *An & quibus de causis Matrimonium quoad thorum & cohabitationem solvi possit?*

Conclusio I. Possunt aliquando conjuges justis de causis quoad thorum & habitationem separari. Itâ Catholici contra Protestantes.

Prob. 1mo. ex Trid. Sess. 24. Can. 8. ubi: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm multas ob causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.*

Prob. 2do. ex Apost. Cor. 7. ubi: *Præcipio, non ego, sed Dominus,*

*Dominus, uxorem à viro non discedere: Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ergo licèt Dei nomine vetet nè conjux à conjuge, alterius Matrimonii intuitu, discedat, non prohibet tamen, nè discedat simpliciter; cùm non jubeat absolutè eam viro suo reconciliari, sed tantùm si continere non possit.

Conclusio II. Conjux à conjuge propter adulterium ejus quoad thorum & habitationem discedere potest.

Prob. ex Matth. 19. ubi permittitur uxoris dimissio propter adulterii causam. Atqui dimissio hæc non cadit in vinculum ex dictis. Ergo cadit in thorum & cohabitationem.

Conclusio III. Præter adulterii crimen plures esse possunt legitimi divortii causæ.

Prob. Ex Matth. 19. potest dimitti conjux ut & oculus ipse, quando gravis sit ruinæ causa. Atqui multi sunt præter adulterium casus, in quibus id contingat: putà si alter alterum à rectis moribus avocet; si hæresim vel irreligionem inspiret; si maledictis, aut verberibus ad iracundiam, & continuas obmurmurationes inducat; si in eo mœroris statu constituat, qui patientiam infringit, & omnes demùm pietatis sensus excutit.

Obj. Christus, Matth. 19. non aliam divortii causam assignat quam fornicationem. Ergo. R. neg. conseq. quia Christus de eo loquitur divortii genere, quod sponsis quâ talibus competit, non autem de eo quod ipsis cum aliis commune est. Atqui fornicatio causa est divortii ad sponsos quâ tales pertinens. Hæresis verò, scandalum, sævitia, &c. sunt seperationis causæ omnibus communes. Propter hæc enim socius quisque ex Jure naturali à socio recedere valet; neque necessum erat id à Christo explicari in loco ubi de sponsis quâ talibus, tantùmque de Matrimonio agebatur.

De difficultatibus quæ ad hujus materiæ praxim spectant, vide Tom. II. ubi de quarto Decalogi præcepto, art. 4. sect. 1.

Quæres An separatio conjugum ex mutuo consensu fieri possit. R. si agitur de separatione thori quoad tempus, res constat ex I. Corinth. 7. v. 5. ubi: *Nolite fraudere invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Si autem de omnimodâ separatione sermo sit, utrique ex mutuo consensu, vel uni ex consensu alterius, licet Religionem profiteri, prout statuitur c. 1. *De Conv. conj.* Verùm ad id requiritur, 1mo. ut conjux alter & ipse Religionem profiteatur, si adhuc juvenis sit, vel senex quidem, sed non absque periculo incontinentiæ. 2do. ut conjux in seculo remanere volens, sit non solùm senex, & ab omni incontinentiæ suspicione immunis, sed & simplex

 perpetuæ

perpetuæ continentiæ votum emittat in manibus Episcopi & testium, qui de eo fidem facere possint.

Quòd si vir obtento uxoris consensu Religionem profiteatur, non servatis ab uxore ceteris conditionibus, putà quod juvenis & ipsa Monasterium ingrediatur; vel senex voveat castitatem; Professio hæc, quamvis illicita, utpotè facta contra conditiones à Jure sapienter præscriptas, valebit tamen: tum quia nullibi irritatur in Jure, tum quia decernit Urban. III. c. 9. eod. t. ut vir qui de uxoris licentiâ, sed omissis aliis conditionibus, Religionem amplexus erat, & uxore revocante ad eam regressus erat, ipsâque demum mortuâ aliam duxerat, *istâ dimissâ ad suum Monasterium revertatur, sub regulari habitu de cetero Domino serviturus.* Ubi posterius Matrimonium supponitur esse nullum, quod fieri non potuit nisi per professionem validam.

---

# CAPUT SEXTUM

## *De effectibus, bonis & usu Matrimonii.*

### §. I. *De effectibus Matrimonii.*

GRatia sanctificans vel *prima* est, quæ hominem justum facit, vel *secunda*, quæ hominis jam justi justitiam adauget. Certum est primam non conferri de se per Matrimonium, utpotè quod non sit Sacramentum mortuorum. Quæstio est de secundâ. Sit.

CONCLUSIO. Matrimonium piè receptum gratiam secundam confert; & cum eâ jus ad actuales gratias, quæ malis in nuptias per Adæ peccatum invectis medeantur.

Prob. 1. pars: Sacramenta novæ Legis id in subjecto suo operantur quod significant. Atqui Matrimonium significat sanctam illam charitatem, quâ Christus sponsorum exemplar, sponsam suam Ecclesiam prosequitur. Ergo & eamdem servata proportione in sponsis operatur.

Prob. 2. pars. Sacramentum omne eò tendit ut gratiam ipsam ritè suscipientibus collatam in iisdem conservet & ad actum reducat. Ergo cùm Sacramentum Matrimonii sanctæ & castæ dilectionis gratiam firmiùs in sponsis tueri non possit, quàm mala in nuptias per peccatum inducta auferendo, vel certè minuendo; necessum est vi divinæ constitutionis, ut actuales gratias adversùs mala illa sponsis, nisi obicem ponant, conferat.

Et

Et verò quinque potiſſimùm mala in nuptias per peccatum invecta ſunt; nimirùm 1mo. humana infirmitas, quæ ſocietatem pluribus inficit incommodis, putà morbi in corpore, vitia in animo, moroſa indoles, &c. 2do. conceptio prolis in peccato; 3tio. Præter originale peccatum, parentes ſæpè aliis modis nocent proli, ut dum eam impediunt concipiendam, vel conceptam extinguunt, vel natam abjiciunt, vel pravis exemplis aut amore præpoſtero corrumpunt. 4to. Libido ſæviens, quæ conjuges extra temperantem Matrimonii uſum rapit; 5to. Miſeriæ quæ nuptias conſequuntur; onus uteri, labores partûs, ſollicitudo alendæ & inſtituendæ familiæ, caſus adverſi, &c. Atqui mala hæc ſalutare in gratiâ Matrimoniali antidotum habent; quo ſi non ſemper tolluntur, at minuuntur, & tolerabilia fiunt.

1mo. enim Matrimonii gratia efficit, ut ſponſi mutuas infirmitates patienter, imò alacriter propter DEUM ferant. Efficit enim juxta Apoſtolum, ut *Viri* diligant *uxores ſuas ut corpora ſua*, adeòque ſanctiſſimo & tenerrimo amore. Porrò hinc quidem quiſque corpus ſuum, morbidum licèt aut malè affectum diligit; inde verò Chriſtus Eccleſiam ſuam non abjicit propter vitia membrorum ejus; ſed eam quotidie mundat & fovet, donec eam *ſibi* in futuro ſeculo exhibeat *glorioſam*. Ergo ut magnam illam Chriſti cum Eccleſiâ unionem perfectè repræſentent Chriſtiani conjuges, mutuò ſe ſe ferre ac fovere debent, viri uxores infirmiores diligere ut ſua corpora, uxores viris adhærere ut membra ſuo capiti. Id autem ſi debent conjuges, poſſunt utique; ſed non à ſe ipſis. Ergo à gratia Sacramenti.

2do. Eadem gratia efficit, ut in nuptiis prolem quærant conjuges, *non ut naſcatur tantùm, verùm etiam*, & longè magis *ut renaſcatur*. Nimirùm ex dictis humanæ nuptiæ nuptias Chriſti cum Eccleſia, quantùm potis eſt, referre debent. Atqui Chriſtus non alio intuitu conjunctus eſt Eccleſiæ, quàm ut ex hiſce nuptiis naſcerentur filii DEI adoptivi. Unde & in id etiam incumbunt conjuges, ut proles ſua religiosè inſtituatur, & in pietate adoleſcat, ac demùm ſupernam hæreditatem conſequatur, in quâ non ſolùm liberos, ſed & domeſticos peroptat habere conſortes.

3tio. A fortiori efficit conjugalis gratia, ut nec impediatur conceptio prolis, nec concepta primatur, &c. Procul hinc abſunt, qui gentem ſanctam & adoptionis filios multiplicare ſtudent.

4to. Facit gratia Sacramenti, ut conjuges eodem ſe diligant amore, quô Chriſtus Eccleſiam, caſtô proinde, & qui con-

concupiſcentiam debitè moderetur: ità ut *unuſquiſque conjugum ſciat vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore; non in paſſione deſiderii, ſicut & Gentes, quæ ignorant Deum,* 1. Theſſal. 4.

5to. Eadem gratia firmat conjuges adversùs calamitates quæ nuptias ſubſequi ſolent. Hæc enim gratia in dilectione dilectioni Chriſti ſimili poſita eſt. Atqui *fortis eſt ut mors dilectio, nec flumina* adverſitatum *obruent illam.* Cantic. 8.

*Si* quæras, cur tam rari ſint hujus gratiæ effectus, cùm Matrimonia pleraque plena videantùr iræ furoris Domini? R. id fieri, 1mo. quia pauciores quàm credi poſſit, ad Sacramentum iſtud accedunt congruè diſpoſiti. Alii libidinem unicè intendunt. Alii ſolum opulenti fœderis ſplendorem. Alii parentum authoritate oppreſſi conjugium ineunt quod animo deteſtantur. Nemo penè Deum interrogat: Nemo interrogatum audit. Porrò qui Sacramentum recipiunt malè diſpoſiti pro benedictione maledictionem ſibi, ſuæque familiæ advocant. 2do. Quia è conjugibus debitè ſanctificatis non pauci à gratia ſibi per Sacramentum conceſſa excidunt. Hâc autem corruente corruit jus ad auxilia mox recenſita. Hinc de conjugibus impiis dicitur Sap. 3. *Mulieres eorum inſenſatæ & nequiſſimi filii eorum: Maledicta creatura,* Græcè progenies *eorum.*

Ex his in praxi colliges, 1mo. quanti ſponſorum interſit, ut ad Sacramentum hoc magnum in ſtatu gratiæ accedant 2do. ut peccatum fugiant ſedulò; & ſi quod commiſerint, illud quàm primùm per pœnitentiam diluant, quò virtus Sacramenti in iis operetur, & fortunatum reddat eorum conjugium; tum ipſis, quia impendiò vereri eſt, nè gratia deſtituti, libidini habenas laxent; tum & toti Reipublicæ, quia ſicut à vitiatis patribus naſci ſolent infantes libidinoſi, ebrioſi, podagrici, &c. ſic ex Matrim. ſanctis oriri conſueverunt liberi indolis in bonum propenſæ. Unde ſi quid proficere volet Parochus, neceſſum eſt: ut, Xaverii exemplo, juventutis agrum, evulſis radicibus noxiis, aſſiduè excolat. Quos enim fructus legere poterit, ſi ex familiis, veluti errorum ac vitiorum ſeminariis nova indies ſerpant ſcandala, quæ gregem ſuum corrumpant? Moneat igitur opportunè & importunè, nè in vacuum gratiam Sacramenti recipiant, ſed eâ feliciter utantur, ad educandos liberos in timore & correptione Domini. Subjiciat eis exemplum Heli qui, ut docet S. Fulgentius *à Domino reprobatus fuit, non quia filiis in iniquitate conſenſit, ſed quia peccantes manſueto nimiùm ſermone monuit, & prohibere competenti ſeveritate ceſſavit.*

§. II

§. II. *De Bonis Matrimonii.*

Tria Matrimonii bona recenset Augustinus; fidem scilicet, prolem & Sacramentum. Per fidem intelligitur fidelitas quam uterque conjugum alteri debet: & hæc exigit; 1mo. ut neuter alteri legitimè petenti debitum neget; 2do. ut alteri non commisceatur. Per prolem non intelligitur sola ejus procreatio, sed & educatio atque religiosa institutio. Per Sacramentum intelligitur, * *non Matrimonium ipsum, sed* firmitas & *inseparabilitas ejus.*

Quæres 1mo. quæ peccata pugnent contra Matrimonii fidem. R. Pugnant 1mo. adulterium, ad quod refertur extraneæ personæ concupiscentia, & quævis libido in illud tendens, ut oscula & morosæ cogitationes: quæ omnia, cùm fidem comparti datam lædant, in Confessione cum Matrim. circumstantiâ aperiri debent. 2do. Mollities & à fortiori graviora contra naturam peccata. Qui enim per hæc proprium corpus inquinat, re alienâ turpiter abutitur; cùm ex Apost. *Vir corporis sui potestatem non habeat, sed mulier,* & vicissim. 3tio. Denegatio conjugalis debiti, quam Tom. II. justitiæ graviter adversari probavimus. Cùm autem mulieres in sacro Tribunali peccatum illud reticeant ex ignorantiâ, vel præ pudore; quin & ægrè se circa illud interrogari ferant, necessum est ut Parochi, vel per se in sacro Tribunali, vel, quod malim, per piæ matris ministerium sponsos doceant, quid observare, quidve fugere teneantur. Sed & discant Confessarii non esse ex abrupto sciscitandum à feminis, an hic peccaverint, sed captandam industriè occasionem; inquirendo, v. g. an cum marito rixatæ sint, quæ hujusmodi rixarum causa fuerit, an propterea id negaverint, quod eis juxta Matrimonii legem debitum est.

Quæres 2do. an & quando conjux debitum non reddens excusetur. R. 1mo. ab omni culpâ excusatur, qui debitum negat adultero, plenè ebrio, laboranti eô morbô, qui reddenti graviter exitiosus esse possit, qualis est lepra, pestis, &c. quæ latiùs vide cit. Tom. II. R. 2do. Vel nihil vel leviter peccat, qui justis de causis aliquando negat debitum remissè petenti, aut in dilationem non ægrè consentienti. Est enim debitum hujusmodi sicut alia, in quibus mortaliter non peccat, qui solutionem differt, quando creditor remissè petit, aut rogatus moram facilè indulget.

Dixi 1mo. *justis de causis*, quales sunt, quòd uxor ad sacram Synaxim accedere cogitet, quòd valetudo ejus non benè se habeat

* *S. Thomas*

habeat, quòd menſtrua patiatur, quòd uterum gerat, quòd amicè viro exprobret frequentiorem ejus intemperantiam. Dixi 2dò. *aliquando* : ſi enim uxor ità ſe difficilem præbeat, ut vix corporis ejus uſum extorquere maritus poſſit, à lethali ſaltem diu excuſari non poterit. Inde enim vir vel incontinentiæ ſolus cedit, vel ex iracundiâ in alienâ quæritat quod à ſuâ obtinere non potuit. Dixi 3tio. *petenti remiſsè* : ſi enim inſiſtat multùm, lethaliter peccat, qui ei morem non gerit. Quin & vir tenetur reddere debitum uxori, quando ex ſignis, vel ex comperto ejus ingenio advertit eam remedium illud cupere licèt præ verecundiâ, vel ex aliquo offenſionis metu non auſit petere formaliter.

Quæres 3tio. quatenus peccent conjuges adversùs bonum ſuſcipiendæ prolis.

R. levatis ad DEUM mente & corde, ut in hiſce miſeriis decet, peccare contra bonum ſuſcipiendæ prolis, 1mo. viros qui, antequam ſemen emiſerint, retrahunt ſe, imitati ſcilicet Her & Onam, quos, quia *rem* hanc *deteſtabilem* facerent, interfecit Dominus, Geneſ. 38. v. 7. & 9. 2do. uxores, ſeu quæ potionibus, & immoderato caffæi uſu conceptionem fœtûs impediunt, ſeu quæ ſuſceptum viri ſemen ejiciunt aut ejicere conantur, ſeu quæ de induſtriâ proprii ſeminis emiſſionem, nè cum virili ſemine commiſceatur, ſuſpendunt. 3tio. qui, licèt vas ſervent debitum, ità naturalem ſitum immutant, ut ſeminis extra diffundendi periculum incurrant. At extra periculum illud non peccant qui ſitum immutant ex neceſſitate, & quia aliter congredi non valent. Qui autem in eâ ſitûs inverſione ſoli voluptati ſtudent, ob belluinum hunc morem graviter & durè á Confeſſariis increpandi ſunt, quamvis peccatum hoc ad mortale progredi non cenſeatur. 4to. qui abortum fœtûs etiam inanimati procurant. Sed de abortu dixi Tom. II. ubi expendi an numeroſæ prolis metu debitum negare liceat. Hic addam, laudandos conjuges qui continentiæ ſtudio torum dividunt; at eos ſinè ſingulari DEI dono temerè hac de re paciſci: plura enim & gravia ex hiſce pactionibus ſequuntur incommoda, niſi ad id moveat flagrans ſanctioris vitæ deſiderium. Nempe decreſcit amor conjugalis, remittitur animorum nexus, acriùs pungunt ignei carnis aculei, quibus vel contabeſcunt, vel in damnabiles corruptelas trahuntur conjuges, quos neceſſarium remedium implorare pudet, nè levitatem alter atque infirmitatem exprobret. Hinc D. Paulus: *Nolite fraudere invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi ; & iterum revertimini in idipſum, nè tentet vos ſatanas*, &c. Et hæc potiſſimum de iis intelligenda ſunt, qui paucos annos in Matrimonio

transege-

transfegerunt: Quanquam & ii, qui ætate maturiores torum mutuo confenfu dividunt, viri præfertim, compartem monere debent ei fe ad nutum obtemperaturos effe.

Quæres 4to. quæ conjugum peccata fanctitatem Sacramenti directè magis impugnent. R. hanc impugnari per peccata quæ bonum prolis & tori fidem impetunt. At funt alia plura quæ eam infigniter offendant; ut 1mo. quæ facrilegam hujufce Sacramenti receptionem efficiunt: 2do. quæ conjugum focietatem perturbant: 3tio. quæ nuptialem torum inficiunt.

Sacramentum hoc facrilegè recipiunt, 1mo. qui ad ipfum in habitu mortalis peccati accedunt. 2do. Qui idem recipiendo, temporale bonum primariò intendunt. Ii enim ex S. Thomâ fe habent *ficut qui ex Sacramento Baptifmi tantùm falutem corporalem quæreret*: is autem dubio procul abuteretur re facrâ. Hinc docet Sambovius juvenem qui vetulam folo bonorum quæ illa fpondet intuitu ducit, peccare mortaliter. 3tio. Qui ad illud velut ad fpectaculum profanum accedunt, & nuptiarum folemnitatem adornant pompis Satanæ, id eft, luxu, choreis, conviviis flagitium exhalantibus, à quibus exulat pudor, &c. Hæc vident Paftores, quidam quidem cum dolore, fed pauci eâ qua par eft animi fortitudine tantæ impietati obfiftunt; & tamen pro viribus obfiftere tenentur. *Si durâ fronte funt*, ait S. Bernar. L. 4. de confid. c. 3. *durato & tu è contra tuam. Nihil tam durum quod duriori non cedat.*

Pugnant 2do. adversùs fanctitatem Sacramenti, quæ individuam conjugum focietatem interturbant, ut rixæ, diffidia, querelæ, continuæ obmurmurationes. Utique Matrimonium fignum eft unionis Chrifti cum Ecclefiâ. Ergo *ficut Ecclefia fubjecta eft Chrifto, ità & mulieres viris fuis in omnibus*, quæ evidenter mala non funt, fubjectæ effe debent. *Viri* autem *uxores* fuas debent diligere *ficut & Chriftus dilexit Ecclefiam*, &c. Atqui nec fubjecta eft viro uxor querula, id omne in marito redarguens quod in extraneo approbet, erigens fe in arbitram familiæ, leviora quæque deputans crimini, nihil non fibi volens indulgeri, fæpè liberior, &c. Rurfum nec uxorem, ut Chriftus Ecclefiam, diligit maritus, qui eam habet ancillæ loco, qui extra domum urbanus eft & comis, *in domo fuâ* eft *ficut leo evertens domefticos* fuos, imò & afperior leone, qui caveam fuam ingreffus, prædam cum leænâ amanter partitur, feque patrem catulis fuis fovendo ac nutriendo exhibet. Sed quis tandem tumultuantium ejufmodi conjugiorum finis? Duplex, ut norunt qui rationis & fidei oculos habent. Prior anticipata quædam inferorum pœna: pofterior, inferi ipfi, feu

locus

locus ille, in quo nullus est ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

3tio. Peccant contra Sacramenti sanctitatem, qui eo utuntur intemperantiùs; seu intemperantia hæc in ipsam cadat substantiam, ut quando conjuges solam in actu Matrimonii voluptatem inquirunt; seu cadat in actûs circumstantias, ut locum, tempus, uxoris conditionem.

Et 1mo. quòd voluptatis solius inquisitio sit peccatum aliquod, unanimis est saniorum Doctorum sensus, hâc innixus ratione Augustinus, Lib. de Bono conjug. c. 16. *Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis; & quod est in cibo licito nonnullis immoderatior appetitus, hoc est in conjugibus venialis ille concubitus.* Unde liquet conjuges non minùs in proprio toro peccare, cum ultra temperantiæ limites Matrimonio utuntur, quàm in propriâ peccant mensa, cùm ultra ejusdem temperantiæ leges licitis cibis utuntur. Jam verò ultra æqui limites utuntur cibis, qui eos assumunt non ut corpus nutriant, sed voluptatis causa. Unde Tom. II. diximus eum non esse ab omni culpâ immunem, qui partim prolis, partim voluptatis amore Matrimonio utitur; quia is ex parte obsequitur libidini.

2do. Læditur conjugii sanctitas ex circumstantiis loci. Et quidem vetat pudor nè eo loco misceantur conjuges ubi à quopiam perspici possint. Id qui cavent, non cavent satis nè palam inverecundiora quædam amoris minùs castigati signa sibi mutuò præbeant. Quin & rustici, quibus unum cum pueris ac famulis suppetit cubiculum, sibi quandoque non satis noctu diùque invigilant. Sed & vetat sanctitas loci nè debitum in locis sacris, etiam incontinentiæ vitandæ studio, exigatur, prout dixi in Tract. de Pecc. Porrò ait Pontas ex D. Soto, *nomine loci sacri intelligitur corpus Ecclesiæ consecratæ vel benedictæ: nam in Cæmeteriis, & in Cameris Ecclesiæ adhærentibus, & in Campanulis, nulla est violatio.* Quod quidem de Cœmeteriis falsum esse credo, licèt multùm decrescat culpa, quia multùm decrescit sanctitas loci.

3tio. Læditur etiam Sacramenti sanctitas ex circumstantiâ temporis, quo exigitur debitum conjugale. Et 1mo. suadet quædam verecundia, ut ad id assumatur nocturnum tempus, licèt id non strictè imperet. 2do. Suadet & debita festivis diebus reverentia, ut in iis à conjugali opere abstineatur. *Sicut* enim, ait S. Thomas, q. 64. a. 5. *aliqua loca sunt sacra, quia deputata sunt sacris, ità aliqua tempora sunt sacra propter eandem rationem. Sed in loco sacro non licet petere debitum: Ergo nec in tempore sacro.*

Sed

Sed duo hic inquiruntur: 1mo. quale sit peccatum hisce diebus uti Matrimonio: 2do. an qui eo usus fuerit, ad sacram Synaxim accedere valeat.

R. ad 1. nullatenus peccat, qui his diebus debitum reddit exigenti; imò peccaret non reddendo; quia gravis esse posset comparti occasio ruinæ. Qui vero petit, *non peccat mortaliter; sed tamen gravius est peccatum, si solâ delectationis causâ petatur, quam si propter timorem, quo quis sibi timeret de lubrico carnis, sibi debitum petat*: ità S. Thomas, ibid. a. 6.

R. ad 2. generatim loquendo decentius esse ut, juxta antiquum Ecclesiæ ingenium, a sacra Mensâ abstineant, qui à carnali commercio non abstinuere. Hinc Eliberitana Synodus: *Omnis homo*, inquit, *ante sacram Communionem à propriâ uxore abstinere debet tribus aut quatuor, aut octo diebus. Si tamen*, ait Sylvius in 3. p. q. 80. a. 7. *justa aliqua causa* his etiam diebus Communionem *suadeat, ut Festi solemnitas, dies indulgentiarum, specialis devotio, nota quædam ex Communionis omissione*, poterit is præsertim qui tantùm reddidit, si mentem à sordidis distractionibus liberam habet, ad Eucharistiam accedere *absque ullâ culpa; & quandoque etiam qui petit, ut si petiit causâ prolis. Qui verò venialiter deliquit in petendo, sæpè venialiter peccabit eodem die communicando, nisi causæ aliquæ rationabiles*, de quibus suprà, *indecentiam resarciant.* Ceterum sicut *conjux quæ est communicatura, non propterea excusatur à redditione debiti, si alter instet*; sic *neque excusatur ex eo, quod illo die communicaverit: quamvis si honestè possit comparti suadere dilationem, hoc facere debeat ex decentia & Sacramenti reverentia.*

4to. Et hi etiam ex circumstantiis personæ alterius vel utriusque sanctitatem conjugii offendunt, qui debitum postulant; cùm uxor vel uterum gerit, vel lactat infantem, cui nocere potest, vel mutuum ex mariti assensu emisit votum continentiæ.

Ex dictis colliget Confessarius, præcipuè verò Parochus, quantâ indigeat scientiâ, ut lepram à leprâ secernat; quantâ & prudentiâ ut lepram, nec exagerando, nec minuendo, sed prout a parte rei est, declaret. Quapropter ex saniorum Theologorum sensu nitetur 1mo. rescire quid absolutè licitum, quid verò illicitum: 2do. letalia secernet à venialibus; & hæc tolerabit aliquando, nè dum ab iis avertere volet, graviorum occasio existat; aliquando severiùs redarguet, quia ex iis, quæ de se damnabilia non sunt, quædam pudicitiæ ac pietati graviùs repugnant, & hæc omnimodis resecanda sunt. Cogitabit etiam, quædam, mala licèt, vix in Matrimonio impediri posse, & de his leniter, ac commiserante affectu admonebit Pœnitentes, atque

atque hortabitur, ut agant temperantius, & resistant illecebris quæ divini amoris fervorem remittunt, & extinguunt demùm, nisi quotidianâ pœnitentiâ eluantur. 4to. Non permittet, nedum suadebit, ut conjux debitum alii per culpam venialem petenti deneget: imò nec ei semper qui petendo peccat mortaliter, ut dixi Tom. II. quem relegi precor.

---

# CAPUT SEPTIMUM.

## *De impedimentis Matrimonii.*

### §. I. *De impedimentis in genere.*

Contractus conjugalis spirituale aliquid, & aliquid civile continet. Primum ad Ecclesiam, alterum ad Principes pertinet. Duo proinde extrema hic cautè declinanda sunt. Primum eorum qui Ecclesiæ totam, Principibus verò nullam concedunt in Matrimonia authoritatem: alterum eorum qui totam Principibus sic asserunt, ut nullam Ecclesiæ relinquant. Huic postremo Novatorum errori imprudenter favet Launoius in Libro *De Regiâ in Matrimonium potestate*, ubi docet authoritatem statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia ad solos seculares Principes jure proprio sic pertinere, ut nonnisi vel usurpatione, vel precariò, Ecclesia jus illud exercere possit. Imò novo figmento, erroneo planè, ut & ridiculo, contendit ille in Canone Trident. quo definitur *posse Ecclesiam statuere impedimenta Matrimonium dirimentia*, nomine *Ecclesiæ* Principes intelligi, quorum duntaxat authoritate illa utitur, ut nonnulla impedimenta statuat. Sit contra

Conclusio. Potest Ecclesia, possunt & Principes temporales statuere impedimenta Matrimonium dirimentia: verùm Ecclesia relativè ad Sacramentum ac spirituales ejus effectus in quos nihil potest temporalis authoritas; Principes verò relativè ad contractum civilem ac politicos effectus, in quos Ecclesia nihil potest.

Prob. 1. pars, quæ certissima est apud omnes Orthodoxos, 1mo. quia Christus, Luc. 16. impedimentum, quod *ligamen* dicitur, apposuit, quo fit ut qui uxori alligatus est, non possit ab eâ, quandiu vivit, solvi, & cum altera conjungi. *Omnis*, inquit, *qui dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, mœchatur, &c.* Et Apostolus, I. Cor. 7. sanxit utcumque impedimentum, quod vocatur *cultûs disparitas. Si infidelis,* ait

ait, *discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.*

Prob 2do. Ecclesia usu perpetuo authoritatem suam exercuit in aliquibus impedimentis statuendis aut tollendis. Atqui non utique præscriptos sibi limites prætergressa fuit; cùm ut in moribus, sic nec in fide deficere possit. Neque verò appellari potest quis primus inter principes jus illud Ecclesiæ contulerit, ubi, quando, quibus in circumstantiis: imò Principes ipsi ad Ecclesiam sæpè confugerunt, tum ut impedimentum, quod ipsi pro sua authoritate constituerant, ab illâ approbaretur; tum ut ab illo dispensationem obtinerent. Jure igitur Trid. Sess. 24. Can. 4. *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.*

Confirm. Eam omnem in res spirituales potestatem Christus Ecclesiæ suæ concessit, quæ necessaria est ad optimum Reipublicæ Christianæ regimen, ad mores sanctæ societatis piè componendos; uno verbo ad salutem animarum comparandam. At quis sanus negaverit talem esse potestatem ferendi leges, quæ spectant publicam Sacramentorum administrationem, nuptiarum solemnitatem, & conditiones, quibus Fideles possint eas licitè ac validè celebrare? Pendet enim ut plurimùm tota vitæ ratio ac salus æterna ex Matrimonio debitè vel indebitè contracto; neque dici potest minùs pertinere ad Ecclesiam quàm ad Principes, providere de illâ optimâ contrahendi Matrimonii ratione, unde cœlo Fideles acquiruntur, ut & Regno Cives.

Prob. 2. pars, quæ Principes spectat, 1mo. ex usu principum, qui semper suâ authoritate usi sunt in ferendis circa Matrimonium legibus, ac statuendis impedimentis, quibus certis in casibus irritarentur. Hanc verò potestatem Principes usurpasse, quis nisi in Principes injuriosus asserat? Præsertim cùm Ecclesia de illâ usurpatione conquesta non fuerit; imò cùm eam potestatem commendaverint, tum SS. Patres, tum Concilia.

Prob. 2do. Contractus conjugalis civilem contractum, simul ac verum apud Christianos includit Sacramentum. Atqui denegari non potest Principibus jus figendi conditiones quibus validi vel invalidi sint contractus civiles. Unde S. Thom. in 4. dist. 34. q. 1. a. 2. *Matrimonium inquantùm est in officium naturæ statuitur jure naturæ; in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili; inquantùm est Sacramentum, statuitur jure divino. Et ideò ex qualibet dictarum Legum (naturæ,*

*humanæ*

*humanæ & divinæ) potest persona effici ad Matrimonium illegitima.*

Obj. cont. 1. part. Matrimonium est contractus civilis aut saltèm illum supponit uti fundamentum. Atqui ad solos seculares pertinet statuere de contractu civili. R. dist. maj. est contractus civilis simul & verum Sacramentum, C. Contractus purè civilis, N. Nihil equidem potest Ecclesia in contractum civilem, quatenùs ad effectus purè temporales ordinatur, sicut nihil possunt Principes in contractum conjugalem quatenùs est Sacramentum & ad effectus purè spirituales tendit: igitur contractum civilem non attingit Ecclesia, nisi quatenus est materia Sacramenti Matrimonii, sepositis aliis omnibus, quæ civilem politiam spectant.

Obj. cont. 2. part. Si posset Princeps secularis civilem Matrimonii contractum irritare, consequenter & irritum faceret Sacramentum, quia contractus civilis est materia Sacramenti. Atqui non potest Princeps secularis.... Alioqui saltèm indirectè authoritatem suam in res Ecclesiæ spirituales exerceret. R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. Sicut enim qui ex vino acetum facit, nihil etiam indirectè potest in Eucharistiam; sic qui ex contractu valido facit adjectis conditionibus invalidum, nihil in Sacramentum Matrimonii potest.

## §. II. *De impedimentis Matrimonii in specie.*

Impedimenta Matrimonii alia impediunt nè Matrimonium validè contrahatur, & hæc vocantur *dirimentia*; alia non dirimunt quidem Matrimonium, sed impediunt nè licitè contrahatur, & vocantur *prohibentia*. Impedimenta dirimentia, quæ nunc 15. sunt, his exprimuntur versibus:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,*
*Amens, affinis, si clandestinus & impos,*
*Si mulier sit rapta, loco non reddita tuto.*
*Hæ socianda vetant connubia, facta retractant.*

Error vel est *personæ*, quô una persona sumitur pro aliâ, v. g. Petrus pro Joanne; vel *conditionis*, quô quis judicatur esse liber, cùm sit servus, seu mancipium, gallicè *esclave*; vel *qualitatis*, quô quis judicatur eas habere qualitates, quas de facto non habet; ut quando putatur bonus, qui malus est; vel *fortunæ*, quando putatur esse dives, qui est pauper, vel è converso.

Certum est, 1mo. quòd error quicunque circa personam Matrimonium dirimat jure naturali; unde Matrimonium Jacob cum Liâ novô ejusdem Jacobi consensu firmari debuit. Ratio est quia ad Matrimonium requiritur consensus. Porrò ubi est error personæ, consensus non fertur in hanc personam, cum quâ contrahitur, sed in aliam, quæ adesse putatur. Aliud esset de errore circa solum nomen; quia nihil facit error nominum, cùm *de corpore constat*, L. 9. ff. *De contrah. empt.*

Dixi error *quicumque*, *&c.* quia ut error Matrimonium dirimat, nihil interest, an invincibilis sit, an vincibilis & crassus; an procedat ab ipso contrahente, an ab alio, qui eum decipiat; an secluso errore adhuc contracturus fuisset; àn non: quia in variis hisce hypothesibus semper verum est eum, qui circa personam errat, reipsâ non consentire in eam, quæ sibi proponitur, etsi fortè libentiùs ei jungeretur, quàm cui sese conjungi existimat. Si quis tamen ità affectus esset actu, ut vellet contrahere cum personâ præsente quæcumque ea sit, valeret Matrimonium, quia sufficiens adesset consensus.

Certum est 2do. errorem qualitatis aut fortunæ, regulariter loquendo, non dirimere Matrimonium: quia per eum non tollitur substantia consensûs in primarium Matrimonii objectum, quod est persona.

Dixi, *regulariter loquendo*, quia fieri potest, ut error fortunæ & qualitatis limitet consensum illius, qui contrahit. Idque præsertim contingit 1mo. cùm error qualitatis transit in errorem personæ; prout fit quoties qualitas, circa quam erratur, determinat personam, cum quâ quis intendit contrahere, eamque distinguit ab eâ, quæ præsens est; ut si quis intendens contrahere cum filiâ primi Præsidis, contrahat cum eâ, quæ se ejusdem Præsidis filiam esse mentitur; 2do. cùm quis explicitè vel implicitè intendit non contrahere, si persona, cum quâ contrahit, tali careat qualitate: quia reipsâ tunc non intendit ducere personam, quæ iis qualitatibûs destituta sit.

Sed in hâc materiâ satis difficili advertendum est, eum, qui personam jam anteà visu cognovit, eamque absolutè ducere voluit, si decipiatur, existimando eam esse nobilem, vel primogenitam, validè tamen cum eâ contrahere; etiamsi contrahere nollet, si hanc ignobilem esse cognosceret: quia non errat circa personam, sed circa accidentia. Hoc nixi principio docti quidam Sorbonistæ, definierunt valere Matrimonium in sequenti casu: Vagus quidam, gallicè *Aventurier*, cultiori vestitu, eleganti formâ, &c. jactitabat se ex illustri familiâ oriundum, & eô titulô frequens erat in domo viri nobilis, cui

erat filia jàm matura viro. Placuit, utrique advena, unde & ei nuptias spoponderunt, si genus suum probaret. Protulit ille ficta testimonia, & celebratæ sunt nuptiæ. Compertâ posthàc hominis novi fallaciâ, quæsitum est, an valeret Matrimonium istud. Asseruêre Doctores prædicti; quia deceptio tota fuit circa qualitates, nulla circa personam, puellæ cognitam, & in quam ipsa consensit, licèt secluso dolo minimè consensura.

Hic not. eos, qui, ut puellas nobiles, re aut spe opulentas ducant, aut amicis suis ducendas procurent, istorum genus, fortunam, præclaras ingenii dotes mendaciter exaggerant, graviter peccare, & ad restituendum teneri, quia miserâ hac fallaciarum strue, nobili & opulentæ puellæ præripiunt id, *quod erat in viâ habendi*, virum scilicet, cujus bona & conditio, bonis & conditioni puellæ respondeant.

Impedimentum erroris circa personam, nequidem ab ipsâ Ecclesiâ dispensari potest; quia nulla authoritas validum efficere potest, id quod jure naturali invalidum est; prout est contractus omnis, in quo circa ipsam rei substantiam erratur. Unde tunc novô consensu opus est; & is quidem coram Parocho & testibus renovari debet, si error in exteriori foro probari possit.

Conditionis nomine hic intelligitur status servitutis. Servi autem vel sunt propriè dicti, in quos scilicet patronus plenam habet libertatem, adeò, ut eos tanquam rem suam vendere possit, aliis locare, & quo voluerit transmittere; vel sunt *servi pœnæ*, qui nimirum ex judicis sententiâ damnati sunt ad triremes, ad exilium, ad mortem, quam fugâ declinaverunt. Quæritur: quis horum error Matrimonium dirimat.

R. 1mo. Error, quô persona libera falsò existimat eam, quam ducit non esse servilis conditionis, Matrimonium dirimit. Patet ex c. 4. *De conjugio servorum*, ubi sic Innocentius III. *Si miles ignoranter contraxerit cum ancilla, ita quod postquam intellexerit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eandem, contrahendi cum alia liberam ipsi concedimus authoritate Apostolicâ facultatem*; ergo Matrimonium hujusmodi non valet, nisi novus partis deceptæ accesserit consensus. Et is quidem consensus jure novo Concilii Trid. coram Parocho & testibus renovari debet.

Nec valebit Matrimonium istud, etiamsi error sit crassus & facilè vincibilis. Quia ad validitatem Matrimonii cum personâ servâ contracti, requiritur electio adeò libera, ut qui contrahit, voluntariè subeat damnum & onus, cui se exponit, ancillam ducendo. Atqui ubi est ignorantia quantumvis crassa

servitutis alienæ, ibi deest plena illa & voluntaria electio. Ergo non magis valet contractus Matrimonialis in hoc casu, quàm valeat donatio facta Joanni, quem errore fatuo sumpsi pro Menalcâ, cui soli dare volui. Sed de his plus satis, quia nulla est in Galliâ servitus; unde mancipium statim ac Franciæ limites tangit, libertatem obtinet.

R. 2do. Matrimonia eorum, qui exilio, vel triremibus in perpetuum mulctati sunt, valere quoad Sacramentum, non quoad effectus civiles.

Prob. 1. pars: quia Matrimonia hæc nullâ lege irritantur. Imò Parisiensis Senatus an. 1618. nuptias ab homine in perpetuum exulante ratas habuit: Idem an. 1625. confirmavit nuptias hominis morte damnati, qui è carcere evaserat: demùm an. 1700. reprobavit secundas nuptias, quas contraxerat mulier, quæ homini ad perpetuas triremes damnato, inscia conditionis ejus nupserat, & hoc prætextu à priori viro recesserat.

Prob. 2. pars, quia prædicti pœnæ servi censentur mortui civiliter.

Quia tamen *deceptis jura subveniunt*, si uxor validis argumentis probaret se ignorasse conditionem mariti, posset ipsa conventiones Matrimoniales, v. g. dotem, dotalitium, vulgò *donaire*, & communitatis jura percipere. Quòd si quis ad tempus exilio, triremibusve damnatus esset, valeret etiam quoad effectus civiles ejus Matrimonium.

VOTUM de quo agimus in præsenti, illud est, quo quis continentiam DEO promisit. Porrò cautè hic not. continentiam voveri posse, 1mo. *in perpetuum*, vel *ad tempus*; 2do. *absolutè & illimitate*, ut si quis omnimodam à venereis abstinentiam voveat, vel *partialiter & limitatè*, ut si quis emittat votum non fornicandi, aut uxorem non ducendi: Neuter enim continentiam adæquatè vovet; unde prior non peccaret uxorem ducendo; posterior verò peccaret quidem fornicando, sed non peccaret contra Religionem; quia vovisset abstinentiam à nuptiis, non à fornicatione.

Votum aliud est *simplex*, quod nuda est promissio sine solemnitate DEO factâ, ut votum jejunandi, vel ingrediendi Religionem; aliud *solemne*, quod est consecratio sui ipsius divino cultui cum præscriptis solemnitatibus facta, & DEI ipsius nomine ab Ecclesiâ acceptata; quod fit tantùm in susceptione Ordinis sacri, & Professione valida Religionis ab Ecclesiâ approbatæ.

Certum est 1mo. quòd *votum simplex Matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat jam contractum*, prout

 definit

definiit Cæleſtinus III. c. 6. *Qui Clerici, &c.* Unde qui ſimplicia, ſive privatim, ſivè in Communitatibus Secularibus vota emiſerunt, etſi, Matrimonium contrahendo, graviter peccant contra Religionem; validè tamen contrahunt, exceptis Jeſuitis, qui per vota poſt biennium emiſſa Religioſi efficiuntur.

Certum eſt 2do. invalidum eſſe Matrimonium, quod quis contraxit, imò & conſummavit poſt emiſſum ſolemne caſtitatis votum in Religione approbatâ. Ita definiit Trid. Seſſ. 24. can. 9. ubi: *Si quis dixerit Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto ... anathema ſit.*

Certum eſt 3tio. Matrimonium ratum, ſed non conſummatum, dirimi per Profeſſionem poſteà validè factam in Religione approbatâ, qualis eſt Melitenſium; unde liberum eſt parti, quæ dimiſſa eſt, & in ſeculo remanſit, ad alias nuptias convolare. Sed non diſſolvitur Matrimonium etiam ſimpliciter ratum, per conſecrationem alterius conjugis in Epiſcopum, vel per emiſſionem votorum ſimplicium Societatis: tum quia hæc, licèt publicè emittantur, manent tamen ſimplicia; tum quia non conſtituunt hominem immobiliter Religioſum.

Certum eſt 4to. Matrimonium conſummatum non dirimi Profeſſione Religioſâ: quia tale Matrimonium unam ex conjugibus carnem facit; unde tunc neceſſariò valet id Chriſti, *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Et id verum eſt, etiamſi Matrimonium ſivè intra, ſivè poſt primum bimeſtre, etiam per vim fuerit conſummatum: quia tunc ſtat conjuges factos eſſe unam carnem. Poſſet tamen pars, quæ vi oppreſſa eſt intra primum bimeſtre, non obſtante Matrimonii hujus vinculo, Religionem ingredi. 1mo. Quia nemini vis & dolus patrocinari debent, nec culpa unius bonum alterius impedire poteſt. 2do. Quia poteſt conjux propter adulterium vel hæreſim mariti, ingredi Religionem; ergo & id poteſt propter vim ſibi iniquè illatam, ut quæ non minùs ſit contra jus Matrimonii. Aliter ſtatuendum, ſi ſecuta ſit proles, quæ ſinè matris auxilio educari non poſſit.

Quod dictum eſt de vi, idem dicendum de metu cadente in virum conſtantem. Unde in hoc etiam caſu pars læſa Religionem ingredi poteſt, quia reipsâ injuriam gravem paſſa eſt; nemo autem per injuriam privari poteſt jure ſuo. Verùm in neutro caſu qui vim, vel metum gravem incuſſit, Religionem ſinè alterius licentiâ ingredi poteſt, quia ex parte ejus Matrimonium voluntariè conſummatum eſt.

Si

Si partes ante Matrimonium carnalem copulam habuerunt, non poterit altera ſubſecuto abſque novâ copulâ Matrimonio Religionem ingredi; tum quia Alexander III. ad Matrimonii indiſſolubilitatem ſolùm requirit, ut conjuges fiant una caro, non requirit autem, ut fiant una caro poſt Matrimonium; tum quia ſi Matrimonium copulam illicitam ſubſequens, vim habet legitimandæ prolis, vim etiam habere debet efficiendi, ut actus, qui proli ortum dedit, habeatur tanquam Matrimonii conſummatio.

Certum eſt 5to. conjuges vel eorum alterum, aliquando poſſe Matrimoniô jam conſummatô in Religione valide profiteri aliquando non.

1mo. Quidem non poteſt alter conjugum validè profiteri, aliô vel inſciô, vel per dolum aut metum conſentiente. Tunc tamen valet ejus votum quoad obligationem caſtitatis quantùm fieri poterit, cuſtodiendæ. Unde nec debitum exigere, ſed ſolummodò reddere; nec poſt mortem uxoris aliam ducere poteſt, licèt ad Monaſterium redire non teneatur.

2do. Poſſunt conjuges, vel eorum alter validè in Religione profiteri; 1mo. cùm ambo communi conſenſu ſtatum Religioſum amplectuntur. 2do. cùm unus de alterius licentiâ Religionem ingreditur. Tunc autem qui in ſeculo remanſit, debet ipſe poſt Profeſſionem compartis ingredi Religionem, *niſi forte ejus ſit ætatis, ut ſinè ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſeculo remanere*, c. 13. *De converſ. conjug.* Quo tamen in caſu neceſſum eſt, ut perpetuam voveat caſtitatem coram Epiſcopo & teſtibus.

Quæres an impedimentum voti ſolemnis ſit diſpenſabile. Negat acriter III. Tutel. Epiſcopus D. Dargentrè. Aliter tamen ſentiunt plerique Theologi. 1mo. Quia Eccleſia diſpenſare poteſt in eo, quod ſolùm eſt juris Eccleſiaſtici: Atqui voti ſolemnitas, ac proinde ejus contra Matrimonium efficacia; eſt ſolùm Juris Eccleſiaſtici, ut alibi probavimus; 2do. Quia durum eſt improbare praxim ſanctæ Sedis, quæ maturô conſiliô operatur; & tamen non ſemel in votis ſolemnibus diſpenſavit: putà cum Cazimiro, qui ex Diacono Cluniacenſi Rex Poloniæ evaſit.

Cognatio triplex, *carnalis*, quæ dicitur conſanguinitas, quaſi ſanguinis unitas; *ſpiritualis*, quæ compaternitas, & *legalis*, quæ adoptio nuncupatur.

Cognatio carnalis, ſeu naturalis, eſt vinculum perſonarum quarum una ab alia, vel ambæ ab eadem ut à communi ac propinquo ſtipite per carnalem generationem deſcendunt.

Dicitur 1mo. *vinculum*, id est arctior corporum & animorum conjunctio in naturali ejusdem sanguinis communicatione fundata; proinde major sic conjunctorum erga se invicem reverentia.

Dicitur 2do. *personarum, quarum una descendit ab alia;* ut filius & filia à patre.

Dicitur 3tio. *vel ambæ descendunt ab eâdem personâ,* sicut frater & soror ab eodem patre, consobrini germani ab avo.

Dicitur 4to. *tanquam à communi stipite:* quia sicut in arbore truncus est id, in quo rami coadunantur, ità & in consanguinitate persona, à quâ filii, nepotes, & alii profluunt, est veluti stipes, in quo hi omnes unum esse censentur.

Dicitur 5to. *& propinquo:* quia in consanguinitate prout Matrimonii diremptivâ, non habetur ratio stipitis remoti; aliòqui omnes essent consanguinei, cùm omnes ab Adamo descendant. Quidquid itaque ultra quartum gradum est, se habet ut radix occulta, quæ non consideratur.

Dicitur 6to. *per carnalem generationem.* Unde quia ii, qui ab eodem stipite illicitè procreantur, verè tamen eundem ab ipsis sanginem hauriunt, verè quoquè pro cognatis habentur. In Jure civili, qui à patre descendunt, vocantur *agnati;* qui à matre, *cognati.* Jus canonicum utrosque cognatorum nomine exprimit.

Ut intelligatur quandònam consanguinitas Matrimonium dirimat, tria in eâdem secerni debent, *stipes, linea, & gradus.*

Stipes est vel pater solus, solave mater, cùm filii è diversis connubiis nati sunt; vel pater & mater conjunctim: nam vir & uxor cum sint una caro, unum eundèmque stipitem constituunt.

Linea est series, seu ordo personarum ab eodem stipite descendentium. Linea, vel est *recta*, vel *transversa*, seu *collateralis.*

Linea recta, est ordo personarum, quarum una genita est ab aliâ, vel immediatè ut filius à patre, vel mediatè ut nepos ab avo. Linea recta, alia est *ascendentium*, cùm progredimur à genitis ad genitores, inquirendo eorum stipitem, v. g. patrem avum, proavum, abavum. Alia *descendentium*, cùm à genitoribus regredimur ad genitos, scilicet à patre ad filium, nepotem, pronepotem, & abnepotem.

Linea collateralis seu indirecta, est series personarum, quæ descendunt quidem ab uno communi stipite, sed à se invicem non descendunt: sic duo fratres, ambo sunt ab eodem patre; & duo consobrini, ambo sunt ab eodem avo, nec tamen sunt à se invicem. Hæc linea vel est *æqualis*, cùm ii quorum cognatio

inquiritur

inquiritur, æqualiter distant à communi stipite, ut duo fratres; vel *inæqualis*, quæ etiam *mixta* dicitur, cùm consanguineorum alter magis, alter minùs distat à stipite communi, ut frater, & fratris filius.

Gradus est distantia consanguineorum, tum à se invicem, tum a communi stipite.

Ut computentur consanguinitatis gradus, tres assignantur regulæ. Prior spectat lineam rectam, posteriores duæ lineam collateralem.

Regula 1. In lineâ rectâ ascendentium & descendentium, tot sunt gradus, quot sunt personæ, demptô, seu non computatô stipite, à quo personæ illæ immediatè, vel mediatè procedunt. Unde quia pater & filius duæ sunt personæ, si stipitem, id est, patrem demas, pater & filius erunt in primo gradu, quia dempto stipite, una solùm superest persona. Similiter avus & nepos sunt in secundo gradu; pronepos est in tertio gradu cum proavo; & abnepos cum abavo in quarto. Idem dicendum de matre respectu filii vel filiæ, nepotis, vel neptis, &c.

Ratio hujus regulæ est, quia tot sunt gradus quot generationes, cùm unaquæque generatio removeat à stipite: atqui tot sunt generationes quot sunt personæ, demptô stipite. Stipes enim non potest gradum facere, cùm & à semetipso non distet, & hic consideretur quasi prima totius prosapiæ origo.

Regula 2. In lineâ collaterali æquali, personæ tot gradibus distant ab invicem, quot gradibus distant à communi stipite. Sic duo fratres uno solùm gradu à se invicem distant; quia uno solùm gradu distant à communi stipite; sic quoque filius unius fratris, quia duobûs gradibûs distat à stipite communi, duobûs etiam gradibûs distat à filiis alterius fratris. Ratio est, quia stipes communis tota est ratio unionis sive fratrum, sive eorum, qui à fratribus originem trahunt; ergo ii nec plus nec minùs à se invicem distare possunt, quam à stipite communi.

Regula 3. In lineâ collaterali inæquali, consanguinei tot gradibus distant inter se, quot gradibus distat ille eorum, qui remotior est à stipite communi. Sic si Petrus filios habeat Joannem & Marcum; Marcus verò filium habeat Barnabam, & Barnabas filium Simonem, Simon tribus gradibus distat à Joanne; quia totidem gradibus distat à Petro, abavo suo, totius hujus consanguinitatis stipite. Ratio, cur in lineâ collaterali computentur gradus ab eo, qui remotior est à stipite, hæc afferri solet: Quòd qui sunt in gradu remotiori à stipite,

non possunt propinquiores esse ulli è collateralibus suis, quàm stipiti, à quo originem ducunt; cùm stipes tota sit propinquitatis ratio: Atqui si gradus computarentur ab eo, qui propinquior est stipiti, jam ii, qui sunt à stipite remotiores, magis essent propinqui collateralibus suis, quàm ipsimet stipiti. Sic in exemplo mox adducto, Simon tribus gradibus distaret à Petro, & uno uno tantùm gradu à Joanne, quia Joannes ipse uno tantùm gradu distat ab eodem Petro. Hinc Pius V. in Bullâ, *Sanctissimus*, datâ 1566. *statuit quòd de cetero in quibuscumque dispensationibus consanguinitatis & affinitatis, excepto* solùm primo gradu, de quo statim, *sufficiat remotiorem tantùm gradum exprimere.*

Hæ regulæ servari debent in foro tam Seculari quàm Ecclesiastico; tametsi Jus civile aliter gradus computat, non quidem in lineâ rectâ, sed in collaterali, ubi tot numerat gradus, quot sunt personæ dempto stipite: unde secundùm Juristas duo fratres licèt sint in primo gradu respectivè ad communem parentem, sunt in secùndo gradu relativè ad se; quia duæ sunt personæ, quæ suum singulæ gradum constituunt.

Circa hæc not. 1mo. regulam, quæ statuit, ut in lineâ transversâ gradus remotior ad se trahat propinquiorem, non ità esse generalem, ut nullas patiatur exceptiones. Si enim gradus propinquior sit gradus primus, gradus verò remotior non eat ultra quartum, obreptitia erit dispensatio sinè gradûs propinquioris mentione obtenta, *cùm in eo primo gradu Sanctitas sua nunquam dispensare intendat*, ut tradit Pius V. in Constitutione mox citatâ. Imò ut omnis dematur scrupuli causa, sollicitì esse debent qui in gradu mixto dispensationes petunt, ut gradus propinquior semper exprimatur.

Not. 2do. in gradu inæquali, qui gradum primum attingit, (putà si patruus filiam sororis suæ, vel amita filium Fratris sui ducere velit) exprimendum esse, qui (exus sit in primo gradu, an vir, an mulier: quia longè difficiliùs conceditur, ut filius sororis vel fratris in uxorem ducat amitam, vel materteram, quàm patruus aut avunculus sororis vel fratris filiam: quia ordini repugnare videtur, ut amita, quæ quasi alia mater certam in fratris sui filium authoritatem habere debet, eidem tanquam capiti subjecta fiat: quæ ordinis inversio locum non habet, cùm patruus fratris vel sororis filiam ducit in uxorem, quia hæc inferior manet, ut anteà erat. Ceterùm Senatus Parisiensis Matrimonia avunculos inter & fratrum filias quoad effectus civiles nulla declaravit an. 1664. & vetuit nè Bancarii in Curiâ Romanâ, hujusce generis dispensationes obtinerent.

Not. 3tio. in exprimendo gradu mixto semper incipiendum esse.

esse à gradu masculi, sive is sit propinquior, sive remotior. Sic relatio materteræ ad filium fratris, dicitur à secundo ad primum; relatio verò patrui ad filiam sororis vel fratris, dicitur à primo ad secundum.

Not. 4to. eos, qui circa consanguinitatem consuluntur, nè in materiâ tanti momenti aberrent, debere in chartâ arborem consanguinitatis delineare, ibique exscribere stipitem communem, à quo descendunt personæ, de quibus agitur; & deinceps hinc & inde generationes & nomina personarum, usque ad eas, de quibus quæritur, an in gradu prohibito consanguineæ sint. Sic enim multò tutiùs ex regulis suprà recensitis judicabunt, an & quâ indigeant dispensatione. Nè autem junioribus Presbyteris moram injiciant nomina, quibus consanguineos exprimere solent Juristæ, quædam minùs obvia hic vernaculè interpretabimur.

In primo itaque lineæ rectæ ascendentium gradu sunt pater & mater eorum, de quibus agitur.

In secundo sunt avus & avia, *Dziad y Baba*. In tertio proavus & proavia, *Pradziad y Prababa*. In quarto abavus & abavia, *Prapradziad y Praprababa*.

In primo ejusdem lineæ rectæ descendentium gradu, sunt filius & filia eorum, de quibus agitur. In secundo nepos & neptis; *Wnuk y wnuczka*. In tertio pronepos & proneptis, *Prawnuk y Prawnuczka*. In quarto abnepos & abneptis, *Praprawnuk y Praprawnuczka*.

Ex his personis unaquæque alias parit mihi collaterales. A patre meo, fluunt frater meus & soror mea, mihi in primo gradu collaterales; qui *germani* dicuntur, si sint ab eodem patre, & eâdem matre; *consanguinei*, si sint ab eodem patre, sed à matre diversâ; *uterini* verò, si sint ab eâdem matre, & à patre diverso. Ab avo meo sunt patruus & amita *Stryi y Stryienka* avunculus & matertera, *Wuy y Ciotka* mihi in secundo gradu collaterales. A proavo sunt patruus magnus, & amita magna; avunculus magnus, & matertera magna; mihi in tertio gradu collaterales. Ab abavo demum sunt propatruus, & proamita; proavunculus, & promatertera; mihi in quarto gradu collaterales. A patruo veniunt patruelis, *Stryieczny Brat*. Ab avunculo sobrinus, *Cioteczny Brat*. Jam videndum, quo in gradu Matrimonia consanguineis jure naturali vel Ecclesiastico prohibita sint.

Conclusio I. Matrimonia consanguineorum in quolibet rectæ lineæ gradu, saltèm jure Ecclesiastico illicita sunt & nulla.

Prob ex Resp. Nicolai I. ad consulta Bulgarorum, ubi sic: *Inter*

*Inter personas quæ parentum liberorumque locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam; vel avum & neptem, & usque in infinitum.* Et verò conjugia filiorum cum parentibus adversantur pudori, ut per se notum est, & ordinem naturæ invertunt. Is enim exigit, ut filii semper eôdem modô parentibus subditi sint: atqui si filii matrem vel aviam, filiæ patrem vel avum in conjuges ducerent: iis utique minus post Matrimonium subditi essent quàm ante; quia cum iisdem una caro effecti, eadem penè jura haberent.

Dixi, *saltem jure Ecclesiastico*, quia censent multi eadem connubia jure etiam naturali invalida esse; unde, inquiunt, si Adam hodie rediret nullam posset uxorem ducere. Hæc tamen sententia rejicitur à Sanche & Sylvio, quibus consequenter persuasum est infidelem, qui aviam, vel fratris sui filiam duxisset, non esse ab iis separandum, si ad fidem convertantur.

CONCLUSIO II. Matrimonia consanguineorum in lineâ collaterali usque ad quartum gradum inclusivè sunt nulla jure Ecclesiastico.

Prob. ex Conc. Later. IV. Can. 50. ubi: *Prohibitio copulæ conjugalis*, quæ anteà ad septimum usque gradum extendebatur, *quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cetero non excedat.*

An Matrimonium seu fratris cum sorore, seu filii fratris cum amitâ, jure naturali vel divino invalidum sit ambigitur. Probabilius est quòd non. Quia Matrimonium fratris cum sorore initiô mundi permissum est. Quis porrò credat DEUM sic instituisse genus humanum, ut primi homines statim ipsas naturæ leges violare coacti fuerint? Idem à fortiori dicendum de Matrimonio amitam inter & filium fratris ejus. Nec nocent Leges Levitici, quia unà cum Lege Moysis abrogatæ sunt, unde potest Ecclesia permittere quædam per eas prohibita; sicut & quædam prohibere potest per eas permissa.

Qui cum impedimento consanguinitatis, *scienter Matrimonium contrahere præsumpserit*, debet ex Trid. Sess. 24. c. 5. separari ab eâ, quam duxit, absque ullâ *spe dispensationis consequendæ; idque*, ait Synodus, *in eo multo magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quòd si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas*, ac præcipuè Bannorum promulgationem, *in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pænis ... Si verò solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod posteà subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit; tunc faciliùs cum eo & gratis dispensari poterit.*

Porrò

Porrò ex causis propter quas Papa ab impedimento sivè consanguinitatis sive affinitatis dispensare consuevit, aliæ vocantur *honestæ*, quæ nullum oratoribus probrum inurunt; aliæ ex opposita ratione vocantur *infamantes*. Causæ honestæ ad duodecim revocari possunt.

Prima est *angustia loci*, cùm locus originis adeò angustus est, ut oratrix seu mulier, nullum in eo *reperire possit* parisfecum conditionis cui nubat, nisi consanguineum vel affinem. Hæc clausula solitariè sumpta, nec prodest iis, qui sunt in gradibus propinquis; neque iis qui urbes Episcopales incolunt, modò ista excedant *numerum trecentorum focularìorum*: & in hoc casu exprimi debet qualitas personarum, *ut si sint ex honestis familiis, quæ tanquam causa venit verificanda*. Ità Pyr. Corradus, l. 7. c. 5.

Sed quid si oratrix paris conditionis hominem reperiat in loco ei vicino in quo commoratur? R. dispensationem valere: tum quia durum existimatur feminam cogi extra proprium oppidum nubere, nè sic parentum consortiò & consiliis destituta maneat; tum quia ità declaravit Cardinalium Congregatio. Porrò nomine loci, ob cujus angustiam conceditur ista dispensatio, non intelliguntur *suburbia civitatis*, *licèt aliquantulùm ab eâ distent*; *quamvis si per milliare*, *sive paulò minùs distent*, *licitè videatur hujusmodi causam admitti posse*, *prout admissam diu vidimus*; verba sunt Corradi ibid. n. 42.

Cùm autem clausula hæc ferat, puellam virum sibi æqualem *invenire non potuisse*, necessariò debet conveniens præcessisse diligentia puellæ in inquirendo marito, seu per semetipsam inquisierit, quod vix honestè exigi potest, seu per parentes suos, aut qui parentum vicem gerunt.

Secunda causa, est angustia locorum, non quidem simpliciter, sed cùm clausulâ hâc: *Quòd si oratrix extra dictum locum nubere cogeretur, dos quam ipsa habet, non esset competens, ut cum ea invenire posset virum, cui juxta statûs sui conditionem nuberet*. Hæc clausula non requiritur in omnibus gradibus, sed tantum in Propinquioribus, v. g. in secundo & tertio: quia quò propinquior est consanguineorum vel affinium gradus, eò major requiritur causa ad dispensandum.

Tertia causa, est *incompetentia dotis* oratricis, quæ vel indotata manebit, vel saltèm fortunam statui suo convenientem non inveniet, nisi consanguineo vel affini nubat. Hæc causa admodùm justa est, nè puella, si innupta manserit, incontinentiæ periculum subeat; si autem viro inæquali nupserit, miserè vivat, cùm inæqualia conjugia tristes effectus parere soleant. Ceterùm nihil interest, an oratrix dotanda sit ab eo ipso cui

nubet,

nubet, an ab alio, qui eam in gratiam Matrimonii hujus dotare velit.

Idem est, si fœmina habeat dotem adeò litibus involutam, ut ipsam sinè studio viri solertis recuperare & tueri non possit. Ceterùm quia divitiæ patris arguunt divitias filii etiam nihil actu habentis, non censetur carere dote, quæ parentes habet divites, nisi hi prole multâ graventur, vel competenti ad dotem parte bonorum spoliare se actu non valeant.

Quarta causa, est *bonum pacis*, sive inter regna, sive etiam privatas inter familias gravibus odiis dissitas, vel propè diem disjungendas, instaurandæ vel confirmandæ. Hæc causa, cùm de inimicitiis jam existentibus agitur, coram eo, qui ad dispensationem delegatur, in specie & non in genere solùm, *plenè & concludenter omninò probari debet per testes super dictis inimicitiis deponentes*. Ità Corradus, n. 71.

Quinta causa, est *ætas puellæ* annum 24. excedentis. Hæc causa per se solam non sufficit in gradu secundo, vel in primo & secundo: sufficit tamen in aliis; idque eò magis, quò plus recessit puella ab ætate annorum 12. quâ nubilis esse incepit. Ratio est, quia timere est, nè puella diu marito destituta, in suum corpus peccet, aut sinè parentum consensu nubat.

Sexta causa, est *periculum vitæ*, & id contingit 1mo. cùm puella commoratur in loco ad littus maris sito, ac propterea continuis Piratarum invasionibus obnoxio; unde fit, ut neminem nisi consanguineum invenire commodè possit, qui secum in eodem loco morari velit. 2do. Cùm quis commisit crimen pænâ capitali dignum, quod familia condonare parata est, si hanc vel illam â consanguineis suis ducere velit.

Septima causa, quæ præcipuè apud Belgas & Germanos viget, *est periculum seductionis*, cùm Oratores consanguineos ducere intendunt, nè cùm Hæreticis aut de hæresi suspectis jungi cogantur.

Octava causa, est *conservatio bonorum in eâdem familiâ*. Ratio est, quia ampla unius familiæ bona ad aliam transire non solent sinè magno familiæ totius dispendio: unde causa hæc reducitur ad *bonum pacis*. Eadem tamen causa in gradu secundo, vel in secundo & tertio, non admittitur *sinè maximis favoribus*, ait Corradus.

Nona causa præcedenti affinis, est *illustris familiæ conservatio*; idque rationi consonat, cùm familiæ illustres publicæ rei plurimùm inserviant.

Decima causa, est *excellentia meritorum*; eos enim, qui de Ecclesiâ, sive in bello contra Infideles, sive in legitimâ jurium

ejus

ejus defenſione benè meriti ſunt, ab Eccleſiâ remunerari decet. Hæc cauſa ab Executoribus reſcriptorum Apoſtolicorum verificanda eſt.

Undecima cauſa eſt, cùm *oratrix filiis ex alio viro procreatis gravata eſt*, & orator eorumdem curam ſuſcepturum ſe ſpondet. Hæc cauſa facilè non admittitur ſola; & nunquam admittitur, niſi poſtquam *orator idoneè cavit ſe dictis filiis alimenta præſtiturum.*

Duodecima cauſa eſt, cùm contrahentes *ex certis & rationalibus cauſis moventur*, &c. & hæc diſpenſationum ſpecies vocatur, *ſinè causâ.* Qui prædictam diſpenſationem executioni mandant, cauſarum illarum verificationem exigere non debent, non obſtante clauſulâ, *diligenter informes*, prout Romæ judicatum fuit.

Cauſæ infamantes ad tres reduci poſſunt.

Prima eſt, cùm partes ob nimiam in totâ agendi ratione familiaritatem, ſeclusâ tamen copulâ, viciniæ ſcandalum dederunt; adeò, ut niſi ambæ jungantur, neminem inveniat puella, cui nubat.

Secunda eſt, cùm partium familiaritas ad prolem uſque increvit, ità ut non aliter quàm per utriuſque conjunctionem ſcandalo occurri poſſit.

Tertia eſt, cùm partes licèt conſanguineæ, vel affines, Matrimonium contraxerunt, nec jam ſinè gravi ſcandalo aut diſpendio poſſunt ſeparari. Tunc verò exprimendum eſt, an partes impedimentum ante nuptias, an duntaxat poſteà cognoverint; an ſtatim ac ejus notitiam habuêre, à carnali copulâ abſtinuerint; an eo fine peccaverint, ut faciliùs diſpenſationem conſequerentur.

Cognatio Spiritualis, eſt conjunctio, quæ contrahitur ratione Baptiſmi & Confirmationis. Cùm enim Baptiſmus ſit nova quædam generatio, in quâ baptiſans & ſuſceptores vicem patrum gerunt, indecens eſt, ut qui baptiſati ſunt, aut à ſacro fonte ſuſcepti, eos in matrimonium ducant, à quibus baptiſati vel ſuſcepti fuere. Hinc difficiliùs diſpenſat S. Sedes in impedimento illo, quàm in impedimento cognationis carnalis. Idem ſervatâ proportione dicendum de Confirmatione, quæ quoddam eſt Baptiſmi complementum.

Jure antiquô latè diffundebatur cognatio ſpiritualis; ſed *volens S. Synodus* Trid. incommodis indè frequenter exurgentibus *providere, ſtatuit*, ſeſſ. 24. c. 2. *ut unus tantùm, ſive vir, ſive mulier ... vel adſummùm unus & una, baptiſatum de Baptiſmo ſuſcipiant, inter quos ac baptiſatum ipſum, necnon & illius patrem & matrem; necnon inter baptiſantem & baptiſatum,*

*tum, baptisatiquè patrem & matrem* tantùm, spiritualis cognatio *contrahatur*.... *Ea quoquè cognatio quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem* non excedat.

Hinc 1mo. qui infanti jam domi baptisato nomen imponunt, cùm Baptismi ceremoniæ supplentur, nullam contrahunt cognationem spiritualem, quia tunc non suscipiunt infantem à sacro fonte. Imò nec prædictam cognationem contrahunt, qui infantem suscipiunt extra Baptismum solemnem, quia tunc non sunt verè patrini. Unde qui Baptismi instrumenta conficit, exprimere debet, infantem jam anteà domi baptisatum esse, ut intelligatur eos, qui honoris causâ eidem nomen imposuêre, nec verè fuisse patrinos, nec cognationem ullam contraxisse.

Hinc 2do. tutius est, ut qui infantem sub conditione baptisatum susceperunt, prædictam cognationem contraxisse supponantur, quia dubium est, an hujusmodi Baptisma valeat: in dubio autem pars tutior tenenda est. Idem dic de iis, qui per Procuratorem puerum susceperunt; 1mo. quia ex Jure, Qui per alium facit, per seipsum facere censetur. 2do. Quia is solus, ex cit. Trid. cap. cognationem spiritualem contrahit, qui *designatus est* ad levandum infantem: unde *si alii extra designatos baptisatum tetigerint, spiritualem cognationem nullò pacto contrahunt.* Atqui Procurator designatus non est ad tenendum infantem, sed ille solùm, cujus is vices gerit: ergo ille solùm, non autem Procurator, cognationem hanc contrahere debet. Et ità, teste Fagnano in cap. *Veniens, De cognatione spirit.* definitum est à S. Congregatione. Quia tamen hæc nostra opinio, etsi verior apparet ut & communior, haud tamen omninò certa est, censemus in hoc casu sufficere, propter dubium, dispensationem Episcopi.

Ex his sequitur, 1mo. quòd si Civitas quædam infantem de fonte sacro per aliquem à se deputatum levaret, tunc singuli qui ejusdem Civitatis corpus constituunt, prædictam cognationem contraherent; 2do. quòd ad eandem contrahendam nec requiratur nec sufficiat contactus physicus. Utrumque vel unò Procuratoris, de quo statim loquebamur, exemplò manifestum est: unde etiam qui in levando infante patrinum & matrinam adjuvant, licèt physicè tangant infantem, nullam tamen hinc cognationem contrahunt, nisi & ipsi verè patrini sint; quia etsi vetitum est à Tridentino, nè idem puer plures habeat patrinos, si tamen plures ab imperito vel timidiori Parocho admitti contingat, (quod multi negant sine gravi peccato fieri posse) omnes cognationem contrahunt, quia omnes eodem modo infantem

tem tenent. Quòd si è pluribus per parentes designatis Parochus unum duntaxat & unam admiserit, ii soli cognationem contrahent, quia cùm penès Parochum sit eos admittere, quos volet, ut servetur Lex Tridentina, reipsâ patrini non erunt, quos ille justâ de causâ rejecerit.

Hinc 3tio. qui in casu necessitatis baptisat puerum, veram cum eo affinitatem contrahit, quia verè baptisat, & jus non distinguit inter baptisantem cum necessitate, & baptisantem sinè necessitate. Si tamen pater in casu necessitatis prolem propriam, modò tamen legitimam, baptisaret, nullam cum uxore suâ cognationem contraheret. Quòd si id faceret sinè necessitate, & ex malitiâ, ut à conjugis thoro abstineret, teneretur eidem, ut anteà, reddere debitum, nè commodum reportaret ex fraude suâ, sed deinceps idem debitum exigere non posset.

At verò pater, qui etiam in necessitatis casu concubinæ suæ, vel alterius mulieris filium baptisat, eandem validè ducere non potest sinè dispensatione; quia cognationis spiritualis vinculum pro iis solùm sublatum est, qui proprios eosque legitimos filios in casu necessitatis baptisant.

Ceterùm error facti impedit, sive in patre respectu propriæ prolis, sive in alio quocumque, nè impedimentum cognationis spiritualis contrahat. Prima pars liquet ex c. 2. *De cognat. spirit.* ubi sic loquitur Alexander III. *Si vir vel mulier ex ignorantiâ* filium suum de sacro fonte susceperit, *eos ignorantia excusare videtur.* Secunda pars æquè constat; quia licèt ad contrahendam cognationem hanc necessaria non sit intentio ejusdem contrahendæ, at certè necessaria est intentio fungendi munere patrini; (unde nec ebrius, nec infans materialiter præsens, affinitatem hanc contrahit.) Sed qui per errorem levat filium Petri, existimans se levare filium Joannis, intentionem hanc non habet: Ergo non contrahit cognationem spiritualem cum filio aut parentibus Petri; neque etiam cum filio aut parentibus Joannis, quia reverâ non suscipit filium Joannis. Secùs dicendum est, si habeat intentionem suscipiendi puerum præsentem, quisquis ille sit. Aliud est de eo, qui baptisat filium unius, credens se alterius filium baptisare; quia Minister Sacramenti tenetur habere intentionem baptisandi personam præsentem, quæcumque ea sit.

Hinc 4to. baptisati omnes, & qui de jure in patrinos assumi non debent, verè tamen cognationem prædictam contrahunt, unde ei subjacent, non solùm Religiosi & Abbates, quibus ex c. 104. dist. 4. *De consecrat. non licet de baptismo suscipere filios, nec commatres habere;* sed etiam Hæretici qui baptisant aut su-

ſcipiunt, quia vi Baptiſmi ſubjacent legibus Eccleſiæ. Si verò Infidelis puerum baptiſet, aut ſuſcipiat, nulla exurget cognatio ipſum inter & baptiſatum, ac baptiſati parentes. Idem dic, ſi vir Fidelis baptiſet, aut ſuſcipiat filium fœminæ infidelis; unde hanc, ubi converſa fuerit, ducere poterit citra diſpenſationem.

Hinc 5to. patrinus & matrina ſimul matrimonio jungi poſſunt, quia nulla eos inter exurgit cognatio. Porrò etſi *uxor cum marito nullâ authoritate* prohibetur *in baptiſmate puerum ſuſcipere*, ſatius tamen eſt, *ut utrique inſimul ad hoc aſpirare minimè præſumant*, xxx. q. 4. c. 6. Quin & nonnulis in Diœceſibus conjuges alienum puerum tenere prohibentur.

Quod dictum eſt de cognatione ſpirituali exortâ ex Baptiſmo, idem dicendum de cognatione exortâ in Confirmatione. Hodie tamen conſuetudo patrinos & matrinas adhibendi in Confirmatione penè obſolevit. Sit jam

Conclusio. Cognatio ſpiritualis jure ſolùm Eccleſiaſtico matrimonium dirimit; adeòque impedimentum hoc ab Eccleſiâ relaxari poteſt.

Prob. 1mo. quia nulla impedimenti hujus in monumentis priorum Eccleſiæ ſæculorum veſtigia apparent: porrò impedimentum jure naturali conſtitutum priori Eccleſiæ ævo ignotum non fuiſſet. 2do. Impedimentum, quod Eccleſia vel extendere, vel reſtringere poteſt, non eſt ab ipſo jure naturali conſtitutum: atqui tale eſt impedimentum cognationis ſpiritualis, quòd olim multò latiùs quàm nunc extendebatur, ut norunt omnes.

Hic not. ei, qui carnaliter cognovit perſonam cum quâ ſpirituali cognatione junctus erat, ſi diſpenſationem obtinere velit, non cognationem modò, ſed & crimen admiſſum in ſupplicatione exprimendum eſſe. Is enim conſtans eſt Curiæ Romanæ ſtilus: ſtilus autem jus facit.

Cognatio, ſeu affinitas *legalis*, ſic dicta quia Principum legibus primitùs conſtituta eſt, eſt ea, quæ oritur ex adoptione. Adoptio autem definitur: *Extraneæ perſonæ in filium vel nepotem*, filiam vel neptem, *vel deinceps legitima aſſumptio*; id eſt, electio ſecundùm leges facta perſonæ, quæ non eſt in poteſtate adoptantis, ut in eâ ſunt hæres vel filius: unde perſona etiam conſanguinea adoptari poteſt, quia eſt extranea hoc ſenſu, quòd eo careat conjunctionis gradu ad quem adoptatur.

Adoptio vel eſt *perfecta*, per quam adoptatus tranſit in adoptantis poteſtatem, inſtar filii naturalis, eſtque ejus hæres neceſſarius ab inteſtato; ex teſtamento autem in quartâ bonorum parte: vel *imperfecta*, per quam adoptatus non tranſit in poteſtatem

adoptantis,

adoptantis, neque est hæres ejus necessarius ex testamento, benè tamen ab intestato.

Ut intelligatur quousque legalis cognatio ex adoptione proveniens matrimonium dirimat, tres in ea distingui lineæ debent, sicut in cognatione naturali. Prima, quæ vocatur *paternitas*, est quasi linea recta, & reperitur inter adoptantem & adoptatum, ac descendentes ex adoptato filio (non item ex adoptatâ filiâ) in ejus potestate existentes. Secunda quæ dicitur *fraternitas*, est collateralis, & hæc stat inter adoptatum & filios, sive carnales, sive legales adoptantis: potest enim quis plures adoptare personas; potest etiam aliquando, qui naturales habet filios, habere & adoptivos. Tertia imitatur affinitatem carnalem, & est inter adoptantem uxoremque adoptati ex unâ parte, & adoptatum uxoremque adoptantis ex alterâ parte. His positis.

Certum est 1mo. cognationem legalem dirimere matrim. in lineâ rectâ, (idque probabilius in primo solùm gradu:) unde adoptans eam ducere non potest quam adoptavit; ita habetur c. 1. xxx. q. 3.

Certum est 2do. cognationem legalem in lineâ transversâ Matrimonium dirimere; unde filius naturalis illius, qui puellam adoptavit, eandem in uxorem ducere non posset, ex c. unic *de cognat. legali.*

Certum est 3tiò. affinitatem legalem inter adoptatum & uxorem adoptantis ex unâ parte, & inter adoptantem & uxorem adoptati ex alterâ, matrimonium dirimere; idque, licèt in jure clarè expressum non sit, admitti debet propter generalem Ecclesiæ praxim, quæ impedimenta ut auferre, sic & inducere potest.

Verùm de his sat dictum est hactenùs, quia adoptio legalem cognationem pariens, jam nullibi viget in Galliâ, & ne in iis quidem regionibus quæ Jure scriptô utuntur.

Conclusio. Impedimentum à cognatione legali procedens, per Ecclesiam relaxari potest.

Prob. quia impedimentum hoc nec naturali, nec divino jure institutum est, sed solâ Ecclesiæ voluntate, quæ justas ea de re Principum sanctiones confirmavit: atqui quod absolute pendet ab Ecclesiâ, ab eadem tolli potest.

Crimen. Per impedimentum criminis, illud hic intelligitur, quod nascitur vel ex adulterio aut homicidio seorsim sumptis, vel ex utroque conjunctim. Hæc porrò crimina Matrimonium dirimunt in quatuor casibus; unde

Dico 1mò. Matrimonium dirimi, quando quis adulterium committit, & promittit adulteræ se ipsam post mortem mariti

riti ipsius in uxorem ducturum esse. Ità definiit Innoc. III. c. 6. *De eo qui duxit quam polluit*; & hæc est Galliæ Jurisprudentia.

Hinc neque sola Matrimonii promissio impedimentum criminis parit, nisi accedat adulterium, neque solum adulterium idem impedimentum producit, nisi accedat futuri matrimonii promissio. Haud tamen antè peractam pœnitentiam Matrimonio jungi debent, qui etiam sinè conjugii promissione adulterium commiserunt, & vicissim; eaque promissio irrita est, sicut & promissio vacaturi beneficii, quia utraque dat locum optandæ mortis alterius.

Ut Matrimonii futuri promissio adulterio conjuncta impedimentum inducat, quatuor requiruntur, 1mo. ut ab altero complice implicitè saltèm ac virtualiter, id est, si non per verba, saltèm per exteriora signa acceptata fuerit, quia promissio sinè acceptatione mera est pollicitatio; 2do. ut promissio etiam acceptata antè adulterium non revocetur, quia promissio revocata non magis subsistit, quàm si facta non fuisset; 3tio. ut promissio conjuncta sit adulterio utrinque formali: non enim sufficit ut duo proprium suum conjugium sciant, si neuter conjugium alterius cognoscat. Unde qui vivente uxore, quam bonâ fide credit mortuam, feminæ, quæ vel libera est, vel libera existimatur, nuptias sub conditione coitûs spondet, nihil contrahit impedimenti, ast ea solùm ignorantia in præsenti excusat, quæ in aliis materiis excusaret, id est quæ crassa non fuerit. 4to. Ut adulterium sit consummatum, quia dispositiones juris pœnales restringi debent; unde, cùm jura adulterium purè & simpliciter dictum exigant, non nisi de consummato intelligenda sunt, atque hoc sensu Ecclesiæ Canones à sanioribus Theologis explicantur. Sed ut adulterium censeatur consummatum, sufficit sola, citrà seminis emissionem, feminei vasis penetratio; tum quia ea ad adulterium verum sufficit, tum quia per novum seminis extra effundendi peccatum facilè eluderentur Canones; tum quia adulterium, etiam seclusâ seminum commixtione, non minùs ad machinandam alterius sponsi mortem incitat, quàm si vera interfuisset seminatio.

Verùm, ut eadem Matrimonii promissio adulterio juncta pariat impedimentum, non requiritur, 1mo. ut sit sincera, quia ficta promissio, quæ seria existimatur, æquè ad adulterium vel homicidium impellit ac si vera esset.

2do. Neque etiam requiritur, ut sit absoluta, sed sufficit conditionalis: unde si quis commissô cum Berthâ adulteriô, eidem post mortem ejusdem viri Matrimonium spoponderit, eâ tamen conditione, ut Bertha mille aureos sibi in dotem

afferat,

afferat, ex hac promiſſione quantumvis conditionatâ naſcetur impedimentum dirimens, ſive Bertha conditionem impleat, ſive non; quia ut talis promiſſio Matrimonium dirimat, neceſſe non eſt, ut ſit valida, cùm nunquam valida eſſe poſſit; & aliundè vel ad mortem ſponſi, vel ad novum adulterium potenter incitet, quod Leges cavere voluerunt. Imò etiamſi conditio impoſſibilis eſſet, aut contra ſubſtantiam Matrimonii, nihilominùs contraheretur impedimentum, quia impedimentum hoc â promiſſionis valore non pendet. Secùs dicendum, ſi alius adulter ex ipsâ conditione ſentiret promiſſionem non ſeriò, ſed mendaciter fieri.

3tio. Nihil etiam refert, an promiſſio adulterium præcedat an ſequatur; tum quia Cap. fin. hoc tit. impedimentum contraxiſſe dicitur, qui *prius vel poſteà, dum vixerit uxor illius*, aliam *adulteriò polluiſſet*; tum quia promiſſio adulterium ſubſequens, ad novum adulterium, imò & uxoricidium impellit. Debent tamen ex meliori ſententiâ adulterium & promiſſio, durante eodem conjugio, concurrere; & tunc exurget impedimenmentum, etiamſi vir & legitima uxor quoad thorum ſeparati vivant ex divortio, vel nunquam cohabitaverint, ac proinde ratum duntaxat ſit, non verò conſummatum eorumdem Matrimonium: ità Canoniſtæ.

Dico 2do. impedimentum criminis exurgere inter eos, qui legitimo Matrimonio etiamnum conjuncti, novum ſcienter contrahere attentant: ii enim neque ſecum invicem habitare poſſunt, quia poſterius Matrimonium nullum eſt; neque etiam poſt legitimi conjungis mortem ſimul conjungi poſſunt, ut pater ex totius Eccleſiæ conſenſu. Ratio hujus impedimenti eadem eſt, quæ præcedentis, nè ſcilicèt propter futuri Matrimonii ſpem detur anſa tentandæ conjugum mortis.

Ad hoc impedimentum neceſſe eſt 1mo. ut ſecundum Matrimonium, vivente primâ uxore, conſummatum fuerit, ſi enim vel nunquam, vel nonniſi poſt legitimæ conjugis mortem conſummatum ſit, *quamvis utrique ipſorum pro eo, quòd in hoc graviter deliquerint, ſit pœnitentia injungenda, non eſt tamen Matrimonium, quod* adulter *poſt uxoris obitum cum* adulterâ *contraxit, dirimendum*, c. 8. hoc tit.

Neceſſe eſt 2do. ut quæ contrahit cum adultero, prius ejuſdem Matrimonium cognoſcat; alioqui enim cum eo jam ſoluto poteſt contrahere, prout definiit Innoc. III. c. 7. h. t. Imò non tantùm inter tales verum deinceps Matrimonium conſiſtere poteſt, ſed & tenetur verus adulter, poſt ſuæ conjugis mortem, eam ducere, quam matrimonii ſui neſciam cognovit, ſi ei Matrimonium ſpoponderit, aut cum ipsâ de præſenti

contraxerit. *Quia dignum non est, ut vir,* (c. 2. ibid.) *qui scienter contra Canones venit, lucrum de suo dolo reportet.* Si tamen quæ bonâ fide contraxerat, rescitô adulteri conjugiô, cum eodem maritaliter vivere perrexerit, jam contractum est impedimentum criminis.

Necesse est 3tio. ut prius Matrimonium validum fuerit, quia ceteroqui deesset adulterium. Nihil porrò interest an secundum Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum sit, an clandestinè; cùm, ut per hujusmodi Matrimonium inducatur impedimentum criminis, necessarium non sit, ut valeat, cùm nunquam valere possit.

Dico 3tio. & 4to. impedimentum criminis, contrahi aliquando per conjugicidium sinè adulterio, aliquando nonnisi per conjugicidium adulterio conjunctum.

Ut conjugicidium simplex, hoc est ab adulterio separatum, impedimentum inducat, requiritur: ut homicidium vel ab utroque eorum qui Matrimonium contrahere intendunt, vel saltèm ab uno de alterius consensu peractum sit, & quidem cum intentione saltèm in uno ducendi complicem. Ut verò homicidium adulterio conjunctum idem impedimentum pariat, sufficit, ut adulterorum alter vel propriam uxorem, vel mulieris quam ducere intendit virum interficiat, etiam absque ullâ partis adulterantis participatione. Utrumque colligitur ex toto penè titulo, *De eo qui ducit in Matrimonium*, &c. Ut materia hæc plenè intelligatur.

Not. 1mo. ut impedimentum ex conjugicidio contrahatur, non requiri vel futuri Matrimonii promissionem, vel ut utraque pars sit fidelis; unde si Christiana maritum occidat, ut nubat Gentili ad fidem convertendo, non stabit Matrimonium, ex c. 1. *De convers. Infidelium*; vel ut conjux uxorem physicè occidat, sed satis esse ut moraliter, consiliô nempè aut mandatô, mortem ejus procuret. Haud tamen sufficeret ratihabitio, quæ non nisi ex solâ juris fictione retrotrahitur, adeòque nec subjacet pœnis legum, nisi in casibus á jure disertè expressis. Quòd si quis consiliô suô vel mandatô nihil influxerit in conjugis mortem, putà quia is, cui consilium aut mandatum dedit, jam ex se satis ad inferendam ei necem determinatus erat; nihil ille contrahet impedimenti, sicut nulla tunc contraheretur irregularitas, aut restituendi obligatio. Idem dicendum si mors de facto secuta non fuerit; vel ex Medici aut Chirurgi inscitiâ secuta fuerit.

Hîc porrò notat Sanchez, non incurri impedimentum, nisi adulterium præcedat mortem alterius conjugis: undè si quis, ut ducat Bertham, cum quâ nondum peccavit, lentum uxori suæ

venenum

veneaum propinet, & nonnisi post ejus mortem Bertham cognoscat, nihil inter utrumque erit impedimenti, positô quòd Bertha in mortem uxoris amasii sui non conspiraverit. quia tunc deficeret adulterium: Et id verum est, etiamsi Bertha eidem amasio nuptias promisisset, quia nullus est juris textus, qui solam Matrimonii promissionem cum machinatione alterius duntaxat, absque adulterio, ad inducendum hujusmodi impedimentum sufficere declaret.

Not. 2do. perinde esse si uxor virum, aut vir uxorem necet, quia c. 5. XXXI. q. 1. irritum dicitur Matrimonium, cùm *adulter aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notatur.*

Notandum 3tio. ad impedimentum istud requiri, ut qui sponsi alterius mortem procurat, intentionem habeat Matrimonium contrahendi cum altero superstite. Ità Sanchez, disp. 78. n. 12. ubi pro se adducit Thologos 30. quos inter primas tenent SS. Thomas, Antoninus, & Jurisperitos 22. qui omnes eô nituntur fundamentô, quòd impedimentum hoc ideò fuerit inductum, ne conjux conjugem enecet, ut Matrimoniô sic solutô novas cum personâ quam deperit, nuptias contrahat: hæc autem ratio locum non habet quoties conjugis occisio non eò tendit, ut aliud Matrimonium cum conjuge superstite ineatur. Unde nullus est huic impedimento locus, si conjux & adulter communî consiliô alium conjugem interficiant; non ut Matrimonio inter se copulentur, sed ut liberiùs vacent libidini; vel ut mortem alterutri à viro adulterii impatiente inferendam præveniant; vel ut ineant quidem Matrimonium, at non cum complice adulterii, sed cum aliâ. Sufficit tamen ut eorum, qui alterius conjugis mortem procurarunt, unus matrimonium intendat cum superstite, quia concurrit homicidium cum animo contrahendi; nullibi verò decernitur in jure necessariam esse hanc in utroque complice intentionem.

Not. 4to. quòd quando unus solùm conjugis mortem machinatus est, adulterium non pariat impedimentum dirimens, nisi utrique nuptias contracturo cognitum sit, quia alioqui non est adulterium utrinque formale. Quâ etiam de causâ, seclusô adulteriô, homicidium alterius conjugis utrique contracturo notum & acceptum esse debet: unde si quis absque prævio adulterio interficiat maritum alterius mulieris, ut eam in uxorem ducat, validum inter utrumque iniri poterit connubium, utpotè quod nullibi legibus reprobetur. Optandum sanè, ut Ecclesia eo etiam in casu impedimentum statueret.

Not. denique impedimentum criminis contrahi etiamsi adulteri

dulteri aut conjugicidæ ignorent illud ex crimine suo exoriri. Ratio est 1mo. quia Canones, quibus constituta sunt Matrimonii impedimenta, nullibi ut hæc incurrantur, eorum notitiam prærequirunt. 2do. Quia consuetudo, quæ optima est Legum interpres, tam in Romanâ quàm in alia quacumque Curiâ habet, ut qui impedimenta nescii contraxerunt, præviam ad legitimè contrahendum dispensationem obtineant; 3tio. quia irregularitates aliæque ecclesiasticæ pœnæ (si censuras quæ contumaciam, adeòque & notitiam requirunt, exceperis) etiam ab ignorantibus incurruntur.

Ut hæc omnia faciliùs retineantur, juvat ea paucis contrahere.

1mo. itaque impedimentum criminis quadrupliciter contrahitur, nimirùm ex adulterio sinè matrimonio; ex adulterio unà cum pseudomatrimonio; ex solo homicidio; ex homicidio cum adulterio.

2do. Ut impedimentum criminis contrahatur ex adulterio sinè matrimonio, requiritur, ut adulterio formali jungatur, sive ante sive post coitum promissio acceptata de matrimonio cum parte adulterâ contrahendo post mortem ejus conjugis; & hæc promissio sufficit etiam ficta, etiam conditionalis, etiam turpis, etiam juramento destituta.

3tio. Ut ex adulterio quod matrimonio conjunctum sit, nascatur idem impedimentum, requiritur & sufficit cognitio vitæ prioris sponsi validè conjuncti.

4to. Ut impedimentum exurgat ex homicidio solo, requiritur machinatio utriusque, vel saltèm unius cum alterius consensu. Sufficit verò ut mors de facto sequatur ex actione vel physicâ vel morali conjugum, aut unius de alterius consensu.

5to. Ut impedimentum ex conjugicidio simul & adulterio exurgat, non requiritur, ut ambæ partes ad homicidium illud concurrant, sed sufficit ut earum una homicidium physicè aut moraliter operetur eo fine, ut cum sponso adultero & superstite matrimonium contrahat.

Conclusio. Impedimentum criminis est dispensabile.

Prob. quia impedimentum illud sola Ecclesiæ voluntate constitutum est, non autem ipsis naturæ vel Dei legibûs; unde David duxit Bethsabèe, quam polluerat, & cujus virum interemerat *gladio filiorum Ammon*. II. Reg. 12.

Impedimentum Disparis Cultus ex diversa contrahentium religione oritur. Hic porrò dispar religio non ea est, quæ reperitur inter Fidelem & Hæreticum, sed ea duntaxat quæ baptisatum inter & non baptisatum intercedit. Unde Infidelis hic sumitur strictè pro eo, qui nusquam sacro in fonte

renatus

renatus fuerit, quales sunt Judæi, Gentiles, Turcæ. In præsenti tamen exquiritur etiam, an licita sint Catholicorum cum Hæreticis conjugia.

Certum est 1mo. Matrimonia baptisatorum cum non baptisatis jure ecclesiastico esse invalida. Ità omnes.

Certum videtur 2dò. Matrimonia Fidelium cum Infidelibus non esse ex naturâ rei, peccaminosa, cùm in Veteri Testamento Jacob, Joseph, Moises ipse uxores infideles duxerint; & in novâ Lege S. Cæcilia nupserit Valeriano Ethnico, S. Monica Patricio viro Gentili. S. Clothildis Clodovæo Franciæ Regi, cujus ope Galliæ Regnum unà cum Rege ad fidem posteà conversum est.

Fatendum tamen hæc Matrimonia vulgò illicita esse, quia tranquillo veræ religionis exercitio & catholicæ educationi prolis adversantur.

Quæres, quid sentiendum sit de matrimonio Catholicorum cum Hæreticis.

R. 1mo. ea valere, saltèm si ritu catholico celebrentur, tum quia nulla est lex Ecclesiæ, quâ irrita declarantur, tum quia habentur ubique pro validis. An autem valida sint, si celebrentur non servatâ Trid. formâ, alibi expendo.

2do. Matrimonia hæc tam divino quàm ecclesiastico jure esse prohibita, 1mo. cùm adest, uti frequenter adest, periculum perversionis: 2do. cùm subest periculum nè Ecclesiæ præcepta, jejunii, v. g. vel audiendæ Missæ à conjuge Fideli adimpleri non possint; 3tio. cùm matrimonialis contractus expressam hanc aut tacitam habet conditionem, *ut vel omnes, vel aliquæ proles, v. g. masculæ educentur in secta hæretica patris, femellæ autem in verâ religione catholicâ matris,* prout *ordinariè* fieri consuevit, *saltem in Germania, in cunctis locis, ubi Hæretici cum Catholicis permixti vivunt,* uti notat Germanus Canonista.

Quòd si Hæreticus non solùm spem injiciat, sed seriò promittat se Catholicam Fidem esse amplexurum, poterit is ex prævio eorum, ad quos id pertinet consensu, admitti ad nuptias; tum quia jura hunc casum excipiunt; tum quia cessat tunc periculum subversionis, & aliunde fit lucrum animæ. Haud tamen præmittendæ sunt absolutioni nuptiæ, nisi justa subsit causa, ut periculum exhæreditationis: quanquam tunc videndum est, an non hæresis in manu Ordinarii aut alterius sub gravi secreto ejurari possit. Censent tamen Lugo & alii aliquando licitè contrahi posse cum Hæretico, vel Infideli qui nullam conversionis spem injicit: certè Assueri conversionem non sperabat Esther, cùm eidem nupsit.

Quæres an impedimentum disparis cultûs sit dispensabile.

 R. affirm.

R. affirm. quia neque naturali neque divinâ lege, saltèm universaliter constitutum est, ut patet ex allatis suprà exemplis.

Vis dividitur in *absolutam*, quæ est coactio omnimoda & corporalis, illata personæ reluctanti, ut si quis violentè cogatur ad capitis inclinationem, & ad porrectionem manûs, quæ pro signo consensûs accipiantur: & *conditionalem*, quæ, ut potè quid unum cum metu, est trepidatio mentis ratione periculi instantis vel futuri. Hic porrò revocandum est ex alibi dictis, 1mo. metum alium esse *gravem*, qui etiam *probabilis* nuncupatur; alium *levem*: 2do. incuti posse vel *à causâ naturali*, morbo, v. g. vel naufragio, vel *ab agente libero*: 3tio. vel ab eo, quicum matrimonium contrahitur, vel ab alio: 4to. vel *directè* ad extorquendum Matrimonium, vel *propter alium finem*; ut si alium occisurus, quô illatam tibi injuriam ulciscaris, is, ut mortem declinet, filiam suam tibi in conjugem promittat: 5to. vel *justè*, cùm is, qui timorem incutit, ejusdem incutiendi jus habet, ut si pater ei, qui filiâ suâ abusus est, comminetur se eum apud Judices accusaturum esse, nisi eam ducat; vel *injustè*: ut si idem pater stupratori mortem minetur à se inferendam, nisi filiam ducat: pater enim jus quidem habet accusandi apud Judicem, non verò propriâ authoritate occidendi.

Certum est 1mo. Matrimonium contractum ex metu levi, etiam injustè & ad extorquendum consensum incusso, esse validum; tum quia ex Reg. 184. ff. *vani seu levis timoris justa excusatio non est*; tum quia Professio Religiosa ex levi metu facta, valet, c. 1. *De his, quæ vi*, &c. Porrò à matrimonio spirituali, utpotè etiam indissolubili, valet argumentum ad matrimonium carnale.

Certum est 2do. valere matrimonium etiam initum ex gravi metu, justè tamen incusso, vel incusso à causa non libera; unde si Judex ei, qui datâ Matrimonii fide puellam vitiavit, mortem, aut tetrum quid comminetur, nisi stet promissis, valebit Matrimonium. Idem est, si stuprator, aut concubinarius, metu seu mortis seu gehenæ, puellam aut concubinam ducat, quam alioqui ducturus non esset. Ratio est, quia metus gravis non vitiat Matrimonium quasi prorsus libertatem perimat, ( ut patet in actione mala, quæ licèt ex gravi metu facta, non tamen à peccato vacat, ac proindè est simpliciter libera ) sed quia certum libertatis gradum injuriosè aufert: porrò cùm metus justè incutitur, aut a causa naturali prodit, jam nihil habet injuriosi.

Hic notandum aliquando videri metum justè incussum, qui iniquè incutitur. Sic 1mo. Judex qui mortis metu stupratorem cogit, ut ducat virginem ab eo vitiatam, absque fide Matri-

monii

monii, injustè cogit, quia [nisi aliud ferat consuetudo loci] solùm cogere potest, ut ducat vel dotet. Sic 2do. injustè cogit, qui non cogit secundùm allegata & probata, etiamsi à parte rei verum sit, quod malè probatum est.

Sed quid si juridicè, sed falsò, probatum sit, v. g. Titium eam corrupisse, quam de facto non corrupit, valebitne Matrimonium, ad quod sub mortis metu damnatus fuit à Judice? Asserit Sanchez, sed meliùs negat Pontas hic casu 4. quia hic occurrit timor gravis, saltèm radicaliter injustè incussus à falsis duobus testibus, quorum malitiæ Judex, licèt ignorans servijt. Eâdem de causâ irritum erit Matrimonium, quod quis ex gravi metu contraxit cum desponsatâ, quæ posteà fornicata est, occultè tamen, adeò ut fornicatio à sponso probari non possit.

Certum est 3tio. Matrimonium ex gravi metu, injustè ad illud extorquendum incusso, esse ipso jure invalidum. Ità passim habetur, tit. *De sponsalibus*, & meritò; quia cùm Matrimonium semel validum non ampliùs dissolvi possit, *plenâ debet securitate gaudere, nè* conjux *per timorem dicat sibi placere quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis nuptiis solet provenire*, c. 14. hoc tit. Circa hæc.

Not. 1mo. nihil interest, an metus gravis incutiatur ab eo, qui Matrimonium avet, an ab alio in ejus gratiam; quia jura, non tam in odium illius, qui timorem injustè incutit, quàm in favorem libertatis Matrimonii, nullitatem istam statuerunt. Atqui hæc Matrimonii libertas, non læditur minùs, cùm timor ab alio incutitur, quàm cum ab eo, qui sibi Matrimonium cupit.

Not. 2do. si metus ad alium, quàm ad Matrimonii finem inferatur, valebit Matrimonium ex eo vel potiùs ejus occasione contractum. Sic 1mo. si ut mortem tibi à furibus inferendam evites, homini illàc transeunti, ut opem ferat, nuptias cum ejus filiâ promiseris, stabit Matrimonium. Sic 2do. si Princeps obsessus offerat Matrimonium cum filia obsidentis, ut urbis suæ excidium avertat, valebunt nuptiæ, nisi obsidio eum in finem injustè parata fuerit. Idem dic, si quis capite damnatus, ut evadat incolumis, ducat meretricem, prout quibusdam in locis fieri solet; nec enim eidem injicitur mortis timor, ut illam ducat; sed ipse spontè illud evadendi medium eligit, aut ab alio oblatum amplectitur.

Porrò de jure, aut ex communiori sententiâ metum gravem infert, timor 1mo. mortis; 2do. mutilationis; 3tio. gravis corporis cruciatûs, ex c. 6. *De his quæ vi*; 4to. gravium verberum; 5to. servitutis, vel amittendi instrumenta quibus libertas

probari

probari potest, quia horum amissio servitutis periculum inducit; 6to. captivitatis, quia hæc quædam est servitus; 7mo. gravis exilii; 8vo. carceris diuturni, cum vinculis atrocibus, quia tunc gravissima esset pœna: secùs, si carcer brevis sit; 9no. amittendi statûs; 10mo. stupri, sive in viro, sive in muliere, *cùm viris bonis iste metus major esse debeat quam mortis*, Leg. 8. ff. *De eo quod metûs causâ.*

Circa hæc duo not. 1mo. non semper ex gravi metu invalidum sequi matrimonium. Sic si virgo aut vidua metu stupri quod quis actu minabatur, nuptias promisit, & posteà contraxit, non ideò semper invalidum erit Matrimonium; quia iis, postquam è scelesti viri manibus evaserunt, liberum erat vim sibi illatam Parocho, Judici, aut parentibus suis indicare. 2do. Ad invaliditatem Matrimonii perinde esse, an metus inferatur personæ quæ in Matrimonium ducenda est, an alicui ex ejus propinquis, patri, v. g. vel matri, patruo vel amitæ, fratri vel sorori.

Quæres, an metus infamiæ, amissionisve bonorum cadat in virum constantem.

R. ad 1. Metus infamiæ juris cadit in virum constantem; metus verò infamiæ facti, aliquando cadit, aliquando non. Hinc 1mo. si quis deprehensæ in crimine infami minetur fore ut eam prodat, metus inde natus censebitur gravis. Hinc 2do. metus nè puella diffametur quasi rea sceleris, quod non commisit, communiter habetur pro levi, quia huic malo occurri facilè potest, imploratô Magistratûs & Legum auxiliô. Non desunt tamen casus in quibus puella vel aliundè suspecta, vel ab homine qui viri probi famam & speciem gerat, accusata, metum gravem tulisse judicaretur.

R. ad 2. metum non solùm bona omnia, majoremve eorum partem, sed etiam bonum in se spectabile amittendi, gravem esse; quia, regulariter loquendo, vix quisquam est, qui gravia multa non ferat, ut jacturam hanc evitet.

Quæres 2do. an metus reverentialis pro gravi habeatur.

Not. Metus reverentialis in præsenti est, formido mali, quod nobis veremur ab iis, quorum legitimæ potestati subjacemus, quosque revereri tenemur: unde filius vel filia ex metu reverentiali contrahere dicuntur, cùm animô repugnante consentiunt in Matrimonium sibi à patre oblatum, non audendo contradicere, quia verentur, nè offendendo patrem aut alios quibus reverentiam debent, excipiant pœnas, quæ ex hac offensione prodire consueverunt, attentâ parentum indole, quæ pro capitum diversitate diversa est, & ex personarum circumstantiis ponderanda. His præmissis,

Dico

Dico quòd metus reverentialis, seclusus à gravi comminatione, à verberibus, à cohabitatione difficili admodùm & morosâ, ad metum levem revocandus sit; ac proinde non irritet Matrimonium. Ratio est 1mo. quia metus sic sumptus talis non est, ut virum constantem terrere possit, ejusque verè inviti consensum extorquere: 2do. quia communiter loquendo, æquum est, ut filii voluntatem suam paternæ voluntati ex metu quodam reverentiali subjiciant; cùm parentes in rebus filiorum oculatiores esse consueverint, quàm ipsimet filii, qui cæco cordis impetu in nuptias sibi deindè intolerabiles proruunt; 3tio. quia id expresè satis traditur, L. 22. ff. *De ritu nuptiarum*, ubi sic habetur: *Si patre cogente ducat uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, matrimonium contraxit;* 4to. quia hæc constans est Theologorum & utriusque Juris Doctorum sententia.

Quòd si, ut aliquando fit, reverentialis metus annexas habeat minas, verbera, tractationem asperam, &c. tunc ad metum gravem reducetur, quia hæc virum constantem, eum præsertim, qui ab altero pendet, movere possunt. Et verò vir prudens hæc ità gravia existimat, ut malit relictâ patriâ, & paternâ domô exul vivere, quàm ista perpeti.

Sed hic animadvertendum 1mo. minas mali etiam gr avis aliquando graves non esse, ut si ab eo prodeant, qui multa minari solet, & nihil vel parùm exequi. 2do. Minas etiam graves absque verbis consistere posse; ut si is, cui debetur reverentia, solitus sit sævire, cùm voluntati suæ resistitur; tunc enim minæ, quæ *actu* desunt, occurrunt virtute. 3tio. Indignationem patris inter ea censeri, quæ gravem metum injiciant, præsertim respectu puellæ, cùm indignatio hæc diuturna fore prævidetur: grave enim est semper præ oculis patrem, aliumvet quicum semper victurus sis, habere infensum, qui verbis & ipso silentio inobedientiam exprobret. Aliud est, si bona patris indoles reconciliationem brevi futuram annuntiet. 4to. Ad metum gravem reduci etiam preces importunas, eas scilicèt quæ instantissimæ sunt, & quæ sæpiùs inculcatæ, cum repetitis defectûs amicitiæ & gratitudinis exprobrationibus, animum audientis defatigant tandem, & sensim excruciant. Idem est de Principum blanditiis, non quidem solitariè sumptis, cùm eæ potiùs augeant voluntarium, sed prout tacitas habent minas, ut cùm Princeps in eos sævire solet, qui blanditiis suis resistunt.

Ceterùm, generatim loquendo, metus reverentialis in iis occurrit qui aliquô subjectionis titulô ab aliis dependent; quales sunt 1mo. sæculares, præsertim Plebei respectu Magistratuum,

à quibus pendent; 2do. uxores respectu virorum; 3tio. filii respectu seu patrum, seu matrum, cùm eæ austeræ sunt; seu avorum aliorumque ascendentium, qui tanquam patres coluntur; seu socerorum, quia soceri parentis locum obtinent, iisque penè eadem, quæ patribus ipsis debetur reverentia; seu tutorum, curatorum, & patruorum, qui cùm desunt patres, tanquam Patres honorantur. Fatendum tamen hæc multùm pendere à circumstantiis, ex quibus fit, ut quod gravem metu incutit uni, levem solùm alteri inferat. Cæterùm, qui in exteriori foro se se ex metu ad Matrimonium aut Religionem adactum esse contendit, graves affere debet conjecturas; quanquam, quia metus difficilè probatur, ad testificandum habiles sunt etiam amici & consanguinei: quin & testem unum de visu sufficere docent Juris Pontificii Doctores non pauci.

Quæres. An Matrimonium ex gravi metu initum, subsequenti copulâ vel cohabitatione ratificetur.

R. 1mo. Si post Matrimonium ex metu gravi injustè illato contractum habeatur copula spontè & affectu maritali, id est animo vivendi conjugaliter, omninò validatur Matrimonium. Ità SS. Thomas, Antoninus, Bonaventura &c. Ratio est, quia ad valorem Matrimonii hujus solùm requirebatur consensus personæ metum passæ, cùm virtualiter perseveret consensus illius qui metum incussit: sed qui copulam maritali affectu habet, consensum suum præstare incipit.

2do. Si verò copula non liberè, sed ex gravi metu subsequitur, letaliter peccant ambo contrahentes, quia actum purè fornicarium exercent: fornicatio autem etiam gravi extorta metu, non desinit esse peccatum. Neque hinc ratificatur Matrimonium, quia si consensus metu gravi extortus non sufficit ad valorem Matrimonii, multò minùs valebit tacitus consensus qui per copulam habetur, si pari extorqueatur metu. Idem est in foro conscientiæ, si copula animô fornicariô habeatur, quia copula hæc excludit consensum conjugalem, sinè quo non subsistit Matrimonium.

3tio. Matrimonium ratione metûs invalidum validatur per cohabitationem verè & ex animo spontaneam, etiam sinè copulâ, ex c. 21. *De sponsalib.* & unanimi Canonistarum doctrina, quia cohabitatio spontanea signum est novi consensûs, qui solùm ad Matrimonii valorem desiderabatur. Sed ad id duo requiruntur; 1mo. ut pars metum passa sciat Matrimonium hoc fuisse invalidum: si enim ex errore, quô illud valere credat, cohabitet aut copulam habeat, nunquam ratificabitur conjugium. Nihil utique tam contrarium est consensui quàm error. Atqui cùm pars metum passa cohabitat, vel alteri copulatur,

pulatur, quia existimat se eidem legitimè conjunctam esse, reverâ operatur ex errore; qui quidem ad errorem personæ reducitur, cùm putet se consentire in eam, quæ sua sit, & quæ tamen sua non est. Ergo sicut invalidè professus nihil agit, cùm ex errore professionem suam valere existimans, eandem renovat; sic & à pari, &c. 2do. Requiritur, ut adhuc perseveret consensus partis, quæ metum incussit; quia ad Matrimonii valorem requiritur, ut pars utraque consensum simul apponat, si non physicâ simultate, at saltèm morali: hoc autem deest, cùm altera pars consensum retractat: hinc enim efficitur, ut unius solùm partis consensio interveniat.

Conclusio. Matrimonium ex gravi metu injusto initum, aliquando Jure solùm Ecclesiastico invalidum est: haud tamen impedimentum metûs ab Ecclesiâ relaxari potest.

Prob. 1. pars. Si Matrimonium ex gravi & iniquo metu factum, jure naturali invalidum esset, vel propter defectum consensûs, vel ratione injuriæ: atqui neutrum dici potest. Non 1. quia alioqui non valeret Matrimonium ex gravi metu justè incusso celebratum; cùm is sæpè major sit, quàm qui injustè incussus est, ut patet in eo, cui Judex suspendium parat, nisi eam ducat quam violavit. Non 2. quia in metu etiam levi iniquè incusso reperitur injuria ad restitutionem obligans, ut benè notat Sanchez, & tamen valet Matrimonium ex levi metu factum. Idem dicendum de dolo illius, qui contrahentem decipit in qualitate, v. g. fingendo se virginem esse, divitem, vel è nobili prosapia.

Prob. 2. pars. Ecclesia meritò dicitur non posse id quod prudenter & justè non potest. Atqui Ecclesia prudenter & justè validare non potest Matrimonium ex iniquo & gravi metu contractum, quia injuriam alteri illatam confirmare non potest.

Ordo. Certum est omnes & solos Clericos in Sacris constitutos, ad Matrimonium inhabiles esse; unde Trid. Sess. 24. Can. 9. *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos...... posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ.... anathema sit.* Quæstio est an cum hujusmodi Clericis dispensari possit; & hæc quæstio non parùm pendet ab aliâ, an cœlibatus Ordinibus sacris annexus sit jure divino. Sit

Conclusio. Cœlibatus Clericorum in sacris, est solùm Juris Ecclesiastici, sicque in eo dispensari potest.

Prob 1mo. Quia nec Scriptura, nec Traditio ullibi declarant legem continentiæ Sacerdotibus à Deo fuisse impositam. 2do. Quia Ecclesia Orientalis non quidem nuptiarum celebrationem,

tionem, sed usum, quem interdicit Episcopis, permittit Presbyteris jam à temporibus Synodi Quinisextæ; * de quo suprà. 3tio. Quia de facto permisit Benedictus IX. ut Casimirus, Cluniacensis Monachus & Diaconus, à Polonis electus in Regem ** Matrimonium contraheret. Idem, teste Felino, permissum fuit Ramiro Presbytero, Religionem professo, ut labentem Arragoniæ prosapiam editis liberis propagaret.

Ea tamen dispensatio nonnisi magnis Principibus conceditur & ob causas admodùm graves, ut sunt bonum Regni totius, Regiæ Familiæ continuatio.

Potest autem vir sacer Matrimonii ineundi copiam obtinere, 1mo. per rescriptum *gratiæ*, seu per dispensationem, de qua statim dixi: 2do. per rescriptum *justitiæ*, cùm Ordines suscepit ex metu gravi & injustè incusso. Rescripta justitiæ vix unquam iis conceduntur, qui Ordinis sacri functiones ter obierunt, quia Ordinationem suam ratam habuisse censentur. Aliud esset, si probaretur Ordinis executionem non minùs coactam fuisse, quàm ipsius susceptionem.

Ceterùm, Rescripta Romana neque Clericis majoribus, neque Religiosis prosunt, nisi priùs admissa fuerint à Judicibus eum in finem deputatis. Imò Religiosi & Sanctimoniales, qui contra vota à se emissa restitui volunt, habitum regularem in claustro servare tenentur, donec res à Commissariis judicata fuerit; alioqui daretur locus appellationi tanquam ab abusu.

Possunt autem Religiosi contra vota reclamare coram locorum Ordinariis, & sinè recursu ad Papam; & id in ipsa Italia servatur. Verùm reclamatio hæc *intra quinquennium à die Professionis* fieri debet: aliàs non valet in Gallia, etiamsi Brevî Apostolicô præteriti quinquennii mentionem faciente confirmata fuerit. Si tamen eadem vis quæ ad vovendum coëgerit, absterruerit à reclamando, tunc etiam post quinque annos validè reclamabitur, modò reclametur intra quinque annos à cessatione causæ, quæ metum incutiebat. Sed in hoc casu recurrendum esset ad Papam, qui solus dispensare potest in Lege Tridentina, quâ reclamatio post quinque annos irrita declaratur. Controvertunt Galli, an Clerici sacri contra Ordines suos coram Ordinariis reclamare possint; & ideo tutius est ad S. Sedem recurrere.

LIGAMEN. Impedimentum ligaminis, est illud quod oritur ex vinculo prioris Matrimonii, sive consummati, sive rati tantùm sed validi; alioqui enim solùm honestatis publicæ impedimentum parit, de quo infrà.

Certum est ex suprà dictis durante priori Matrimonio non posse

* *Anno* 692. ** *Anno* 1302.

posse aliud validè contrahi. Iis igitur, qui ad secundas nuptias convolare volunt, & plus fortè iis, qui eosdem in Matrimonium conjuncturi sunt, seriò pensandum est id c. 2. *De secund. nupt. Nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migravit conjux ejus;* seu ut dicitur c. 19. *De sponsalibus, &c. donec certum nuntium recipiat de morte* compartis; qualem non censentur recepisse, qui solùm certi sunt maritum vel ad extremas mundi oras translatum fuisse, vel letali vulnere in prælio fuisse percussum; vel qui de eo per plures annos nihil audierunt, cùm Joannes Maillard post 43. absentiæ annos ad uxorem suam redierit.

Itaque regulariter loquendo, ut vidua ad alias nuptias admittatur, exigendæ sunt ab ea probationes nixæ Instrumento authentico à Registris sepulturarum extracto, & recognito ab Episcopo loci, in quo sepultum est defuncti cadaver: imò quibusdam in locis Instrumentum illud, præsertim si è Regione satis remota veniat, approbari debet ab Episcopo loci, in quo novæ nuptiæ celebrari debent: qua de re Parochus Rituale Diœcesis consulere debet.

Quòd si miles v. g. eo in loco, vel eô mortis genere diem clauserit, quô nec Christianæ sepulturæ mandari potuerit, nec mortuorum registris inscribi, producendum erit testimonium Capitanei, vel inferioris Officiarii, si Capitaneus perierit. Neque verò testi uni etiam oculato, & aliunde probo mortem alterius conjugis renuntianti creditur: cur enim in materia tanti momenti sufficiat testis unus, qui in alia quacumque nullus est? Duo igitur ad minus exiguntur testes, qui quantumcunque probi sint, nunquam ad celebrationem procedat Parochus, nisi consultô priùs Episcopô, ejusve generalibus Vicariîs.

Mulier, quæ certò discit maritum suum priorem superesse in vivis, debet, etsi bona fide cùm alio contraxit, & ab eo suscepit prolem, *ad priórem conjugem* reverti, ex c. 2. *De secund. nupt.* Hoc tamen in casu filii è secundo Matrimonio bona fide suscepti pro legitimis haberentur, saltèm in foro Ecclesiæ. Non censetur autem mulier certò rescire priorem maritum superesse in vivis, cùm id discit vel rumore solùm publico, qui falsa ut vera sæpius disseminat, vel à testibus ignotæ fidei. Si miles ex acie reversus, & qui vir frugi habeatur, dicat mulieri se maritum ejus vidisse tali in loco, debet hæc Confessarium suum consulere, & extunc conjugalis debiti petitionem suspendere, donec pleniorem rei notitiam acquirat; quia licèt ex c. 28. *De testibus*, testis unus *quantæcumque fuerit authoritatis*, plenam fidem non faciat, dubiam tamen facere videtur.

Si verò

Si verò mulier de prioris mariti vita incerta sit, & dubia, tunc cum Innocentio III. c. 44. *De sentent. excomm.* distinguendum est, *utrùm habeat conscientiam hujusmodi dubiam ex credulitate levi & temeraria, an probabili & discretá.* Si 1. *ex conscientiá levis & temerariæ credulitatis explosá ad sui Pastoris judicium,* mulier *licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale.* Si 2. *debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, nè in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.*

Cur autem in casu dubii mulier possit & debeat reddere debitum, nec tamen illud exigere, hæc affertur ratio, quod è duobus malis minus eligi debet: atqui mulier debitum reddendo ei, qui est in possessione ejusdem exigendi, minus eligit malum. Fornicatio enim (quæ in hoc casu solùm est materialis) pro culpa leviori habetur, quàm injustitia, cujus mulier ream se faceret, si hominem privaret jure, quô eum esse privandum non cognoscit certò & evidenter. Interim verò mulier à petendo debito abstinere debet, quia abstinendo vitat omne peccandi periculum. Et hoc verum puto, cum factâ etiam sufficienti veritatis inquisitione idem perseverat dubium quod priùs: quia inquisitio, quæ nullam tibi lucem attulit, non extrahit te à dubio, in quo anteà versabaris.

Si mulier suas dubitandi rationes secundo marito communicaverit, (ut aliquando potest & debet, cùm nullum hinc imminet periculum;) & is pariter dubitare incipiat, vel dubitare debeat, tunc neuter potest reddere vel petere, quia neuter est in possessione pacificâ. Idem à fortiori dicendum, si uterque conjux dubia fide contraxerit; possessio enim juris neque cum mala, neque cum dubia fide inchoari potest.

Honestas seu justitia publicæ honestatis, est Affinitas seu propinquitas apparens, certas inter personas orta, sive ex Matrimonio solùm rato, sive ex sponsalibus.

Dicitur 1mo. *Propinquitas apparens*; quia qui sponsalia vel Matrimonium contrahit cum aliquâ personâ, eo ipso, etiam ante consummationem Matrimonii, certam contrahit connexionem cum ejusdem consanguineis, vi cujus indecens videtur, ut eosdem quasi planè extraneos in Matrimonium ducat.

Dicitur 2do. *Orta inter certas personas*; namque 1mo. honestas ad consanguineos solùm extenditur, non ad affines. Unde posset desponsatus * post desponsatæ Berthæ mortem ducere, non quidem Berthæ sororem, etiam spuriam, quæ eidem consanguinea est, sed viduam fratris Berthæ, quia vidua hæc Berthæ solùm affinis erat, non autem consangvinea. 2do. Nec

* Zaręczony.

Nec extenditur ad consanguineos omnes, sed ad eos tantùm qui sunt in primo lineæ rectæ gradu, si sit ex sponsalibus; & ad quartum utriusque lineæ gradum, si sit ex Matrimonio. Unde si quis, postquam sponsalia celebravit cum Mathilde, Matrimonium contrahat cum ejusdem matre, aut sorore, aut filiâ, invalidè contrahet. At validè contrahet cum aviâ Mathildis, aut cum filia filiæ vel sororis ejus, & à fortiori cum ceteris ejusdem consanguineis, nisi Matrimonium sponsalia subsecutum fuerit.

Dicitur 3tio. *orta ex sponsalibus*, ut autem impedimentum præstent sponsalia, necesse est, ut certas habeant conditiones.

Et 1mo. debent esse *valida*, ex Trident. Sess. 24. c. 3. Hinc 1mo. si impotens, aut aliô quocumque impedimentô dirimente constrictus sponsalia celebret cum muliere, poterit hæc detectâ rei veritate, ejusdem consanguineis nubere, quia sponsalia irrita pro nihilo hodie reputantur. Hinc 2do. si Joannes sponsalia validè contraxerit cum Bertha, & posthac vel alia sponsalia vel Matrimonium contrahat cum Maria ejus sorore, ante secundi hujus Matrimónii consummationem poterit ducere Bertham; quia nec secunda sponsalia, utpotè invalida, possunt parere impedimentum honestatis; nec secundum Matrimonium, quod propter impedimentum honestatis è primis sponsalibus ortum, non valet, impedire potest, quin Joannes promissionem Berthæ factam adimplere teneatur. Si verò Joannes cum Maria Matrimonium iniquè consummaverit, neutram ducere potest. Non Mariam, ob publicæ honestatis impedimentum; non Bertham, ob impedimentum affinitatis consurgens ex copulâ, quam habuit cum sorore ejus. Unde affinitas agit retrò, & præcedentia sponsalia dissolvit; sponsalia verò de futuro, vel de præsenti, sed ante Matrimonii consummationem, non retroagunt, nec valent *ad dissolvendum præcedentia*, ex c. unic. de sponsal. in 6. Hinc si Titius contraxerit sponsalia cum femina, quam duxit frater ejusdem Titii, sed non cognovit maritaliter, Titius eandem feminam ducere poterit: quia Matrimonium à fratre Titii contractum, utpotè irritum, præviis Titii sponsalibus prajudicare non potuit. Pari de causâ si Titius ante sponsalia, quæ cum Clotilde contraxit, ejus sororem cognovisset, posset istam ducere, quia sponsalia cum Clotilde invalida fuerunt ob affinitatem ortam ex præviâ copulâ cum ipsius sorore: non posset verò ob eandem affinitatem cum Clotilde ipsâ contrahere.

Quæres. An sponsalia intùs invalida exteriusque solùm valida, inducant honestatem Matrimonii diremptivam. An v. g. qui exteriùs consensisse visus est, sed intus non consensit; an

itèm qui ratione voti castitatis, & similium quæ in exteriori foro probari non possunt, invalidè sponsalia contraxit, validè ducat consangvineam illius, cui desponsatus erat. R. Probabilius nobis videri, quòd ex hujusmodi sponsalibus non oriatur impedimentum dirimens. Ratio est, quia ex Trident. impedimentum illud non oritur ex sponsalibus *quacumque ratione* invalidis: atqui sponsalia ex ficto consensu, aut cum alio quolibet oculto impedimento contracta, indubiè locum habent inter ea, quæ quâcumque ratione invalida sunt. Quod enim verba hæc, *quacumque ratione*, de ratione solùm exteriùs apparente interpretatur Sanchez, mera est imaginatio. Quis enim credat Synodum Tridentin. quæ casum occultæ invaliditatis non ignorabat, usuram fuisse verbis tam generalibus, & quæ tot exceptiones pati deberent, si novum jus inducere noluisset, & pro reverà invalidis ea etiam sponsalia computare, quæ solùm occultè invalida forent?

2do. Sponsalia debent esse absoluta; unde *qui sponsalia cum muliere sub conditione contraxit, sic ante conditionis eventum cum aliâ prioris consanguineâ per verba contraxerit de præsenti, cum secundâ remanere debebit;* Ità Bonifacius VIII. cap. unic. *de sponsal.* Si quis verò post contracta conditionatè sponsalia de futuro cum Bertha, nova de futuro sponsalia etiam absoluta cum ejus sorore contrahat, debebit is Bertham ducere, non ejus sororem. Posteriora enim sponsalia non possunt inducere obligationem agendi illicitè; illicitè autem contraheretur Matrimonium cum sorore Berthæ, quia priora sponsalia obligant ad expectandum conditionis eventum, ante quem non potest sponsus rem uni sub conditione promissam tradere alteri. Valeret tamen Matrimonium cum Berthæ sorore contractum, quia ex citato Bonifacii VIII. textu, sponsalia sub conditione inita tunc solùm publicæ honestatis impedimentum inducunt, cùm purificatâ conditione è conditionatis fiunt absoluta.

Not. Impedimentum honestatis esse perpetuum; unde si sponsa moriatur, vel ingrediatur Religionem, non poterit sponsus cum ejus consanguineis contrahere sinè dispensatione. Idem est, si sponsalia mutuô partium consensu, vel Officialis sententia dissolvantur. Ratio est, tum quia sponsalia hæc antequam dissolverentur, valida erant, & ex validis semel sponsalibus oritur perpetuum honestatis impedimentum; tum quia id à sacra Congregatione definitum est, cujus judicio inhærendum esse mandavit Alexander VII. anno 1658. Et tunc debet orator in supplicatione exponere sponsalia, vel morte unius partis, vel ex mutuo partium consensu dissoluta esse.

Quæres. An sponsalia coram Notario & testibus non autem in facie

in facie Eccleſiæ celebrata, inducant impedimentum publicæ honeſtatis. R. Vel non exigit locorum uſus, ut ſponſalia in Eccleſia celebrentur, vel id exigit. Si 1. ſponſalia hæc impedimentum pariunt; quia habent id omne, quod locorum ritu ad eorum validitatem requiritur. Et ità habet praxis Eccleſiæ Romæ, ubi ſponſalia fiunt abſque benedictione Sacerdotali. Si 2. diviſi ſunt Caſuiſtæ; unde propter dubium, qui puellæ reciprocam Matrimonii fidem dediſſet, & poſteà duxiſſet ſororem ejus, deberet recurrere ad Epiſcopum, qui Matrimonium hoc bonâ fide contractum validare poteſt.

Dicitur 4to. Quòd honeſtas illa oriatur etiam *ex Matrimonio rato, & non conſummato:* idque præterquam definitum eſt c. 4. & 8. *De ſponſalibus*, patet argumento à minori ad majus. Si enim ſponſalia mera, quæ ſunt via ad Matrimonium, inducant impedimentum honeſtatis, multò magis illud inducet Matrimonium ipſum, quamvis non conſummatum.

Hic not. 1mo. impedimentum è Matrimonio rato ad quartum uſque lineæ utriuſque gradum extendi; prout declaravit S. Pius V. in Bulla *Ad Romanum*. data anno 1568. 2do. quòd licèt ex ſponſalibûs invalidis non exurgat impedimentum honeſtatis, exurgat tamen è Matrimonio invalido; modò invalidum non ſit ex defectu conſensûs (ut eſſet in ebrio, in amente, in coacto ex gravi metu.) Ità Bonifacius VIII. cit. cap.

Hinc ſi Matrimonium Titii cum Bertha invalidum fuerit propter impedimentum dirimens, etiam iiſdem incognitum, Titius nullam è conſanguineis Berthæ intra quartum gradum ducere poterit. Imò probabilius eſt impedimentum hoc oriri ex Matrimonio clandeſtino: Qui enim ſinè Parocho, vel debitis teſtibus contrahit, verè conſentit, etſi illegitimè, non ſecùs ac Monachus qui Matrimonio jungitur: ergo ſicut ex iſtius falſo conjugio, ſic & clandeſtino alterius conjugio exurgit impedimentum honeſtatis.

Conclusio. Impedimentum honeſtatis diſpenſabile eſt.

Prob. Quia ſolô Eccleſiaſticô jure inductum fuit: unde unanimis eſt Theologorum ſententia Infideles eidem obnoxios non eſſe. Quapropter ſi Turca contractîs cum Chriſtiana ſponſalibûs ad Fidem convertatur, poterit ejus conſanguineam in primo gradu ducere.

Amentia. Sub amentibus hic comprehenduntur ii, qui liberum rationis uſum non habent; quales ſunt furioſi, imbeciles, &c.

Certum eſt, 1mo. omnes iſtos jure naturali inhabiles eſſe ad Matrimonium, quod libertatis multùm requirit. 2do. Amentes, qui lucida rationis intervalla habent, iiſque durantibus con-

trahunt, validè contrahere; quia tunc adest consensus sufficiens. Idem dic de iis, qui debile habent ingenium, sed non eò usque, ut hic ratio ac libertas perimatur. Hujusmodi tamen homines à nuptiis, si fieri potest, avertendi sunt, tum ob funestos recurrentis amentiæ, vel debilitatis ingenii effectus; tum quia Matrimonii scopus est attenta prolis educatio, quæ vix ab hominibus in eo misero statu constitutis expectari potest.

Quòd si instet familia apud Parochum, ut tales personas conjungat, is ante omnia Episcopum consulere debet, nè gravibus se se exponat incommodis. Etsi enim *quilibet præsumitur sanæ mentis; & qui alii objicit furorem, debet ipsum probare;* cùm tamen de dementiæ statu constat, tunc ei, qui Matrimonii validitatem defendit, probandum incumbit ipsum durantibûs lucidis intervallis fuisse celebratum.

Qui á naturâ surdi & muti sunt, si intellectum habent ità perspicacem, ut signîs edoceri possint, quid sit Matrimonium, & consensum indicare, validè contrahere poterunt, sicut & Religionem profiteri.

AFFINITAS est propinquitas inter certas personas orta ex quâcumque copula carnali completa.

Dicitur 1mo. *Inter certas personas,* scilicet inter conjugatum solum, & consanguineos conjugatæ & vicissim inter conjugatam solam, & consanguineos conjugati: unde si Titius copulam habeat cum Bertha, ipse & quidem solus, fit affinis consanguineis Berthæ; adeò ut defuncta Bertha non possit ducere matrem, filiam, neptem, imò nec cognatas Berthæ ad quartum usque gradum, si copula intra Matrimonium habita sit. Idem dicendum de Bertha respectu consanguineorum Titii. At verò consanguinei Titii prædictas Berthæ consanguineas ducere poterunt, juxta tritum id: *Affinitas non parit affinitatem,* cujus sensus est, Titium per suam cùm Bertha copulam sic fieri affinem consanguineis Berthæ, ut ejusdem Titii consanguinei, per hoc prædictis Berthæ consanguineis affines non reddantur. Unde pater & filius, matrem & filiam, fratres duo duas sorores; vel eorum unus matrem, alter filiam; itèm duo consanguinei duas consanguineas ducere possunt. Quâ itidem de causâ Titius, etsi Berthæ consanguineas ducere non possit, ejus tamen affines v. g. uxorem fratris Berthæ defuncti post Berthæ mortem ducere poterit.

Ut cognoscatur quo in gradu duæ personæ sibi sint affines, in affinitate sicut in consanguinitate distingui debent stipes, linea & gradus. *Stipes* sunt duæ personæ, quæ se carnaliter cognoverunt; quæque, cùm una caro evaserint, non vocantur affines, sed principium affinitatis; sicut pater & mater sunt principium

consan-

consanguinitatis. *Linea* est series personarum, quæ sibi sunt affines; & hæc sicut in consanguinitate duplex est, recta scilicet, & transversa. Affines in lineâ rectâ ii sunt, qui in eadem lineâ consanguinei sunt uni ex personis, quæ copulam habuerunt; affines verò in lineâ transversa dicuntur, qui in lineâ transversa iisdem personis consanguinei sunt. Unde mihi, qui Bertham duxi, affinis est in primo ascendentium gradu mater Berthæ, quæ socrus mea est; in primo autem descendentium gradu ejusdem Berthæ filia, ex alio Matrimonio nata. In lineâ verò transversa affines mihi sunt tum soror Berthæ, ejusdemque sororis filiæ, tum & aliæ ejus consanguineæ. Sit ergo istud instar regulæ: *Persona qualibet in eo gradu est affinis ei, qui copulam habuit cum consanguineâ suâ, in quo ipsa huic isti consanguinea est.* Hinc qui Bertham duxi, affinis sum in primo gradu matri, filiæ, & sorori ejus; quia mater, filia, & soror Berthæ, eidem in primo gradu consanguineæ sunt: in secundo autem gradu affinis sum filiæ sororis ejus, itèm & ipsius consobrinæ; in tertio sobrinæ, &c.

Dicitur 2do. *Ex quacumque carnali copula*, in debito vase consummata; id est tam ex illicita, quæ habetur per fornicationem, adulterium, incestum, aut sacrilegium, etiamsi hæc invitæ vel dormienti inferantur; quàm ex licita, quæ habetur ex legitimo Matrimonii usu; cum hoc tamen discrimine, quòd affinitas ex copula legitima dirimat Matrimonium usque ad gradum quartum inclusivè; quæ verò ex illicitò quovis concubitu oritur, idem non dirimat ultra secundum gradum inclusivè: unde qui fornicariè puellam cognovit, consanguineam ejus in tertio gradu validè & licitè ducere potest.

Porrò, ut in consanguinitate gradus mixtus ex primo & quinto, non inducit impedimentum; sic nec inducit in affinitate orta ex copula licita. Unde etiam affinitas ex coitu illicito non operatur in primo & tertio gradu: quia in hisce materiis, gradus prohibitus non computatur, cùm dicit ordinem ad gradum minimè prohibitum.

Sed quid, si Matrimonium fuerit invalidum, parietne affinitatem usque ad quartum gradum diremptivam? R. Vel est invalidum, ex malâ contrahentium fide, qui scienter cum impedimento dirimente contraxerunt; vel invalidum est ex ignorantia inculpata. Si 1. affinitas inde exorta, utpotè quæ sit ex copula illicitâ, non videtur transgredi secundum gradum: contraheretur tamen impedimentum honestatis publicæ ad quartum usque gradum pertingens, prout suprà dixi. Si 2. cùm affinitas illa ex copula licitâ prodierit, videtur ad quartum usque gradum extendenda.

Dicitur 4to. *Ex copula completa;* ea ſcilicet in qua penetratur vas muliebre, cum effuſſione ſeminis prolifici intra ipſum.

Hinc (quod utinam omittere poſſem, quia res eſt caſtis mentibus gravis, minùs verò caſtis periculoſa) hic non contrahit affinitatem 1mo. qui licèt *clauſtra pudoris invadat, vel frangat*, ſic tamen ſe retrahit, ut extra vas effundat ſemen. 2do. qui licèt intra vas emiſerit ſemen, non tamen prolificum: ſicque non oritur affinitas ex congreſſu Spadonum, Eunuchorum, eorumque, qui utroque carent teſticulo, ſecus ſi uno tantùm.

Ceterùm obſerva 1mo. nihil ad affinitatem intereſſe, an copula occulta ſit, an notoria. 2do. Quoties conſtat de copula toties in exteriori foro præſumi debitam ſeminis effuſionem. 3tio. Eum, qui etiam leviter ſuſpicatur ſe peccaſſe cum feminâ, cujus ſororem duxit, aut ducere intendit, indigere diſpenſatione, quam niſi obtinuerit, filii ejus pro illegitimis habebuntur in foro Eccleſiæ. 4to. Eos, qui ſcienter contrahunt in gradibus affinitatis aut conſanguinitatis, excommunicationem, non tamen reſervatam, inducere, Clement. unic. *De conſang.* ubi eadem pœna decernitur contra Religioſos, Clericos in ſacris, Moniales quæ Matrimonia contrahunt, & contra eos *qui cum Monialibus contrahere non verentur.*

Quæres. Quos habeat effectus affinitas Matrimonio jam contracto ſuperveniens, ut ſi Titius cum uxoris ſuæ ſorore vel nepte peccet. R. Per eam non diſſolvi Matrimonium, quod, ubi legitimè conſummatum eſt, ſolâ morte ſolvitur: ſed ex ea fieri, ut qui peccavit cum uxoris ſuæ conſanguinea in primo vel ſecundo gradu, licèt eidem uxori, quæ jure ſuo privari non meruit, debitum reddere teneatur, non tamen illud exigere poſſit, niſi obtentâ ab Epiſcopo diſpenſatione.

Quòd ſi uterque conjux cum alterius conſanguineis rem habuerit, vel alter de alterius conſenſu, neuter jam ſervat jus exigendi debiti; quia leges jus illud parti ſolùm innocenti relinquunt; & in hoc caſu neutra pars eſt innocens. Si tamen uterque conjux eâ intentione cum affinibus ſuis còëat, ut conjugem alterum debitô defraudet, tenebitur debitum alteri petenti reddere: quia cùm nemini fraus ſua patrocinari poſſit, nemini quoque immunitatem à tali onere acquirere poteſt.

Porrò ſolus ille inceſtus privat jure petendi debiti, qui formalis fuerit, non autem qui merè materialis. Unde ſi quis, ut fermè Jacob, ratus ſe ad uxorem ſuam accedere, ad ejus conſanguineam acceſſerit, non privatur ſuo jure; immunis eſt enim ab inceſtu, licèt non deſinat contrahere affinitatem. Idem dicendum de muliere per vim ab affine ſuo oppreſsâ; ſecus ſi

libidini

libidini ejus ex gravi mortis metu cesserit, quia mori potiùs debuerat quàm fœdari; & ideò poteſt maritus ei debitum negare, juxta Pontas v. *Devoir*, caſ. 20. ſit jam.

Conclusio I. Impedimentum affinitatis in omni lineæ transverſæ gradu diſpenſabile eſt.

Prob. Quia ad hoc ſufficit, ut quis de jure naturali poſſit ducere uxorem fratris ſui jam defuncti: atqui res ſic ſe habet. 1mo. Quia Jacob Vir ſanctus Liam & Rachelem ſorores duxit. 2do. Quia id diſertè ſequitur ex Lege Deuter. 25. ſic expreſsâ: *Quando frater unus abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus.* 3tio. Quia multi, iique ſcientiâ conſpicui Pontifices hoc in caſu diſpenſaverunt. Sic Julius II. Henrico VIII. conceſſit ut Catharinam fratris ſui Arturi viduam duceret: quam diſpenſationem cùm irritam eſſe imperitè contendiſſet Henricus, ut Annam Balenam duceret, Clemens VII. conſultis Illuſtribûs totius mundi Univerſitatibûs, & poſt grave conſilium, eandem legitimam fuiſſe pronuntiavit.

Obj. duo; primo quidem iſtud Joannis ad Herodem, Matth. 14. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, Herodes enim, utpotè alienigena, Moſaicæ legi minimè ſubjectus, non aliter redargui potuit, quàm quia Philippi fratris ſui, jam, ut ſcribit S. Chryſoſt. fatô functi, uxorem ducendo, peccabat contra jus naturale. 2do. Irritum eſt jure naturali Matrimonium fratris cum ſorore: porrò fratris uxor pro ſorore reputatur, ut quæ una cum fratre caro effecta fuerit. Sed hæc non urgent. Unde

R. ad 1. Herodes, licet patre alienigenâ natus, Judaicam Religionem profitebatur; unde Herodiadem ducere non potuit, ſive adhuc viveret Philippus, ut tunc vixiſſe omnes penè conſentiunt poſt Joſephum L. 18. Antiq. cap. 9. & Hieron. ſive jam è vivis exceſſiſſet; quia tunc tantùm viduam fratris ducere licitum erat, cùm ille *mortuus erat abſque liberis.* Philippus porrò ex Herodiade ſuſceperat liberos, atque inprimis ſaltatricem illam, cujus petulantiæ conceſſum eſt caput Joannis Baptiſtæ.

R. ad 2. Maritum & uxorem non fieri propriè carnem unam, & multò minùs ſororem unius fieri carnem unam cum alterius conjuge: unde non adeò repugnat ut ſoror defunctæ nubat viro ejus, quàm, ut eadem ſoror fratri ſuo copuletur. Quanquàm nec abſolutè verum eſt fratrum cum ſororibus connubia ſtrictè ipſis naturæ legibus uti nefaria prohiberi, prout ſuprà dictum eſt.

Major eſt difficultas, an affinitas jure naturali Matrimonium dirimat

dirimat in lineâ rectâ, an saltèm in aliquo ejus gradu. Hujus quæstionis solutio inservit, 1mo. ad dignoscendum, quo in gradu Pontifex dispensare possit. 2do. *Et magis* ad videndum, quando Infideles, qui in hisce gradibus contraxêre, suis sint ab uxoribus separandi, cùm ad fidem convertuntur. Dixi, *& magis*, quia nusquam hactenus dispensavit Ecclesia in primo gradu affinitatis ex Matrimonio prodeuntis: imò, præcipit Tridentin. Sess. 24. De reform. Matrim. ut *in secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.* Quanquam, præsertim in Matrimoniis jam contractis, aliquando dispensatur inter personas inferioris conditionis ob privatas etiam causas, v. g. ad vitandum scandalum ex separatione oriturum; ad educationem prolis alioqui miserabiliter perituræ; ad subveniendum paupertati puellæ plusquam nubilis, nubere volentis, & ideò multis periculis objectæ. Sit

Conclusio II. Affinitas ex coitu licito vel illicito, nequidem in primo lineæ rectæ gradu Matrimonium jure naturali dirimit. Unde si infidelis ante Baptismum in hoc gradu contraxerit, putà si vitricus privignam, si noverca privignum, si socer nurum, si socrus generum duxerit, non videntur propterea separandi.

Prob. 1mo. Ex Conciliis Agatensi, Epaunensi, & Aurelianensi III. Can. 10. quæ prohibent, nè dissolvantur Matrimonia eorum, qui in infidelitate duxerunt relictam patris, filiam uxoris, &c. horum enim Matrimoniorum dissolutio, non prohiberetur sed potiùs præciperetur, si naturali jure invalida forent.

Prob. 2do. Affinitas ex copulâ licitâ non magis de jure naturali dirimit Matrimonium, quàm ex illicitâ: per utramq; enim duo æquè fiunt caro una. Atqui plerique adversariorum, & inter alios Laiman & Lugo, fatentur affinitatem ex copula illicitâ natam, nè in ipso etiam primo lineæ rectæ gradu esse impedimentum jure naturali dirimens. Idque patet ex dispensationibus, quas in hoc gradu sæpe largitur sacra Pœnitentiaria, præsertim quoad usum Matrimonii à talibus jam contracti, & quando impedimentum hoc est occultum; ergo.

Objiciuntur tria, 1mo. id Levit. 20. *Si quis dormierit cum nuru suâ, uterque moriatur.* 2do. Apost. I. Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes: ità ut uxorem patris sui aliquis habeat;* ubi ducere uxorem patris sui scelus est jure naturali enormiter adversum; 3tio. Ecclesia inter affines in hoc gradu, saltèm ex copulâ licitâ, nunquam dispensavit.

R. ad 1. In hoc textu sermonem haberi vel de incestu habito cum nuru, vivente adhuc ejus marito, vel de concubitu

habito

habito extra Matrimonium: certè contrarium probari non potest.

R. ad 2. Flagitiosum Corinthium incestui adulterium miscuisse; adeò ut uxorem patris adhuc viventis cognoverit, prout sentiunt penè omnes, & habetur causa 2. q. 1. c. 17. Et verò quomodò dixisset Apostolus crimen illud nec inter gentes audiri, cùm scirent omnes moris fuisse, ipsis Apostoli temporibus, apud Persas, ut filius mortuo patre, novercam duceret.

R. ad 3. Ecclesiam in hoc gradu non dispensare, non defectu potestatis, sed defectu rationum. Ad id enim requiruntur causæ tam graves, ut nunquam occurrerint. Sed quia minùs urgentes requiruntur ad dispensandum in affinitate ex copulâ illicitâ, etiam in primo gradu, quandoque eæ dispensationes conceduntur.

Nè quid utilium excidat in hâc tanti momenti materiâ quasdam proponemus difficultates, quæ licèt circa alia impedimenta, communiùs tamen circa consanguinitatem & affinitatem oriuntur.

Quæres itaque 1mo. an iis, qui se consanguineos aut affines dicunt, fides haberi debeat à Confessario. R. Habendam, si id dicant ante Matrimonii celebrationem; unde à nuptiis contrahendis averti debent, donec res pleniùs expensa fuerit: si verò id post celebratum conjugium dicant, tunc non ità facilè credendum iis, qui ex malâ in aliam partem voluntate, falsa perinde ac vera effundunt; quod præsertim verum est, cùm præmissæ sunt bannorum promulgationes. Si tamen parti uni constet se alteri in gradu prohibito consanguineam esse aut affinem, prohibenda erit à petitione debiti, imò & ab ejusdem redditione; idque etiamsi ad id sub excommunicatione compellatur, & ob debiti negationem immineat periculum vitæ: quia quod est, aut certò creditur fornicarium, cùm eo ipso sit intrinsecè malum, nullâ unquam de causa licitum esse potest. Interim donec dispensatio obtineatur, debet pars impedimenti conscia, si illud comparti aperire nequit, ei vel ad aliquot hebdomadas aut menses continentiam persuadere, si possit; vel ad aliquod tempus ob mercaturam, executionem voti, aut piæ peregrinationis, abesse â domo.

Quæres 2do. Quid factô opus sit post obtentam impedimenti dirimentis dispensationem.

R. 1mo. Si impedimentum sit publicum, necesse est, ut partes suum coram Parocho & testibus, consensum renovent; quia non aliter scandalo mederi possunt.

R. 2do. Si impedimentum occultum erat, aut soli Parocho per viam confessionis cognitum, sufficit ut conjuges, quos anteà

licèt

licèt invalidè, coram Parocho & testibus contraxisse supponimus, inter se solos consensum renovent; ità declaravit Pius V. ad preces Pœnitentiariæ. Sed quô tandem modô renovabitur consensus ille; en gravis difficultas, & tamen quotidie obvia; quam sequens responsio adauget, nedum minuat. Itaque

R. 3tio. Matrimonium invalidum convalescere non potest, nisi pars, quæ impedimentum ignorat, admoneatur de prioris contractûs nullitate. Ratio est. 1mo. Quia ratificatio ex errore profecta nihil operatur, neque novam inducere potest obligationem; unde qui votum invalidum ratificat, quia illud validum esse credit, tandiu invalidè ratificat, donec præviam ejus invaliditatem cognoverit. 2do. Quia id probat stylus Pœnitentiariæ, quæ cùm dispensat ad permanendum in Matrimonio semel contracto, hæc verba apponit; *Muliere* (vel viro) *de nullitate prioris consensûs certioratâ: sed ita cautè ut latoris delictum nunquam cognoscatur;* ac proinde ut declaratâ Matrimonii nullitate, non tamen declaretur causa nullitatis ejus, præsertim si fundetur in delicto alterius partis, v. g. in affinitate ex copulâ illicitâ. Atque hinc recrudescunt ambages: quô enim pactô detegetur alteri parti nullitas, cujus reseratio funestos exitus habere possit? quâ arte ad præstandam novam consensionem allicietur?

R. 4to. Confessarium, qui in his casibus versatur, ante omnia junctîs jejunio precibûs, Dei *spiritum attrahere* debere, ut ea, quâ sibi gradiendum est, viâ incedat: tum maturè perpensis pœnitentium geniô, moribûs, indole, odiô vel amore, quô se invicem prosequuntur, rem totam Episcopo, primario harum Materiarum judici, detegat, si potest: si non potest, varios, qui à doctioribus Theologis proponuntur, obtinendæ consensûs renovationis modos dignoscat; quinque autem proponi solent.

Primus est, quòd conscius impedimenti dicat se à principio invalidè consensum præstitisse, vel se non consensisse, ut par erat, defectu bonæ instructionis; propterea ex concilio Confessarii oportere, ut pro securitate conscientiæ ambo invicem consensum renovent. Quapropter ipse quidem iterum consentit libentissimè accipere eam in uxorem, & optat ut ipsa etiam consentiat de novo, habere eum in maritum; & tunc si ea quoque consensum suum renovet, fiet Matrimonium.

Quoniam verò modus iste graves patitur difficultates, præsertim si mulier rea sit; & maritus perspicacis & suspiciosi animi, ideo proponitur secundus modus, quô pars impedimenti conscia generatim indicet prioris consensûs nullitatem, & novum exigat, dicendo v. g. Suspicor te non esse meam conjugem aliquâ de causâ; ideo precor, ut ad conscientiæ meæ pacem nos denuò pro conjugibus habeamus. Tertius

Tertius modus eſt, ut à parte impedimenti neſciâ novus habeatur conſenſus, ſinè expreſsâ quidem, at non ſinè æquivalenti nullitatis Matrimonii cognitione; putâ ſi conjux alter alterum hîs vocibûs amicè compellet: Ità tibi afficior, ut ſi non eſſet inter nos Matrimonium, nihilominùs acciperem te, & jam de facto ità te accipio: numquid & tu ſimiliter? Si reſpondeat: Accipio: (non enim ſufficeret vox, Acciperem) vel eo affectu ſe cognoſcant, Matrimonium convaleſcit, ait Sylvius; quia ignarus impedimenti, non ſolùm in Matrimonio priùs contracto permanere intendit, ſed & novum inire, ſi prius non valuerit: unde is conſenſus eſt quidem cum errore, ſed non ex errore.

Quartus modus, qui cum maritis tractari difficilioribus adhibetur, eſt ut mulier abſque eo quòd inſciæ parti aperiat prioris conſensûs defectum, cautè curet, ut utriuſque conſenſus ſimul renovetur, putà diſſimulanter petendo ab eodem ut pro ſuâ conſolatione ipſam habeat in conjugem, ſimulque dicat. Et ego te in conjugem habere volo.

Quintus denique modus, ad quem recurritur, cùm ceteri prodeſſe nequeunt, & inſtat ſcandali, gravis infamiæ, aut divortii timor, eſt, ut obtentâ diſpenſatione habeatur copula maritali affectu ex parte illius, quæ impedimenti conſcia eſt: quia pars altera, quæ impedimentum neſcit, eô affectu commercium hoc continuat.

Verùm ex his quinque iterandi Matrimonii modis, nullus eſt præter primum, & fortè tertium, qui omnino tutus videatur. Unde ſatius judicat Germanus Canoniſta, ut Confeſſarius, vel alius de licentiâ partis impedimenti conſciæ, in ſe ſuſcipiat negotium, & conjugi nullitatis ignaro, (vel potiùs utrique conjugi, nè quid ſuboriatur ſuſpicionis) exaggeret, quàm neceſſaria ſit gratia ſacramentalis ad onera Matrimonii portanda, quæ tamen non confertur, ſi Matrimonium, ut evenire facilè & inculpatè poteſt, ob aliquod impedimentum *nulliter* contrahatur. Hîs poſitîs, ſuadeat conjugibus, ut inter ſe de novo contrahant ſub conditione, dicente uno v. g. Si ex aliquâ causâ Matrimonium non eſſet validum, volo tecum ex nunc de novo contrahere: alio verò reſpondente: Volo pariter & ego tecum contrahere. Hæc methodus præmiſsâ cautâ & publicâ inſtructione inſervire aliquando poſſet; & licèt in ea non ſit certioratio formalis, eſt tamen æquivalens.

Quæres 2do. Quid agendum Parocho cum iis, quos impedimento dirimente teneri animadvertit.

R. Vel detegitur impedimentum ante Matrimonii celebrationem, vel poſt idem contractum; itèm vel detegitur in confeſſione, vel extra.

Si

Si impedimentum extra confessionem detegatur ante celebrationem Matrimonii, suspendi debet bannorum promulgatio, aut si ea jam præcessit, celebratio Matrimonii; idque licet ab uno tantùm teste, etiam de auditu, modò sit fide dignus, objiciatur impedimentum illud, imò & maliciosè objici videatur, donec res ad Episcopum, *aut si longiùs distet ad Vicarium foraneum* delata fuerit; ità S. Carolus Borom. qui hoc extendit, etiamsi impedimentum *nullius momenti* appareat. Ut tamen Episcopus, & Parochus securiùs procedant, debet is cùm sibi hujusmodi impedimenta deteguntur, exigere, ut revelatio sibi tradatur in scriptis, & à duobus testibus, atque ab ipso revelante, si scribere norint, subscribatur: debet & tacitè rei totius veritatem inquirere. Idem ordo servari debet, cùm communis fama aliquos impedimentô quôpiam ligari perhibet. Tunc autem si Parochus rebûs maturè expensîs rumores illos, ut sæpè fit, nihil solidi habere animadvertat, ex prævio partium juramento ad nuptias procedere potest.

Si Parochus solus etiam extra confessionem rescierit impedimentum, quod probare nequeat, quodque à futuris contrahentibus negetur, non potest benedictionem nuptialem denegare, postquam eos pro virili à contrahendo avertere conatus fuerit; nè idem sit testis & Judex. Prudenter tamen hoc in casu recurret ad Episcopum, ad quem eæ materiæ pertinent, ex c. 1. *De consang. & affin.*

Si impedimentum ante matrimonii celebrationem detegatur à Confessario, debet is, quidquid sentiant nonnulli, pœnitentem de impedimento monere, ut vitetur Sacramenti nullitas. Si videt pœnitentem sic affectum esse, ut non obstante impedimento ad nuptias transiturus sit, debet absolutionem negare, & hortari, ut ante obtentam dispensationem Matrimonium non consummet.

Si impedimentum Matrimoniô jam contractô detegatur: vel pœnitens aliquid patitur dubii, ex quo circa Matrimonii sui valorem interrogat; vel de Matrimonii sui validitate non dubitat.

Si primum, aperienda est ei veritas, quæ sinè mendacio negari non potest. Idem est, cùm pœnitens, etsi nec dubitet, nec interroget, ex ignorantiâ tamen juris aut facti, quæ vincibilis sit & mortaliter culpabilis, impedimentum ignorat; aliàs Confessarius scienter absolveret indignum: cùm verè indignus sit, qui contra legem merâ suâ culpâ peccat. Quòd si pœnitentis dubium cadat in compartem suam, à quâ admissum aliquod crimen suspicatur, posset, & ut opinor, deberet aliquando Confessarius ejusdem animos pacare, dicendo v. g. Non omni

omni spiritui credendum esse; hujusmodi judicia, quò graviora sunt, eò plus postulare maturitatis, &c. Quod extenderem, etiamsi Confessarius non solùm viâ confessionis, sed & aliâ quâcumque, modò secretâ, de impedimento certus esset. Ratio est, quia exigunt aliquando circumstantiæ, ut bona conjugum fides foveatur, cùm illæsâ veritate foveri potest, prout ex sequenti responsionis parte evidens erit. Itaque

Si conjux etsi falsò, indubiè tamen de Matrimonii sui validitate convictus sit, tunc aliquando moneri debet de nullitate Matrimonii; aliquando non. Debet quidem moneri, si speretur monitionem profuturam, & remedium adhiberi possit absque ullius gravi infamiâ, vel scandalo, aut alio quovis notabili detrimento. Ratio est, quia fornicatio etiam materialis, vitari debet, quando vitari commodè potest. Quòd si is, qui impedimentum cognoscit, per se ipsum monere non possit, aut nolit, debet illud denuntiare alicui, qui prodesse queat, & non velit obesse, præsertim autem Parocho, aut Confessario. Si autem ex impedimenti revelatione grave prævideatur periculum infamiæ, vel divortii, nec haberi possit dispensatio, aut habita executioni mandari absque maximâ difficultate, tacere debet Parochus vel Confessarius, qui impedimentum didicit, & ejusmodi conjuges in eâ, quâ fruuntur, bonâ fide relinquere. Hæc ergo ex circumstantiis metienda sunt, inter quas præcipuè inspiciendum est, an inter putatitios conjuges bene conveniat, an odiô urantur, &c. Repete quæ dixi ubi de Pœnitentiâ.

CLANDESTINITAS. De Matrimonio clandestino seu quod non contrahitur coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius vel Episcopi licentiâ, & legitimis testibus; duo quæruntur, 1mo. An clandestina Matrimonia semper illicita fuerint; 2do. An olim rata, nunc jure per Concilium Trid. inducto nulla sint.

R. ad 1. Matrimonia clandestina seu occultè ac sinè testibus contracta illicita semper fuère. Patet 1mo. ex Trid. Sess. 24. de Matrim. c. 1. ubi: *Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est*; 2do. Ex multis Conciliorum particularium, quæ Tridentino præiverant, Decretis; quæ collegit Gratianus causâ 30.

R. ad 2. Matrimonia clandestina ante Trid. valida fuère; ea verò irritavit lex Tridentina.

Prob. 1. pars ex Decreto Trid. Sess. 24. de reform. Matr. c 1. *Tametsi*, ait Synodus, *dubitandum non est, clandestina Matrimonia, liberô contrahentium consensu facta rata & vera esse Matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit*, &c. Idem pro-

bant

bant vota pro hujuſmodi conjugiorum irritatione facta à Conciliis, præſertim à Conc. Colon. an. 1536.

Prob 2. pars ex verbis Decreti Trid. *Qui aliter quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentiâ, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit. Inſuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore teſtium numero; & teſtes, qui ſinè Parocho vel Sacerdote hujuſmodi contractui interfuerint, necnon ipſos contrahentes graviter arbitriô Ordinarii puniri præcipit.*

Quæres 1mo. annon ſaltèm conjugia hæc vim habeant ſponſalium. R. neg. quia quod de jure nullum eſt, nullum habet effectum.

Quæres, 2do. quis ſit Parochus, cujus præſentia exigitur, an originis, an domicilii : an viri, an mulieris. R. eſſe Parochum domicilii: ille enim ipſe eſt, ad quem pertinet Banna publicè denuntiare, ſi fortè aliquod detegatur inter contrahentes impedimentum vel prohibens, vel dirimens. Perinde autem eſt ſive viri, ſive mulieris ſit Parochus: mos tamen invaluit ut Matrimonium celebretur coram Parocho mulieris, de licentiâ Parochi viri. Hæc autem licentia per atteſtationem promulgationis bannorum dari cenſetur. Peccaret porrò, qui ſpretô alterius Parochi conſenſu, nec ab eo certior factus, quòd Banna ritè promulgaverit; quòdque Parochianus ſuus ad Pœnitentiæ Tribunal acceſſerit, utrumque in Matrimonium conjungere præſumeret.

Quæres. 3tio. quotô tempore opus ſit ad acquirendum jus domicilii in aliquâ Parochiâ, in ordine ad Matrimonium. R. iis qui in eâdem Diœceſi de unâ Parochiâ tranſeunt ad aliam, ſufficere habitationem per ſex menſes; in iis verò qui ab unâ Diœceſi tranſeunt ad aliam, requiri domicilium anni unius.

Quæres. 4to. an Matrim. contractum coram proprio Parocho, vel alio Sacerdote de licentiâ ipſius, in aliena Parochiâ validum ſit. R. affirm. cum Tridentino ibid. Celebratio enim Matrimonii eſt Actus juriſdictionis voluntariæ, quæ ubique poteſt validè exerceri, modò adſint omnia eſſentialiter requiſita. Poſtulat tamen ordo, ut Parochus neminem in alterius Parochiâ maritet, niſi obtentâ licentiâ & Parochi hujus & ipſius Epiſcopi.

Quæres. 5to. an valeat Matrimonium celebratum coram proprio Parocho nondum Sacerdote. R. in praxi conſultum eſſe, ut Parochi nondum Sacerdotes officium illud alicui

Sacerdoti committant. Et certè, si Sacerdos est minister Sacramenti Matrim. forma verò essentialis verba ab ipso prolata, Parochus nondum Sacerdos ea temerè proferret.

Quæres. 6to. an valeat Matrimonium contractum coram Parocho excommunicato, suspenso, irregulari. R. valere, modò Parochus ille nec Beneficio suo privatus sit, nec denuntiatus. Ratio est 1mo. Quia Concilium simpliciter exigit præsentiam Parochi; 2do. Quia conjugium hoc nullo juris decreto irritatur. Si denuntiata sit Parochi censura, non stabit Matrimonium, si Sacerdos ejus Minister esse dicatur. Imò dubitat Gibert, an tunc valeat, etiamsi contrahentes Ministri esse supponantur.

Si Parochus, licèt propriè intrusus, titulum habeat coloratum, hoc est, si ex communi errore reputetur verus Parochus, valebit contractum eô præsente conjugium; quia error communis facit jus, & Ecclesia in his casibus sufficientem ad omnia Parochi munia confert jurisdictionem.

Quæres. 7mo. quæ Parochi præsentia necessaria sit, an physica, an moralis, quæ sit cum libertate, rationis advertentiâ; ità ut si Parochus vel invitus ac per vim adductus sit, vel benedictionem deneget, nullum sit Matrimonium.

R. 1mo. quæcumque sententia circa Ministrum Matrimonii seligatur, ea exigi debet Parochi præsentia, quæ ad humanum actum sufficiat: si enim aut dormiens adsit, aut nesciens omninò quid fiat, nè testis quidem idoneus esse poterit, nedum sit Minister Sacramenti, in quo necessaria est intentio faciendi quod facit Ecclesia.

R. 2do. in opinione eorum qui contrahentes faciunt Ministros hujus Sacramenti, Parochum verò duntaxat testem præcipuum, valere Matrimonium, etiam in ratione Sacramenti, etsi Parochus benedictionem solemnem deneget. Qui verò contendunt Parochum veri Ministri partes hic sustinere, consequenter respondent eo in casu stare quidem Matrimonium quoad contractum, at non esse verum Sacramentum.

Quæres. 8vo. utrùm Matrimonia sinè præsentiâ Parochi & testium contracta, nullô casu sint valida.

R. ea esse valida, 1mo. quando contrahuntur ab incolis Regionum ubi Concilium vel non est publicatum, vel nunquam fuit receptum; tum quia Synodus non vult suum Decretum habere robur nisi post 30. dies à die primâ publicationis; tum quia lex nunquam recepta non obligat. 2do. In locis ubi Decretum Concilii publicatum est, vel aliquô tempore in Parochiâ tanquam Decretum Concilii observatum; sed Parochialis Ecclesia caret Parocho, & Cathedralis Episcopo, atque

Capitulo

Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi; nullusque alius ibi est, qui vices Parochi vel Episcopi suppleat. Tunc tamen quoad potest, servari debet forma Concilii, nempè adhibitis saltèm duobus testibûs. 3tio. Si Parochus & Episcopus, nullô constitutô Vicariô, metu Hæreticorum omninò lateant, nec ad alterutrum sit tutus accessus, & tunc etiam servanda erit quoad testes forma Concilii. Ita duos posteriores casus resolvit sacra Congregatio 19. Januarii 1605.

Quæres. 9no. an quando incolæ locorum ubi Trid. obligat, divertunt ad loca ubi non obligat, vel incolæ locorum ubi non obligat, divertunt ad locum ubi obligat, teneantur coram Parocho ac testibus contrahere. R. negat. in primo casu, positis tamen ponendîs. Ratio est, quia Decretum Conc. eos omnes & solos obligat, qui habitant loca ubi fuit publicatum. Unde non est hic attendenda contrahentium origo, sed domicilium pro tempore, quô contrahunt.

Dixi, *positîs ponendîs*: si enim incolæ loci, in quo Concilium fuit publicatum, adeant loca in quibus non est promulgatum, animo duntaxat ibi clandestinè contrahendi, non verò in illis locis habitandi, *saltem per tempus lege præscriptum*, non validè contrahunt, quia carent domicilio; cùm ad domicilium opus sit animô commorandi in loco. Quòd si habeant animum ibi manendi *per tempus lege præscriptum*, eos validè contrahere docent Sylvius, Fagnan. & alii; quia licèt habitationem fraudulenter mutaverint, nulla est fraus in eorum habitatione: verè enim in loco commorati sunt per totum tempus à lege ad acquisitionem domicilii præscriptum.

Quæres 10mo. quis proprius vagorum, quibus nulla est sedes fixa, sit Parochus. R. cum Trid. Sess. 24. de reform. Matrim. cavendum Parochis *nè facilè ad Matrimonium recipiant hoc hominum genus, qui, ut improbi sunt ingenii, primâ uxore relictâ, aliam, & plerùmque plures, illâ vivente, diversis in locis ducunt.* Unde Parochus à vagis exquirere debet instrumenta, quibûs constet 1mo. de eorum Baptismo; 2do. de morte patris eorum & matris; vel de consensu ab iis, si vivant, dato, vel secundùm leges postulato; 3tio. de morte uxoris, si quam antè duxerint. Hîs exploratîs res ad Episcopum deferenda est, ut prout opus fuerit, in domicilio dispenset.

IMPOTENTIA. Arduam omni sensu materiam aggredimur, quam tamen, quia sæpius occurrit, distinctè tractabimus. Faxit DEUS, ut quæ ex necessitate dicta sunt, ex solâ necessitate legantur.

Impotentia, est incapacitas consummandi Matrimonium, seu habendi

habendi perfectam copulam conjugalem, ad quam requiritur feminei vasis penetratio, & emissio seminis intra ipsum.

Ex hâc definitione colligitur valere Matrimonium 1mo. inter senes. 2do. inter steriles. 3tio. inter eos, qui uno solùm testiculo carent, quique prolificum semen emittunt, 4to. non valere inter eos, qui licèt membrô virili valeant, utrôque tamen teste carent, vel utrumque attritum habent. Unde Eunuchorum connubia invalida declaravêre, Sixtus V. & Curia Parisiensis an. 1665. Ergo, seu mulier impedimentum cognoverit, seu non, à se invicem sunt separandi, nisi ut frater & soror vivere velint.

Impotentia 1mo. alia est *antecedens*, quæ Matrimonium præcedit; alia *subsequens*, quæ eidem jam contracto supervenit. 2do. Alia *perpetua*, quæ nec ullô remediô naturali licitô, nec per consuetos Ecclesiæ exorcismos, precesve sanari potest; alia *temporalis*, quæ per artis remedia curari valet. 3tio. Alia perpetua simul & *absoluta*, quæ impossibilem cum quâcumque coitum facit; alia *respectiva*, quæ copulam impedit cum unâ, non cum aliis. 4to. Alia, quæ oritur ex solo naturæ defectu; alia quæ oritur ex maleficio. Quæritur quænam ex istis dirimat Matrimonium.

R. 1mo. Matrimonium non dirimi per impotentiam subsequentem, etiamsi hæc præcedat consummationem Matrimonii. Matrimonium enim semel validè contractum, nunquam dissolvi potest, nisi pars alterutra ante consummationem in Religione profiteatur.

Ceterùm si contractô validè Matrimoniô suboritur aliquid, quod coitum certè impediat, ex hoc nequidem licitum est sponsis eundem attentare. Idem est si maritus utrôque testiculô per vim aut morbum orbatus fuerit, licèt tunc non desit potentia ad copulam. Doctrina contraria an. 1703. proscripta fuit ab Episcopo Atrebatensi: eam quoquè reprobant instructiones è Rituali Blesensi desumptæ.

In dubio an impotentia præcesserit Matrimonium, non præsumitur præcessisse, si pars altera nonnisi diu post reclamet, nisi validis probationibus fulciatur. Impotentia tamen naturalis facilè judicatur antecedens, & contra eam post octo Matrimonii annos utiliter reclamatum est coram Curiâ Parisiensi.

R. 2do. impotentia temporalis non dirimit Matrimonium, præterquàm in impuberibus, de quibus infrà, 1mo. quia ità definiit Innocentius III. c. 6. *De frigidis*, &c. 2do. quia ad Matrimonii validitatem non requiritur actualis ejusdem usus, sed potentia ad usum: hanc autem habent, qui licèt hic & nunc

ob morbum v. g. coire nequeant, id deinceps poterunt. Si quis tamen cum impotentiâ aliquandiu duraturâ contrabat, nec de eâ præmoneat alium conjugem, rarum est, ut mortaliter non peccet ob gravem injuriam & periculum compartis.

R. 3tio. impotentia antecedens perpetua & absoluta Matrimonium annulat.

Prob. tum ex tit. *De frigidis, &c.* tum quia, ut benè S. Thom. hic q. 58. a. 1. *quamvis actus carnalis copulæ non sit de essentiâ Matr. tamen potentia ad actum est de essentia ejus.* Neque is cui nota est alterius impotentia, jure suo cedere potest: quia qui semel inhabiles, non possunt unquam validè contrahere. Quapropter partes à se invicem quoad torum recedere debent, etiam ante probationem triennii, quoties certò constat de impotentiâ; nisi castè ut soror & frater cohabitare velint, & nullum impudicitiæ aut scandali immineat periculum. Quod etsi suadendum est, ut probrum, & alia id genus accusationi impotentiæ annexa evitentur, difficile tamen est in praxi, nisi partes pietatem colant: cùm ii solùm ut frater & soror vivant, qui abstinent non solùm ab opere aut conatu conjugali, sed etiam ab eodem toro, tactibus, & aliis, quæ extra conjugium prohibita sunt.

Si dubitetur, an impedimentum perpetuum sit, permittit Ecclesia, ut per triennium experiantur conjuges, an Matrimonium consummare valeant: interim verò iis licitum est quidquid sponsis licet; & quæ hinc quandòque sequitur pollutio, per accidens sequi censetur. Elapsô trienniô, *si inveniatur Matrimonium non esse consummatum, judiciô Ecclesiæ dissolvitur;* non autem solâ partium authoritate: tum quia aliòqui suboriretur scandalum, cùm tales pro legitimis conjugibus habeantur: tum quia facilè contingeret, ut alter vel uterque, mutuæ cohabitationis pertæsus, fictitiæ impotentiæ labem alteri imponeret.

Quòd si posteà deprehendatur in alio Matrimonio potens, qui judicatus erat impotens, censet ibid. S. Thomas, prius conjugium redintegrari; eique consentiunt Sambovius & Pontas. At reclamant alii cum Giberto. Ego quidem, rebûs denuo pensatîs, locorum disciplinam & leges sequerer in re admodùm intricatâ.

Unde autem incipiat triennium ad experientiam permissum, non convenit inter Jurisperitos. Alii ipsum à die celebrati Matrimonii, alii à die sententiæ Judicis Ecclesiastici inchoandum censent. Prima opinio est communior: secundam tenet Rota, eique inhærendum esse docet Fevreti Commentator L. 5. c. 4.

c. 4. n. 12. quod nullâ Regni lege cautum eſt, & durum videtur. Unde interveniente Judicis ſententiâ deducendum eſt tempus, quod eam præceſſit, adeò ut ſi poſt 18. habitationis menſes lis mota fuerit, per 18. alios menſes cohabitare ſponſi teneantur.

Quòd ſi per tempus experientiæ conceſſum partes ex morbo diuturno, vel propter longiorem abſentiam coitum tentare non potuiſſent, tempus illud ſupplendum eſſet; ſecùs ſi unâ tantum vel alterà hebdomade fuiſſent impediti. Si duo ſtatim adeptâ pubertate contraxiſſent, triennium computandum erit non à die Matrimonii, ſed à die *plenæ* pubertatis, quæ in feminis an. 14. in maribus an. 18. ætatis completur: quia dubium eſt, an non præcedens coëundi impotentia ex virium imbecillitate profecta ſit.

Elapſô trienniô, ſi necdum certò conſtat de impotentiâ perpetuâ, res tota ad Epiſcopum deferenda eſt, qui juxta locorum leges varie judicat, & demum partes ſeparat.

Virô & muliere ex impotentiæ causâ ſeparatîs, poteſt pars copulæ idonea ſecundum contrahere Matrimonium; non autem impotens, niſi impotentia ejus ſit ſolùm reſpectiva; tunc enim poteſt & hæc Matrimonium contrahere cum aliâ, ad quam potens eſſe præſumatur.

Cùm impedimentum hoc ex arctiori mulieris ſtatu oritur, antequam contrahentes à ſe invicem diſcedant, experiri debent, an mulier non poſſit per frequentem copulæ niſum marito idonea fieri: ubi verò conſtiterit, quod quandòque facilè conſtare poteſt, eam eſſe genitalis membri diſproportionem, ut conatus nunquam ſuccedere poſſint, abſtinendum eſt ab eo omni, quod ſolis ſponſis permiſſum ſit.

Sed an tenebitur mulier inciſionem pati? Negant cum Pontio nonnulli; quia inciſio medium eſt, quod non niſi violatis verecundiæ legibus adhiberi poteſt. Quid enim turpius, quàm ut virgo oculis & manibus Chirurgi ſubjiciatur. Idem olim ſenſi. Non ægrè tamen aliud hodie cum S. Antonino ſentirem, modò inciſio non ſit periculoſa. 1mo. Quia agitur quidem de Virgine, ſed jam mariti conatus expertâ. 2do. Quia quæ calculo laborant, alienis oculis ſe ſubjicere coguntur. 3tio. Quia jam, quod tamen dolendum eſt, viri obſtetricum perſonam agunt. Erit id à fortiori admittendum, ſi idem ſit maritus qui Chirurgus. Quòd ſi inciſio ſit verè periculoſa, non poterit mulier hanc pati, & ſi patiatur, non convaleſcat ſinè novo conſenſu prius Matrimonium: quia impedimentum quod ſinè peccato auferri nequit, cenſetur perpetuum. Idem

 eſt

est de eo, quod citra adulterium, vel citra miraculum tolli non posset.

Quod spectat ad impedimentum ex maleficio, certum est 1mo. impotentiam, quæ maleficii effectus esse creditur, sæpe oriri *vel ex verecundiâ & pudore, vel ex nimio amore, vel infenso odio sponsæ, quam vir* aut *invitus*, aut invitam *duxit*. Addo eam sæpius quoque ex imaginationis perturbatione oriri: sunt enim agrestes inter non pauci, quibus si malum hoc commineris, eo ipso impossibilis evadet coitus, ex solâ *innodationis* ideâ.

Certum est 2do. sponsis in hoc miserrimo statu positis, triennium ad experientiam dari; quô interim tempore *hortandi sunt, ut corde contritô & spiritu humiliatô, Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant; & profusis lacrymis, & largioribus eleemosynis, & orationibus atque jejuniis Domino satisfaciant; & per exorcismos ac cetera Ecclesiasticæ medicinæ munia, Ministri Ecclesiæ, quantùm annuerit Dominus, tales sanare procurent.* Ità Hincmarus c. 4. XXXIII. q. 1. Priusquàm tamen proponantur remedia hæc, quæ mali persuasionem augent, expendere debet prudens Confessarius, ànnon in primis sanari debeat imaginatio.

Certum est 3tio. quòd illicitum sit tollere maleficium sive aliô maleficiô, sive quâcumque actione superstitiosâ: unde peccant conjuges qui, ut maleficium tollant, secundum in facie Ecclesiæ Matrimonium contrahunt. *Est enim hoc*, ait Rituale Antuerp. *diabolicum inventum, superstitionis inducendæ causâ, vel ut res sacras hominibus ludibrio exponat, & Sacramento Christi gravem irroget injuriam.* Certè nulla est inter Matrimonii renovationem, & cessationem maleficii relatio, vel ex naturâ rei, vel ex Ecclesiæ instituto, quod indubium est superstitionis argumentum.

Quòd si sponsus spretô peccati metu maleficium maleficiô, aut aliô facinore abstulerit; stabit semper impedimentum: quia ut omnes docent cum S. Antonino, impedimentum quod *non potest revocari nisi per aliquod illicitum*, semper perpetuum judicari debet, ac proinde Matrimonii diremptivum. Unde qui maleficium peccatô aliquô abstulit, non tenetur seclusô scandalô, eam denuò ducere, quam ante duxerat; quia matrimonium invalidum nullam parit obligationem.

Quædam hic addenda, 1mo. maleficium vulgò respectivum esse ad unam: unde qui cum secundâ facilè consummavit, nihil circa præcedentis impedimenti existentiam sollicitus esse debet. 2do. In dubio an impedimentum ex maleficio sit perpetuum an temporale, præsumi perpetuum post triennem experientiam;

perientiam; nè aliòqui pars maleficii expers, in æternùm expectare cogatur. 3tio. Si mulier ipsa procuraverit maleficium ei, cui postea nupsit, nihilo plus valebit Matrimonium; neque enim valor ejus ex conjugum voluntate pendet, sed ex naturâ rei: quanquam maleficus damna ex suo facinore emergentia compensare debet. 4to. In omnibus quæ hic emergunt dubiis, nè uno quidem passu esse procedendum sinè Episcopi consilio: ad eum enim referendæ sunt *omnes Matrim. dubitationes*, ut ait Odo de Soll. Paris. Episc.

Quæres, quid de impuberum, & hermaphroditorum connubiis sentiendum sit.

R. ad 1. impuberum Matrimonia Jure Ecclesiastico nulla esse, ut patet ex c. 14. *De desponsat. impuber.* & ex variis Parlamentorum Arestis; idque meritò constitutum est ob summam, quæ in re tanti momenti necessaria est, prævio maturò examine libertatem.

Hæc regula fallit 1mo. in Principibus, quos aliquando etiam impuberes, ob bonum pacis, maritari expedit: & tunc sufficit dispensatio Episcopi. 2do. In iis, qui adeptâ pubertate cohabitare perrexerunt. Quanquam non pauci & meliùs, Matrimonia hæc de novo in facie Ecclesiæ contrahenda esse contendunt, ut nihil remaneat dubii. 3tio. Juxtà extraneos, in iis, in quibus malitia supplet ætatem, id est, qui ante pubertatis annos generare possunt. Censent tamen multi impuberum conjugia in hoc casu pro invalidis habitum iri à supremis Curiis. At meritò observat Babin periculosam fore talium separationem, si certò, v. g. ex conceptu puellæ, constaret de Matrimonii consummatione.

De hermaphroditis docet Cabassut. L. 3. c. 25. eos, si contrahant, secundùm sexum prævalentem contrahere debere: quis verò sexus prævaleat, per inspectionem expertorum dijudicari, in dubio autem hermaphroditi assertioni standum esse. 2do. & id hic in materiâ capitale est, Parochum non priùs suam hermaphroditi conjugio præsentiam exhibere posse, quàm Ecclesiasticus Judex cognoverit de sexûs prævalentiâ, & exegerit declarationem juramento firmatam nunquam deinceps altero sexu utendi ad Matrimonium.

Conclusio. Ecclesia dispensare non potest in impedimento impotentiæ.

Prob. quia impedimentum impotentiæ, ante quamcumque Ecclesiæ constitutionem, & ex ipsâ rei naturâ substantiæ Matrimonii adversatur; nam, ut suprà dicebat S. Thomas, quamvis actus carnalis copulæ non sit de essentiâ Matrimonii, tamen potentia ad actum est de essentiâ ejus; ergo.

RAPTUS. Circa impedimentũ raptûs *Decernit Sancta Synodus*, Trident. Seſſ. 24. c. 6. *inter raptorem & raptam, quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominùs raptor ipſe, & omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuò infames, &c.*

Raptus definitur, Crimen, quô femina è loco tuto extrahitur, & transfertur in locum, ubi raptoris poteſtati ſubeſt, idque libidinis explendæ, vel Matrimonii contrahendi causâ.

Dicitur 1mo. *crimen*, quo quidem vix ullum aliud in ſocietate perniciosius fingi poteſt; unde juxta Regni leges morte plectitur.

Dicitur 2do. quo *femina*; ſive enim virgo, ſive corrupta, ſive vidua, ſive conjugata per vim abducatur, perinde eſt ad raptum: quia Tridentinum omnibus omninò perſonis ſalvam facere voluit Matrimonii libertatem. Quin & ſi propria deſponſata, invita rapiatur, cenſent Azor & Sanchez raptum committi, cùm etiam nulla raptæ ſupervenerat à ſponſalibus reſiliendi cauſa. Habet enim is etiam raptus non parum injuriæ, cùm puella ad executionem ſponſalium privatâ authoritate cogi nequeat.

Dicitur 3tio. *extrahitur*, vel *phyſicè* per injectionem manuûm, vel *moraliter* per minas graves, aut gravem metum; itèm vel per ſe, vel per alios.

Dicitur 4to. è *loco tuto*, ſive is ſit parentum, tutorumve domus, ſive ædes Monaſterii, ubi mulier ſecura degebat.

Dicitur 5to. *& transfertur in locum*, ſeu is raptoris ſit, ſeu amicorum ejus, ſeu talis, ut perſona rapta vim pati meritò cenſeatur.

Dicitur 6to. *idque vel libidinis, vel Matrimonii causâ*; in utroque enim ſalvatur tota raptûs ratio. Sed an ſalvetur ratio raptûs Matrimonium annulantis, cùm ſolius libidinis intuitu rapta eſt mulier, controvertitur. Opinio affirmans tutior eſt oppoſitâ, & adminùs æquè probabilis: quia raptus ſive fiat libidinis aut Matrimonii causâ, perinde officit Matrimonii libertati, adeòque verus eſt raptus ad ſenſum Trid. Si puella minor de parentum aut tutorum conſenſu, non autem de ſuo raperetur, deſineret ratio raptûs juxta aliquos; at raptûs loco ſubintraret vis, & annexa eidem Matrimonii invaliditas.

Raptus duplex, alter *violentiæ* modò definitus, quô mulier renitens è loco tuto per vim abducitur; alter *ſeductionis*,

quô mulier blanditiîs, persuasionibûs, aut quocumque aliô motivô seducta, invitîs iîs, à quibus pendet, raptorem volens sequitur: prior vocatur *raptus in feminam*, posterior, *raptus in parentes.*

Certum est raptum violentiæ esse impedimentum dirimens; sed controvertitur, idemne dicendum sit de raptu seductionis, seu *subornationis.*

Negant passim extranei. 1mo. Quia finis Trid. is unicè fuit, ut libertati conjugiorum provideretur: porrò stat tota Matrimonii libertas, cùm mulier volens abducitur. 2do. Quia in raptu seductionis nihil est vitii præter injuriam illatam parentibus, sinè quorum consensu initur Matrim. atqui Matrim. à filiis contracta, absque parentum consensu non sunt invalida, ut definiit Trid.

Oppositum tenent communiter Galli; quibus etiam subscribunt M. Paulus Leo, R. Pœnitentiarius & Corradus. Hæc opinio, quæ in universis penè Galliis obtinet, tutior est, cùm validitati Sacramenti consulat, & ad minùs tam probabilis quàm opposita.

Prob. autem 1mo. quia cum Synodus Trid. raptũ impedimentis annumeravit, voluit & novum inducere impedimentum, & antiquis Imperatorum contra raptores sanctionibus robur pristinum restituere: atqui neutrum fieri potuit, nisi raptu subornationis inter impedimenta constitutô. Nam 1mo. non induxit sancta Synodus novum impedimentum, si solo violentiæ raptu Matrimonia dirimi voluerit; cùm omni tempore, vis quæ libertatem aufert, Matrimonium perimere judicata sit. 2do. Nec aliter potuit eadem Synodus collapsas Christianorum Imperatorum Constitutiones renovare: iîs enim disertè præceptum est, ut *qui rapiunt feminas, vel furantur, vel seducunt; eas nullatenus habeant uxores*; verba sunt tum Caroli magni tum Justiniani.

Prob. 2do. quia voluit sapiens Concilium id avertere, quod in raptu deterius est, & Matrimonii sanctitati magis injuriosum: atqui talis est juncta transvectioni puellæ seductio. Plerumque enim multò faciliùs resistitur violentiæ apertæ, quæ cor abalienat, quàm insidiosis persuasionibus, blanditiis, iisque, ut loquuntur jura, *odiosis artibus*, quibus sensim frangitur virtus junioris personæ. Et verò quantùm voluntati puellæ inurere vulnus debuit seductor, ut faceret *eam velle in tantum dedecus se prodere*, L. 1. Cod. *De raptu.*

Prob. 3tio. Consuetudo nihil habens mali, modò sit legitimè præscripta, impedimentum dirimens inducere potest; idque si verum sit de consuetudine unius Diœcesis, quanto magis de

de consuetudine totius cujusdam Regni: atqui Galliæ consuetudo raptum seductionis inter impedimenta dirimentia penè ubique reposuit, &c.

Nec nocent alterius opinionis momenta. Unde ad. 1. neg. min. voluntas enim *incantata dolò & illecebris*, quæ nemo auferre potest, non est satis sui compos, ut plenam habeat libertatem, sed plus ligatur, quàm si metu devincta esset, prout ait Albertus magnus: atqui ubi intervenit raptus seductionis, &c.

Ad 2. nego maj. seductio enim, etsi gravem parentibus injuriam facit, at non solis; cùm etiam personæ seductæ & raptæ libertatem multùm imminuat, & vetet nè seriò perpendat gravitatem contractûs, quem init, & quem sæpè detestaretur, si sibi, suisque reddita, rem totam tranquilliori animo ponderaret.

Ceterùm seductionis raptus non habet locum nisi in puellis aut filiis minoribus, seu necdum natis annos 25. quæ enim majores sunt, non censentur patriæ potestati subjectæ, sed sui juris. Ad eum etiam præter seductionem requiritur, tum vera puellæ extractio è loco tuto; tum ut ipsa sit bonis moribus. Etsi enim raptus violentiæ in muliere viciatâ locum habere potest: at non raptus seductionis in eâdem præsumetur, sed nova peccandi libido, nisi crimen exosa, saniorem agendi rationem iniisset.

Quæres. an raptus impedimentum stet, si mulier per vim filium minorem abduxerit. R. affirmat. contra Pontas; 1mo. quia Synodus Trid. impedimentum hoc constituit, ut Matrimoniorum libertati consuleret: atqui hæc libertas perinde aufertur, si femina rapiat virum, ac si vir feminam. 2do. Quia alia Matrimonii impedimenta, uti criminis, metûs, honestatis publicæ, viros æquè ac feminas efficiunt. 3tio. quia ex Jure sub masculino sexu venit etiam femineus; saltèm in correlativis, & ubi eadem militat ratio: atqui vir & femina in rebus Matrimonii, sunt duo correlativa, &c.

Impedimentum raptûs nec perpetuum est, sicut alia impedimenta, nec ut eadem dispensatione finitur; sed cùm * *rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit.* Antè tamen quàm raptor raptam ducat, excommunicationis, quam *ipso jure* incurrit, absolutionem sibi procurare debet. Censuram hanc non esse reservatam evidenter probat Sanchez L. 7. d. 13.

§. III.

* Trid.

## §. III. *De impedimentis prohibentibus.*

Impedimentum prohibens tantùm, est illud quod impedit nè Matrimonium licitè contrahatur, non autem nè contrahatur validè. Quatuor tantùm supersunt hujus generis impedimenta sequenti versu expressa.

*Ecclesiæ vetitum, feriæ, sponsalia, votum.*

Per *Ecclesiæ vetitum* intelligitur 1mo. Prohibitio ab Episcopo, vel à Parocho facta cuipiam nè contrahat, donec v. g. perpensum fuerit, annon aliquô teneatur impedimentô. 2do. Excommunicationis & interdicti status: excommunicatio enim, etiam minor arcet à Matrimonio. Est quidem non nihil dubii, an idem efficiat interdictum; sed vel ipsa hujus dubii ratio ad superiorem recurrere compellit. 3tio. Omissio promulgationis bannorum, Matrimonio præmittendæ, nisi legitima adsit dispensatio.

Per *tempus feriatum*, intelligitur tempus, quo Ecclesia nuptias celebrari vètat, nimirum *ab Adventu usque in diem Epiphaniæ, & à feriâ quarta cinerum, usque in octavam Paschatis inclusivè.* Et verò Ecclesiæ mens est ut Fideles orationibus & pœnitentiæ intenti, voluptati, quantùm fieri potest, tunc temporis valedicant: porrò, ait S. Thomas in 4. dist. 32. q. unic. *ipsa nuptiarum novitas ad voluptatum curam animos occupat, illosque vanâ lætitiâ dissolvit.*

*Sponsalia* sunt futuri Matrimonii mutua promissio, acceptata, inter personas habiles. Cùm autem data fides, præsertim in re tanti momenti, regulariter servari debeat, qui post Sponsalia cum Clotilde Mariam ducit, graviter peccat, nisi legitimæ excusent causæ, de quibus c. 3.

Denique *votum simplex*, quô quis Ordinum susceptionem vel ingressum Religionis, vel abstinentiam seu à venereis, seu à conjugio vovit, obstat nè Matrimonium licitè ineatur. Si enim facta homini promissio servari debet, quantò plus quæ facta est DEO.

Hic not. eos, qui norunt aliquem impedimentô etiam simpliciter prohibente alligari, teneri ad faciendam Parocho revelationem ejus: quia Ecclesiæ, quæ cujuscumque impedimenti revelationem indistinctè præcipit, sinè gravi peccato resisti non potest, præsertim cùm avertenda est Sacramenti profanatio.

Quæres quis in impedimentis simpliciter prohibentibus dispensare queat: & quid hæc in Ordine ad redditionem debiti operentur in iis, qui iisdem ligati contraxerunt. Sit

REGULA

Regula I. Si impedimentum ſit ex tempore vel ex vetito, poteſt Epiſcopus diſpenſare. Si ſit ex Sponſalibus, nec ipſe poteſt, nec Papa. Si ſit ex voto, poteſt quandoque, quandoque non poteſt.

Prob. 1. pars, tum ex uſu, tum quia nullibi Epiſcopis inhibitum eſt, ut tempore *ſacrato* diſpenſent.

Quod ſpectat ad *vetitum*, poſſunt quoque in eo diſpenſare Epiſcopi, prohibitionem, ſive à ſemetipſis, ſive à Parocho factam tollendo: niſi hæc à Metropolitano aut ejus Officiali in caſu appellationis confirmata ſit; vel facta fuiſſet ob cauſam ſubſiſtentem. Quòd ſi per *vetitum* intelligatur tempus interdicti, poſſunt quoque Epiſcopi diſpenſare, quia in dubiis caſibus diſpenſare poſſunt: dubium autem eſt, an interdicti tempore Matrimonia celebrare prohibitum ſit. Si tandem *vetitum* oriatur ex excommunicatione, non poteſt Epiſcopus diſpenſare, niſi tollendo excommunicationem: à quâ, licèt quis etiam invitus abſolvi poſſit, nunquam tamen ſic abſolvi poteſt, ut Sacramenta licitè recipiat, niſi priùs pœnitentiam egerit.

Prob. 2. pars: Sponſalia legitima continent promiſſionem, quæ ſinè tertii præjudicio violari non poteſt: atqui nè ipſe quidem Papa permittere poteſt ut inferatur præjudicium tertio; ergo oportet ut partes reſiliant, aut habeant juſtam reſiliendi cauſam, quæ à Judice approbetur.

Prob. 3. pars, quia quorumdam votorum diſpenſatio Papæ reſervata eſt; quorumdam verò relaxatio ad Epiſcopos pertinet, ut alibi diximus.

Poteſt tamen Epiſcopus in voto caſtitatis alioqui Papæ reſervato diſpenſare, ſi id gravis & urgens cauſa exigat; ut ſi timeatur nè juvenis, qui ſub ſpe Matrimonii, puellâ voto caſtitatis adſtrictâ abuſus eſt, ab eâ, ut nunc conſentit, ducendâ, avertatur, niſi Matrimonium ſinè morâ celebretur. Ratio eſt, quia reſervatio alioqui & Eccleſiæ bono, & ſaluti animarum pernicioſa foret. Idem eſt ſi grave incontinentiæ vel ſcandali periculum immineat.

Regula II. Si impedimentum ſit ex tempore ſacrato, vel ex ſponſalibus, non peccat, qui conſummat Matrimonium; ſi ſit ex prohibitione Judicis Eccleſiaſtici, cenſent aliqui quòd peccet ſemper; ſi demum ſit ex voto ſimplici, peccat quoties petit debitum, vel primâ vice reddit.

Prob. 1. pars, quia licèt prohibitum ſit, nè quis in hiſce caſibus uxorem ducat, haud tamen prohibitum eſt, nè initum Matrimonium conſummet, etſi optandum eſt, ut eo tempore quantùm ſinè periculo fieri poteſt, abſtineatur ab opere conjugali.

Prob.

Prob, 2. pars, quia Matrimonii consummatio in hoc casu, videtur esse continuatio prioris contemptûs, quo contra Judicis Ecclesiastici prohibitionem initum est conjugium.

Prob. 3. pars, quia qui directè vel indirectè castitatem vovit, agit contra votum, quoties aliquid exigit oppositum castitati: non agit tamen contra votum, cùm reddit id quod debet, quia votum juri alieno præjudicare non potest: excipe cùm primâ vice reddit, quia adhuc penès eum est non reddere, cùm tunc possit ingredi Religionem, & castitatis votum adimplere. Non desunt tamen qui cum Sanche negent peccare eum, qui votâ simpliciter castitate, non exigit quidem, sed primâ etiam vice reddit debitum. Vide Tract. de dispensat. L. 2. part. 1. c. 3.

## §. IV. *De dispensatione impedimentorum.*

Quæres 1mo. quibus in impedimentis dispenset Papa. R. dispensat in impedimentis omnibus jure solùm positivo constitutis. Hæc verò quæ sint, liquet ex iis quæ de unoquoque dicta sunt.

Quæres 2do. an Romæ in eodem Tribunali dispensationes omnes concedantur. R. negat. cùm enim impedimenta sunt publica, recurritur ad Datariam. Cùm verò occulta, ad sacram Pœnitentiariam. Exceptîs tamen impedimentîs consanguinitatis, affinitatis ex copulâ licitâ, & cognationis spiritualis, in quibus, quantumcumque occulta sint, nunquam dispensat Pœnitentiaria *ad contrahendum*, licèt aliquando dispenset ad remanendum *in contracto*. Porrò impedimentum censetur occultum, cùm vel omninò secretum est, ità ut nullâ ratione probari valeat, vel si cognoscitur à tribus aut quatuor, nullum tamen est periculum, nè ulteriùs divulgetur. In Tribunali Pœnitentiariæ non exprimuntur vera dispensandorum nomina, sed ficta solùm, v. g. Caius, Bertha, vel literæ A. B. &c. neque nomen Diœcesis, neque gradus propinquior, nisì sit primus: secùs de Datariâ. Addo quòd nullæ in Pœnitentiariâ solvuntur expensæ, aut taxa, sed omnia gratis expediuntur.

Quæres 3tio. quid faciendum ut bona & legitima dispensatio obtineatur, non autem subreptitia, vel obreptitia. R. hæc in generali facienda esse, cùm agitur de Matr. contrahendo. 1mo. Impedimentum super quo petitur dispensatio, ritè & in suâ specie proponi debet, non unum pro alio, etiam majus pro minori, v. g. consanguinitas pro affinitate; quia in dispensatione non valet argumentum à minori ad majus. 2do.

exprimi

exprimi simul in unâ eâdemque supplicatione debent impedimenta omnia ad Matrimonium relativa, quibus tenentur ii, qui contrahere volunt. Quòd si impedimentum unum, consanguinitatis, v. g. publicum sit, aliud verò, putà criminis, occultum, tunc impedimentum publicum in Datariâ proponi debet, ad impetrandam pro externo foro dispensationem; utrumque verò tam publicum quàm occultum Pœnitentiariæ aperiri debet, ut examinet an & quâ conditione dispensare debeat. Etsi verò non interest an priùs pro foro exteriori in Datariâ petatur dispensatio, an pro interiori in Pœnitentiariâ; si tamen dispensatio obtentu difficilis videatur, existimem meliùs esse ut priùs ad Pœnitentiariam recurratur, nè inutilis & quidem non sinè multo sumptu obtineatur dispensatio à Datariâ. 3tio. Si copula in dispensationis causam allegetur ab oratoribus, exprimendum est an ab utroque vel ab uno habita fuerit sub spe dispensationis faciliùs obtinendæ; quod meritò cautum est, nè quis ex peccato commodum reportet.

R. 2do. Si dispensatio petatur post Matrimonium jam actu, sed invalidè contractum, quatuor necessariò sunt exprimenda, 1mo. An partes, (vel earum una, id enim omninò consulendum est in praxi) bonâ vel malâ fide contraxerint, nempè cùm notitiâ non quidem criminis, sed impedimenti ex eo profluentis. 2do. An contraxerint ex spe faciliùs impetrandæ dispensationis. 3tio. An etiam Matrim. consummaverint. 4to. An partes impedimenti nesciæ, clandestinè vel sinè præmissis denuntiationibus contraxerint: iis enim, qui in hoc casu versantur, dispensatio multò difficilius conceditur.

R. 3tio. Præter hæc quæ generalia sunt, quædam insuper circa unumquodque impedimentum in particulari exprimenda esse.

Circa consanguinitatem exprimi debet, 1mo. an sit in lineâ rectâ, an in transversali, & quotô utriusque gradu. 2do. An partes duplicî consanguinitatis vinculô conjunctæ sint, putà quia fratres duo duas sorores duxerunt; & à fortiori an non plura diversæ rationis habeant impedimenta. 3tio. Exprimendus est incestus seu copula cum consanguineâ antè Matrimonium notoriè habita, cum, vel sinè spe dispensationis faciliùs obtinendæ, etiam in casu quo alia legitima dispensationis obtinendæ causa affertur. Quòd si copula hæc remanserit occulta, erit hæc unà cum consanguinitate vel affinitate aperienda Pœnitentiariæ.

Sed quid si partes post dispensationem Romæ obtentam, commercium carnale habere incœperint? R. corruere illicò dispensationem à Datariâ obtentam, uti probant praxis

Romanæ Curiæ, & declaratio S. Congregationis Concilii Trident. interpretis: ergo (nisi Episcopus fruatur jure in his casibus dispensandi) obtinendæ sunt Litteræ quas vocant *perindè valere*.

Quòd si partes antè dispensationis petitionem copulam habuerint & expresserint, ac in idem scelus relabantur, valebit semper dispensatio, sive relabantur antè fulminationem dispensationis, quia necesse non est ut crimen exponatur quoad numerum: sive nonnisi post fulminationem, quia ità definiit S. Congregatio. Hæc responsio tota locum habet erga affines & alios, quos ad exprimendum incestum teneri diximus.

Circa affinitatem exprimi debent 1mo. gradus; 2do. vinculi multiplicitas, si adsit (putà si quis cum duabus illius quam ducere vult, consanguineis peccaverit) & quidem in eâdem supplicatione; 3tio. etiam gradus propinquior, si inæqualis sit graduum distantia; quia quod in consanguinitate servatur, idem etiam in affinitate servari postulant jura, Curiæ stylus, & communis Doctorum opinio; 4to. exprimi etiam debet an affinitas ex copulâ licitâ an ex illicitâ oriatur, cùm petitur dispensatio super primo vel secundo gradu; tum quia difficilius dispensatur super affinitate ex copulâ licitâ, quàm ex illicitâ; tum quia id necessarium est, ut intelligatur an cum affinitate concurrat honestas publica. Hæc enim, cùm semper annexa sit copulæ licitæ, tacitè exponitur, & tacitè dispensatur, eo ipso quo exprimitur affinitatem ex copulâ licitâ ortam. 5to. exprimendum etiam an affinitas sit in lineâ rectâ vel transversali, saltem si affinitas oriatur ex copulâ licita.

Circa honestatem publicam explicandum an ea oritur ex sponsalibus, an ex Matrimonio; & quo in gradu sint, qui contrahere volunt.

Circa cognationem spiritualem exprimendum est 1mo. an ea sit paternitas aut maternitas ex una parte, & proindè filiatio ex altera; an sit tantùm compaternitas, vel commaternitas: multò enim indecentius est Matrimonium inter patrem & filiam spiritualem, quàm inter compatrem & matrem ejusdem filiæ, &c. 2do. An cognatio spiritualis sit duplex: putà an qui Petri filiam levavit è fonte sacro, eandem, vel ejus fratrem aut sororem tenuerit in Confirmatione; an non itèm Petrus levaverit filios illius, qui filios suos levavit. Sed necesse non est exprimere, an quis plures ejusdem filios in Baptismo vel in Confirmatione susceperit, quia cognatio spiritualis non censetur hinc multiplicata, prout declaravit Clemens VIII. Censent etiam plures necessum non esse ut exprimatur, an cognatio spiritualis

ex

ex Baptiſmo, an ex Confirmatione oriatur; quia hæc nihil vel parùm rem mutant.

Circa criminis impedimentum exprimi debet, an ſit ex machinatione conjugis, an ex adulterio ſolo ſinè machinatione, an ex utroque ſimul; quia ſi ſit ex machinatione, nunquam diſpenſat Papa pro foro exteriori, raro autem pro interiore.

Quæres. 4to. quô ſtylô Romam ſcribendum ſit ad obtinendam diſpenſationem. R. Scribendum ſtylô ſimplici, & ſinè ullo verborum apparatu: alioqui enim ſupplicatio dilaceratur. Nihil autem intereſt an vernaculâ linguâ ſcribas, an latinâ, etſi hæc præferenda ſit. Porrò aliter inſcribendæ ſunt literæ quibus à Pœnitenciariâ, aliter eæ, quibus à Datariâ petitur diſpenſatio: ad obtinendam pro foro interno diſpenſationem, ſupplicationis inſcriptio fit ad Majorem Pœnitentiarium qui unus eſt è S. R. E. Cardinalibus, in hunc modum.

*Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario. Romam.*

Intùs autem his incipit verbis Epiſtola ſeu Supplicatio.

*Eminentiſſime & Reverendiſſime Domine.*

Tum proceditur ad impedimenti expoſitionem, circa quam not. quod ſi unus duntaxat conjugum ſit conſcius impedimenti ex delicto occulto, uti ſæpè fit; non ambo conjuges vel ſponſi plurali numero, ſed reus in ſingulari fictô nomine ſupplicat eîs fermè verbîs, quæ petitionem diſpenſationis ſuper impedimento affinitatis ante contractum Matrimonium continent, quæque aliis diſpenſationum ſupplicationibus accomodari facilè poſſunt.

*Eminentiſſime & Reverendiſſime Domine.*

*Exponitur humiliter Eminentiæ veſtræ pro parte devoti illius oratoris N.* (vel Titii, aut alterius fictô nomine expreſſi) *quòd poſtquam idem orator carnaliter cognovit Fabiam, poſteà ignarus impedimenti, bonâ fide* (vel conſcius impedimenti) *tractatum habuit de contrahendo Matrimonio cum ſorore dictæ Fabiæ; cùm autem dictum impedimentum ſit occultum, tractatus verò ſit publicus, & niſi ad effectum deducatur, ſcandala exinde veriſimiliter exoritura ſint, cupit orator ad vitanda ſcandala, & pro conſcientiæ ſuæ quiete de præmiſſis, de quibus ſummè dolet, abſolvi, & ſecum diſpenſari. Quare Eminentiæ veſtræ humiliter*

*ſupplicat*

*supplicat, ut super his de opportuno remedio authoritate Apostolicâ provideri dignetur.*

*Dignetur Eminentia vestra responsum dirigere N. ad me infrà scriptum.* Hîc exprimendum est nomen & cognomen illius, ad quem rescribendum est; nomen itèm oppidi vel civitatis ad quam vel per quam rescribendum est, & hæc quidem vulgari linguâ.

Nè autem, quod nunc rarius est, dispensationis executio committatur solùm Doctoribus in Theologiâ, vel Jure canonico: si neuter haberi facilè possit, debet orator precari, ut alii committatur executio dispensationis, hîs similibûsve verbîs: *Et quia in oratoris loco nullus reperitur Confessarius, in Theologiâ Magister, vel Canonum Doctor, vel alius ad exequendum privilegiatus, dignetur Eminentia vestra providere & disponere, ut etiam alius exequi valeat;* præsertim Parochus, aut etiam simplex Confessarius, cui pænitens suam aperuit conscientiam, vel cui majorem haberet aperiendi fiduciam. Hæc facultas ad Confessarium etiam non Doctorem recurrendi facilè conceditur in casibus, qui parùm habent difficultatis, & feminis præsertim. Religiosi Mendicantes, Jesuitæ, etiamsi Doctores non sint, Brevia Pœnitentiariæ exequi possunt, ut & Presbyteri Congregationis Missionis.

En aliam Supplicationis methodum breviorem.

*Eminentissime & Reverendissime Domine.*

*Titius N. Laicus, conscius* (vel *ignarus*) *impedimenti, contraxit in facie Ecclesiæ Matrimonium cum muliere cujus matrem* vel *filiam*, vel *sororem priùs carnaliter cognovit; quare cùm absque scandalo separari non possint, & impedimentum sit occultum, humillimè supplicat pro absolutionis & dispensationis remedio. Dignetur, &c.* Æquum porrò & moris est ut solvatur Epistolæ *Portus*, Hic notand. dispensationes à Datariâ, vel, ut fieri solet, Bancariorum-Expeditionariorum ministeriô in Galliâ obtinendas esse, vel ab iis, solutô pretiô, verificandas.

Si partes in formâ pauperum dispensari velint, Parochus eorum pauperitatis fidem facere debet apud Episcopum, ejusve Vicarium generalem, qui eam ad S. Sedem hîs verbîs transmittat.

*Nos .... Illustrissimi ac Reverendissimi N. Episcopi N. Vicarius generalis vel Officialis Fidem facimus & attestamur Joannem N. & Luciam N. hujus N. Diæcesis, adeò pauperes & miserabiles existere quòd ex labore & industriâ suâ tantùm vivunt; prout*

*ex fide Parochi, aliorumque fide dignorum testimonio nobis constare fecerunt: in cujus rei testimonium præsentes fieri facimus, manu nostrâ subscriptas, nostrôque sigillô munitas. Parisiis, die &c. anno, &c.*

## §. V. *De executione dispensationis.*

Dispensatio vel est à Pœnitentiariâ, vel à Datariâ. Prima executores habet Confessarios; secunda Episcopum, ejusve Vicarios generales. De primâ hîc dicimus. Ea porrò exteriùs his inscribitur verbis: *Discreto viro N. Confessario, Theologiæ Magistro* (vel *Decretorum Doctori*) *ex approbatis ab Ordinario, per latorem*, vel *latricem Pœnitentem eligendo, ad intra scripta specialiter deputato.*

Intùs verò explicatur & impedimentum, & ejusdem relaxandi ratio. Quod ut distinctiùs intelligatur, duo proponemus exempla aliud quidem dispensationis ad contrahendum, aliud verò dispensationis ad manendum in contracto. Prius hoc habebit ut plurimùm:

*Lucius, miseratione divinâ Episcopus N. S. R. E. Cardinalis N. Discreto viro Confessori .... Salutem in Domino Ex parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat quòd ipse de Matrimonio contrahendo tractavit cum muliere, quam, & cujus matrem carnaliter cognovit. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, dicta carnalis cognitio, cum præfatâ mulieris matre sit occulta; & nisi lator cum dictâ muliere Matrimonium contrahat, periculum immineat scandalorum; ideò ad dicta scandala evitanda, & pro suæ conscientiæ quiete, cupit per Sedem Apostol. absolvi, secumque dispensari. Nos discretioni tuæ committimus, quatenùs, si est ita, dictum latorem, auditâ priùs ejus sacramentali Confessione, ac sublatâ occasione amplius peccandi cum dictâ mulieris matre, ab incestu & excessibus hujusmodi absolvas hâc vice in formâ Ecclesiæ consuetâ; injunctâ ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentiâ salutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda. Demùm, dummodò impedimentum ex præmissis proveniens occultum sit, & aliud canonicum non obstet, cùm eodem latore, quòd præmissis non obstantibus Matrimonium cum dictâ muliere, & uterque inter se publicè, servatâ formâ Concilii Trid. contrahere, & in eo postmodùm remanere licitè valeat, misericorditer dispenses, prolem suscipiendam exinde legitimam pronuntiando in foro conscientiæ, & in ipso actu sacramentalis confessionis tantùm & non aliter, neque ullo alio modo; ità quòd hujusmodi absolutio in foro judiciario nullatenus suffragetur. Nullis super*

*his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laceratis, quas sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ lacerare tenearis, neque eas alteri restituas: quòd si restitueris, nihil ei præsentes Litteræ suffragentur. Datum Romæ, &c.*

Posterius rescriptum ad remanendum in contracto ferè ejusdem erit tenoris; unde discrimina referre sufficiet.

*Lucius, &c. discreto viro, &c. Ex parte viri latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quòd ipse aliàs Matrimonium publicè in facie Ecclesiæ contraxit, & successivè consummavit cum muliere, cujus matrem anteà carnaliter cognoverat. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus lator ob impedimentum ex præmissis proveniens, quod occultum est, in dicto Matrimonio remanere nequeat absque Sedis Apostolicæ dispensatione, ad evitanda scandala, quæ, si divortium fieret inter se & prædictam mulierem, exorirentur, cupit à præmissis, de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Nos igitur .... discretioni tuæ committimus, quatenus, si ità est, dictum latorem auditâ priùs, &c. à quibusvis sententiis, censuris & pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, incestu & excessibus hujusmodi absolvas .... injunctâ ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentiâ salutari, ac confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum, & aliis injunctis quæ de jure fuerint injungenda. Demum, dummodò impedimentum præfatum occultum sit, & separatio inter latorem & dictam mulierem fieri non possit absque scandalo, & ex cohabitatione de incontinentiâ probabiliter timendum sit, aliudque canonicum non obstet, cum eodem latore, ut dictâ muliere de nullitate prioris consensûs certioratâ, sed ità cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem muliere, & uterque inter se de novo secretè ad evitanda scandala, prædictis non obstantibus contrahere, & in eo postmodum remanere, licitè valeat, misericorditer dispenses; prolem susceptam, si quæ sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiæ, &c.* ut suprà.

In dispensationibus aut commutationibus votorum simplicium castitatis aut Religionis, quæ quis vel transgrederetur, vel jam transgressus est Matrimonium contrahendo, peculiares quædam clausulæ adduntur in hunc modum.

*Nos discretioni tuæ committimus, quatenus si est ità, dictum latorem, &c. absolvas, injunctâ ei pœnitentiâ salutari, sibique votum præfatum ad hoc tantùm ut Matrimonium legitimè contrahere, & in eo debitum conjugale exigere & reddere licitè valeat, in sacramentalem confessionem semel quolibet mense, & in aliâ*

*pœnitentiæ opera perpetua per te injungenda, inter quæ ſint etiam aliqua Religionis quam ingreſſurus fuiſſet, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut ea adimplens meminiſſe ſemper poſſit obligationis, quâ hujuſmodi voto adſtringebatur, prout ſecundùm Deum ipſius animæ ſaluti expedire judicaveris, diſpenſando commutes, in foro conſcientiæ tantùm, &c.*

Antequam eas prædictorum Reſcriptorum partes explicemus quæ aliquid difficultatis habent, præmittenda eſt expoſitio breviaturarum communium, quæ in litteris ſacræ Pœnitentiariæ apponi ſolent.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Aa | anima | magro | magiſtro |
| Ab. | Abbas | miraone | miſeratione |
| abs. abſne | abſolutione | mir. | miſericorditer |
| alr | aliter | | |
| als | alias | nulltũs | nullatenus |
| Aplica | Apoſtolica | | |
| appbatis | approbatis | ordio | ordinario |
| | | orx | oratrix |
| Capel. | Capella | | |
| Cardilis | Cardinalis | Pp | Papa |
| canice | canonice | Pr | Pater |
| cen. | cenſuris | Pontũs | Pontificatus |
| ci. | civis | ptus | prædictus |
| cla | clauſula | ptur | præfertur |
| cog. le. | cognatio legalis | pntium | præſentium |
| coione | communione | Pbricida | Presbytericida |
| | | pœnia | pœnitentia |
| diſcreoni | diſcretioni | pœniaria | Pœnitentiaria |
| | | poe | poſſe |
| Eccle. | Eccleſiæ | pror | procurator |
| effus | effectus | | |
| exit | exiſtit | qtnus | quatenus |
| Ecclis | Eccleſiaſticis | qumlbt. | quomodolibet |
| | | qd | quod |
| fr | frater | | |
| frum | fratrum | relãri | regulari |
| | | relione | religione |
| gnrali | generali | Roma | Romana |
| humoi | hujuſmodi | ſaluri | ſalutari |
| humilr | humiliter | ſentia | ſententia |
| | | ſpealr | ſpecialiter |
| infraptum | infraſcriptum | ſupplioni | ſupplicationi |
| irregulte | irregularitate | | |
| intropta | introſcripta | tn | tamen |
| | | tm | tantum |
| lla | licentia | Thia | Theologia |
| ltima | legitima | tli | tituli |
| lræ | litteræ | venebli | venerabili |
| lite | licite | vræ | veſtræ |

Nunc

Nunc enucleandæ clausulæ à Confessariis in executione Rescripti observandæ.

*Discreto viro Doctori*, &c. Non ergo sufficit, ut quis sit vel Licentiatus in Theologiâ aut Jure canonico, vel utriusque Professor, vel Doctor in Jure civili: vel ut reipsâ doctus sit, vel ex errore communi Doctor existimetur, vel ut Magister in Religione suâ appelletur, nisi verè ad Magisterii seu Doctoratûs gradum in Universitate aliquâ evectus sit: unde in his casibus dispensatio suo frustraretur effectu. * Excipiuntur ab hâc regulâ PP. Societatis, & Religiosi Mendicantes, & qui per participationem *privilegiis eorum fruuntur*. Itèm & simplices Confessarii, qui executionem dispensationis sibi delegari precati sunt & obtinuerunt. Si Litteræ aperiantur ab eo qui Doctor non sit, non ideò carent effectu, modò a Doctore etiam indocto executioni mandentur.

*Ex approbatis ab Ordinario*. Unde Doctor qui actu approbatus non est, licèt aliàs vel alibi approbatus fuerit, dispensationem exequi non potest. Si rescriptum sit in favorem Religiosi, sufficit, ut Confessarius ab eo eligendus, sit aprobatus à Superiore Ordinis sui. Si agatur de Moniali, debet hæc eligere Confessarium ex approbatis pro Monialibus. Circa quod notat Tib. Navar. pag. 15. *Hujusmodi commissiones aliquando committi Confessariis ex approbatis ab Ordinario, etiamsi non sint approbati pro Monialibus*, nimirùm *ut Moniales habeant libertatem confitendi cuilibet*. Verùm multò decentius & tutius est, ut quis specialem ad audiendas Moniales approbationem postulet ab Ordinario; quam quidem ad breve tempus & generatim efflagitabit, nè quid nascatur suspicionis.

Jam interiores rescripti clausulas interpretemur, quæ seriò pensari debent.

Prima est ista hæc: *quatenus si ità est*; circa quod notandum est, Confessarium teneri sub gravi peccato scrutari, an impedimentum quod Pœnitentiariæ propositum est, occultum sit; & an ex dispensationis denegatione oritura sint incommoda, quæ alioqui secutura esse declaravit orator; uno verbo, an preces veritate nitantur, & an à parte rei subsistat causa finalis, quæ Pœnitentiariam movet ad dispensandum, & quâ seclusa non dispensaret. Utique non semper sufficiunt, quæ primâ fronte sufficere videntur: unde ei qui, ut à castitatis voto liberaretur, exposuit se *stimulis carnis adeò agitari, ut continenter vivere posse non speret*, non sufficit sola tentatio, nisi adeò gravis sit, ut immineat probabile lapsûs periculum.



* Hæc scribens audio Brevia Pœnitentiariæ nunc non dirigi ad solos Doctores.

Quædam hîc moventur dubia. 1mo. An quis sinè examine dispensationem validè exequatur. 2do. An si Confessarius cui præsentatum est rescriptum dispensationis, idem judicet subreptitium, possit alius adiri, qui contra sentiat. 3tio. Cui credendum sit cùm verificandum est, an preces veritate nitantur.

R. ad 1. 1mo. Certum est: si facti veritas Confessario nota sit, non opus est examine. 2do. si Confessarius veritatis nescius sinè prævio examine dispenset, censet Sanchez, L. 8. *dis.* 24. n. 25. etiam positâ facti veritate, invalidam esse dispensationem: quia, inquit, verba hæc, *si ità esse per diligentem examinationem inveneris*, inducunt formam quâ minimè observatâ corruit tota commissionis validitas. Aliud est, teste eodem, ibid. n. 26. si simpliciter diceretur, *Dispensa, si ità est.* Ex quo colligo valere hodiè dispensationes sinè examine, non tamen sinè facti veritate, concessas; quia nunc usus est, ut solùm scribatur, *si ità est*, vel *si preces veritate nitantur;* & id docet Paulus Leo. Graviter tamen peccat, qui serium veritatis facti examen culpatè omittit, cùm super hoc conscientia ejus à Pontifice oneretur.

R. ad 2. Licitum esse pœnitenti ab uno Confessario ad alium currere, modò non eo fine ut laxiorem inveniat, aut eruditum minùs, qui libidini suæ faveat. Potest etiam Confessarius, re propiùs expensâ, à priori suâ opinione recedere. At non est officii ejus, ut expendat an expositio Papæ facta verè sufficiat ad obtinendam dispensationem, sed tantùm an res eo se habeant modo, quo Pontifici expositæ fuerunt.

R. ad 3. Credendum esse Pœnitentis assertioni, cùm in foro Pœnitentiæ adhiberi non possint testes, nec ullus confici processus judicialis, prout ejusdem Pœnitentiariæ Rescriptum declarat. Quòd si Confessarius aliunde norit rem non ità esse ut exposita est, non debet dispensationem exequi, quidquid in contrarium asserat Pœnitens, nisi fortè id ex alterius confessione resciérit.

Secunda clausula hæc est, *audita priùs ejus sacramentali confessione:* unde necesse est, ut lator peccata, saltèm ea quæ à postremâ confessione commisit, deponat apud Confessarium Rescripti executorem; idque verum est, etiamsi dispensatio concederetur in materiâ, quæ nullum Pœnitentis delictum supponit, putà in irregularitate orta ex defectu natalium. Haud tamen necesse est ut vel mortalia, vel ea quæ citra materiam dispensationis commisit peccata, confiteatur, si hæc jam apud alium vel eumdem Confessarium depòsuerit: qui enim venialia solùm habens, venialia deponit, prædictam clausulam adimplet.

Tertia clausula est *sublata occasione peccandi, &c.* Quæ verba demonstrant Pœnitentem non ante absolvendum, vel dispensandum esse, quàm abstulerit occasionem peccandi, voluntariam quidem, de facto; necessariam autem, animo & corde.

Quarta clausula est, *injuncta ei .... gravi pœnitentiâ;* quæ, quamvis à Confessarii discretione & personarum statu dependeat, posset tamen esse jejunium per sex menses, semel qualibet hebdomada; recitatio tertiæ partis Rosarii per tres menses, ter qualibet hebdomadâ; vel aliud pietatis opus arbitrio Confessarii imponendum, frequens præsertim confessio, meditatio & similia quæ cor potentiùs afficiunt; consideratis semper statu, qualitate, sexu, & ætate Pœnitentis; & advertendo quòd pœnitentia sit tam prudenter imposita, ut nusquam Pœnitentis delictum detegi possit. Si Pœnitens in aliis confessionibus jam anteà ritè factis, pœnitentiam crimini propter quod dispensari voluit, parem recepit & executus est, erit hujus præviæ satisfactionis habenda ratio: unde Confessarius pœnitentias Brevi Romano præscriptas temperare debebit, sic tamen ut modum temperans, substantiam servet. Huic clausulæ aliam substituit Pœnitentiaria, cùm agitur de relaxatione voti, eaque his quæ retuli verbis continetur; *sibique votum præfatum ad hoc tantùm, &c.* quæ paulò fusiùs explicanda sunt.

1mo. Itaque monendi sunt Pœnitentes voti dispensationem nonnisi ad contrahendi Matrimonii effectum concedi, unde eò usque tenentur voto. Quaprópter, si in gravi incontinentiæ periculo versentur, hortandi sunt, ut uxorem ducant quàm primùm, nè interim multiplicentur voti transgressiones. Quòd si post nuptias adversùs castitatem conjugalem peccent, voti transgressores erunt, utpotè quod nonnisi in ordine ad usum Matrimonii relaxatum fuerit.

2do. Cùm dispensationi à Pœnitentiariâ concessæ annexa sit quædam species commutationis *in sacramentalem confessionem semel quolibet mense,* hoc menstruæ confessionis onus à Confessario pœnitenti imponendum est.

3tio. Cùm additur voti commutationem faciendam insuper esse *in alia pœnitentiæ opera,* necessum est, ut Confessarius, præter menstruam confessionem, alia Pœnitenti imponat pœnitentiæ opera, putà jejunium, aut abstinentiam ab ovis & lacticiniis feriâ sextâ, vel Sabbato; aut Officium aliquod, parvum, v. g. B. MARIÆ, itèm septem Psalmos, & similia. Cùm autem *alia hæc pœnitentiæ opera* plurali numero exprimantur, debent ad minùs esse duo; sed & duo sufficiunt, nè gravetur Pœnitens. Porrò hæc pietatis opera *tandiu duratura* sunt

ex Rescripto, *quandiu prædictæ commutationi locus erit.* Ex quibus sequitur 1mo. obligationem prædictorum operum ab ea solùm die incipere, quâ orator & contrahit & consummat matrimonium, quia non antè operatur dispensatio: 2do. sublato per mortem alterius conjugis commutationis usu, cessare singulas hujus pœnitentiæ partes, quia reviviscit obligatio voti: 3tio. id locum habere in dispensatione voti castitatis, non autem voti Religionis amplectendæ, quia votum castitatis, dissoluto per alterius mortem conjugio, reviviscit, non verò votum Religionis; cujus proinde relaxationi, utpotè perpetuæ, perpetua respondere debet pœnitentia.

410. Cùm adhuc præcipiatur, ut inter opera pietatis quædam *sint etiam quæ Pœnitens quotidie facere teneatur*, ut semper primævæ voti sui obligationis meminerit; evidens est, præter mox exposita pietatis opera, (quorum prima non sunt in perpetuum, secunda sunt quidem in perpetuum; vel potiùs quandiu commutationi locus erit, non tamen quotidiana) alia imponi debere quæ singulis diebus impleantur. Hæc autem & faciliora & utiliora præscribi debent, v. g. lectio quotidiana brevis, breve conscientiæ examen, oratio mentalis ad minus per quadrantem, aliquod charitatis opus in proximum, juxta vires, fortunas, & statum Pœnitentis. Cùm verò hæc imponet Confessarius, monebit Pœnitentem, ut dum ea exequetur, meminerit vinculi à quo dispensatus est, prout jubet sacra Pœnitentiaria.

Si dispensatio detur in voto Religionis, inter pœnitentiæ opera à Confessario præscribenda quædam esse *debent Religionis, quam* Pœnitens *ingressurus fuisset, & quæ quotidie facere teneatur* in memoriam voti. In hoc ordine sunt gestatio chordulæ Ordinis, recitatio quotidiana, & quintuplex Orationis Dominicæ, & Angelicæ Salutationis; item Litaniarum quæ in Ordine dicuntur, breve conscientiæ examen. Si dispensatus sit in sacris, habenda est ratio Officii ad quod jam tenetur: unde imponi ei potest commemoratio sancti Institutoris Religionis quam voverat, cum Litaniis Deiparæ, aut brevi conscientiæ examine. His addi possunt opera quædam hujusdem generis, sed haud quotidiana.

Quinta clausula est, *& aliis injunctis quæ de jure fuerint injungenda:* hæc clausula subauditur, etiam non expressa. Ejus scopus est, ut si Pœnitens in foro pœnitentiæ dispensandus, alia Confessario peccata declaret, ex quibus ad restitutionem alieni boni, denigratæ famæ reparationem, aliave similia teneatur, hæc ei præcipiantur à Confessore, præter speciales pœnitentias, de quibus modò actum est.

Sexta

Sexta clausula est, *dummodò impedimentum sit occultum*; & hæc est conditio sinè quâ non dispensat Pœnitentiaria, quæque, ait Navarr. p. 23. *semper est punctualiter observanda.* Unde si Confessarius ex Pœnitentis examine agnoscat factum esse *famosum vel manifestum*, *vel notorium facti vel juris*, ulterius ad executionem procedere non potest, & interim Pœnitentem monere debet, quid facto opus sit.

Septima clausula est, *aliudque canonicum impedimentum non obstet*: unde si partes alio impedimento, sive occulto, sive publico ligatæ sint, rursùs ad sacram Pœnitentiariam recurrendum erit; pro occulto quidem, ut ejus dispensatio, novâ prioris impedimenti mentione factâ, ab eadem Pœnitentiaria impetretur; pro publico autem, ut significetur eidem, partes impedimento hoc teneri, à quo per Datariam dispensari satagent: exigit enim Pœnitentiaria ut publicum, quo partes vinciuntur, impedimentum sibi patefiat; neque verò aliter judicare potest annon satiùs sit spem quamcumque dispensationis adimere.

Octava est, *cum eodem latore, quòd præmissis non obstantibus*; quibus indicatur Confessarium, non obstante præfato impedimento, & aliis quæ Pœnitentiariæ exposita sunt, ad executionis gratiam devenire posse.

Nona hæc est, *Matrimonium ..... servatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, & in eo remanere licitè valeant*; id est, præviis seu omissis de licentiâ Ordinarii denuntiationibus, coram Parocho & testibus contrahere, & Matrimonio uti, ac si nullo unquam impedimento ligati fuissent, adeò ut proles indè oritura pro legitima habenda sit.

Decima, *in foro conscientiæ & in ipso actu sacramentalis confessionis tantùm*, &c. quæ verba demonstrant forum conscientiæ de quo hic agitur, esse ipsum Pœnitentiæ Tribunal, extra quod gratia hæc à Confessario expediri non potest.

Undecima, *ità quòd hujusmodi absolutio & dispensatio in foro judiciali nullatenùs suffragentur.* Unde si fortè impedimentum ex occulto publicum fiat, & in judicium deducatur, gratia Pœnitentiariæ non proderit in foro fori, adeoque tunc ad Datariam recurrendum erit. Quanquam si Pœnitens maritali jure uteretur sinè scandalo, non peccaret, ut qui verè coram DEO dispensatus fuerit: cùm à Pœnitentiaria dispensari potuerit, quo tempore impedimentum erat occultum.

Duodecima, *sed præsentibus laceratis*, &c. Scilicet quàm primùm moraliter fieri poterit, eaque attentione, ut nec Rescriptum, nec delictum Pœnitentis cognosci possint.

Decima tertia, *neque eas latori restituas: quòd si restitueris, nihil ei præsentes Litteræ suffragentur*; id est nunquam ei in

exteriori foro suffragentur, quod tamen intendere videretur Pœnitens, qui has Literas sibi restitui vellet. Interim, etsi graviter peccat, & excommunicationem prædictis verbis latam incurrit Confessarius literarum restitutor, semper valet dispensatio ritè semel executioni mandata.

Eædem clausulæ iisdem ferè verbis repetuntur in Rescriptis ad remanendum in contracto, cum differentiis quibusdam hic breviter exponendis.

Prima est, *à quibusvis sententiis, censuris & pœnis*, quas scilicet Pœnitens, sive de jure communi, sive ex speciali locorum lege, ob incestûs crimen incurrit aut incurrere potuit.

Secunda est, *injunctâ ei ..... confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum:* unde per duos ad minùs menses prædicta confessio injungi debet, & meliùs ad sex menses injungitur.

Tertia est, *& separatio .... fieri non possit absque scandalo, & ex cohabitatione de incontinentiâ timendum sit.* Harumce clausularum verificatio Confessorem torquere non debet; cùm evidens sit personas, quæ palam pro legitimis conjugibus habentur, nec posse separari sine scandalo, nec secum invicem absq; gravi incontinentiæ periculo cohabitare.

Quarta est, *ut dictâ muliere de nullitate prioris consensûs certioratâ, &c.* De hâc difficili clausulâ superiùs dictum est.

Quinta est, *Matrimonium inter se de novo secretè .... præmissis non obstantibus contrahere;* id est, sinè Parocho & testibus; adeò tamen, ut Pœnitens non priùs in debiti redditionem consentiat, quàm præviam eo quo poterit meliori modo consensûs renovationem obtinuerit à parte impedimenti nesciâ: alioqui enim fornicaretur, tametsi à Rescripti gratiâ non excideret.

His omnibus maturè ponderatis & præstitis, Confessarius post datam in formâ solitâ absolutionem à censuris & peccatis, gratiam Apostolicam his exequetur verbis, mutato, ut evidens est, impedimentorum nomine.

*Et insuper authoritate Apostolicâ mihi specialiter delegatâ, dispenso tecum super impedimento primi* (seu *secundi*, seu *primi & secundi*) *gradûs ex copulâ illicita à te habita, cum sorore mulieris cum quâ contrahere intendis, proveniente; ut præfato impedimento non obstante, Matrimonium cum dicta muliere publicè, servatâ formâ Concilii Tridentini, contrahere, consummare, & in eo remanere licitè possis & valeas, In nomine Patris, &c.*

*Insuper eadem authoritate Apostolicâ prolem quam ex Matrimonio susceperis, legitimam fore nuntio & declaro. In nomine*

*mine Patris, &c. Passio Domini nostri, &c.* ut post finem consuetæ Confessionis.

Si dispensatio detur ad remanendum in contracto, forma hæc erit: *Et insuper..... dispenso tecum super impedimento primi affinitatis gradûs ex copulâ illicitâ quam cum sorore tuæ putatæ conjugis anteà habuisti, ut illo non obstante, renovato consensu cum præfatâ conjuge, Matrimonium cum illâ contrahere, &c. Et pariter eadem authoritate Apostolicâ prolem, si quam suscepisti & susceperis, legitimam fore decerno & declaro, &c.*

Si dispensatio sit à voto castitatis, dicitur: *Insuper.... tibi votum castitatis quod emisisti, ad effectum ut Matrimonium contrahere, & debitum conjugale reddere & exigere licitè possis, in opera quæ tibi præscripsi, dispensando commuto. In nomine, &c.* Eadem penè est forma dispensationis à Religionis voto in ordine ad Matrimonium: quòd si quis dispensatus sit, tantùm ut cœlibem vitam ducat, non dicitur *ad effectum contrahendi Matrimonium,* benè verò *effectum remanendi in sæculo in vita cœlibe.*

Si quis non obstante castitatis voto Matrimonium inierit, dicitur: *Itèm te, non obstante castitatis voto quod emisisti, & transgressus fuisti, in dicto Matrimonio remanere, & debitum conjugale reddere posse & debere declaro; & ut idem debitum etiam exigere licitè possis & valeas, tecum eadem authoritate Apostolica dispenso. In nomine Patris, &c.*

Ex his absolvendi formulis nemo est, qui congruas unicuique casui efformare non possit.

Quæres 1mo. Quid in impedimentis matrimonialibus possint Episcopi. R. 1mo. Summoperè cavendum esse nè dispensandi facultatem sibi arrogent, quibus hæc vel à Jure, vel à consuetudine denegata est: eæ enim dispensationes aut nullitatem aut incertitudinem causant Sacramenti: & tamen in re Sacramentaria unanimes docent Theologi non esse licitum quidquam incerti adhibere, cùm certi quid haberi potest. R. 2do. Episcopos in hâc materia totum id posse, quod sibi consuetudine legitimè præscripta, antiqua scilicet & pacifica, permissum est: unde nihil hic quod certum sit simul & generale statui potest, cùm ex Episcopis alii nunquam dispensent ab impedimentis publicis; alii & à publicis dispensent, sive in contracto, sive in contrahendo; alii dispensent cum pauperibus; alii & cum iis qui pauperes non sunt; alii in quarto simplici, alii in quarto mixto affinitatis & consagvinitatis gradu; alii vi indulti, alii ordinaria potestate. Quasdam tamen regulas è sanioribus Canonistis petitas hic proponam.

Regula I. Possunt Episcopi dispensare circa impedimentum

omne,

omne, quo post Matrimonium legitimè contractum aufertur debiti conjugalis exigendi potestas, ut est affinitas ex Baptismo, vel ex incestu; impositâ tamen pro gravitate incestûs pœnitentia, & procurato occasionis peccandi recessu.

Possunt etiam Mendicantes cum eo qui, non obstante castitatis voto, Matrimonium iniit & consummavit, dispensare ad effectum petendi debiti conjugalis; idem possunt Jesuitæ cum speciali Provincialis licentia. Neutri verò ad contrahendum dispensare possunt in eodem voto.

Regula II. Possunt Episcopi in contracto dispensare ab impedimentis dirimentibus, alioqui Papæ reservatis, cùm occurrunt sex sequentes circumstantiæ: 1mo. ut occultum sit impedimentum, Matrimonium verò publicum: 2do. ut Matrimonium bonâ fide, seu sinè prævia impedimenti notitia contractum fuerit: 3tio. ut fuerit consummatum: 4to. ut partes sine verisimili scandali periculo separari non possint: 5to. ut eædem partes præ inopiâ non possint recurrere ad Papam, ejusve Legatum: 6to. ut tale sit impedimentum in quo dispensatio à Papa dari consueverit.

Regula III. Possunt aliquando Episcopi, qui etiam ex Diœcesis suæ usu dispensandi facultatem non habent, ab impedimentis dirimentibus, modò occultis, dispensare ad contrahendum; 1mo. in casu dubii; 2do. in casu magnæ necessitatis.

1mo. Quidem in casu dubii: unde si is, qui contrahere vult, dubitet an commercium illicitum habuerit cum futuræ suæ consanguinea, poterit & tenebitur ad Episcopum recurrere. Idem est si dubitent saniores Theologi, an impedimentum in hoc vel illo casu contrahatur, necne. Ratio est, quia casus dubii, eo ipso, quo verè dubii sunt, Papæ non reservantur. Quòd si non præcisè dubia, sed multò probabilior foret impedimenti existentia, non sufficeret Episcopi dispensatio.

2do. In casu magnæ necessitatis, ut si rebus omnibus jam ad Matrimonium contrahendum præparatis, invitato parentum cœtu, assignata ad nuptias die admodùm propinquâ, puella ex confessione detegat se dirimenti impedimento irretitam esse, & nullâ præter Ordinarii dispensationem pateat via, quâ periculum gravis scandali, suspicionis, infamiæ, atque etiam inimicitiarum removeri possit. Ratio est, quia reservatio in casu tam urgenti non esset in ædificationem, sed potiùs in perniciem animarum. Sunt qui suadeant, ut sponsi in hoc casu emittant castitatis votum ad tempus, ideoque vel ab Episcopo, vel ex solo temporis lapsu dispensabile, & palàm dicant sibi propter votum hoc à Confessario præceptum esse, ut à Matrimonio abstineant; interim verò recurrant ad Papam pro sollicitandâ,

licitandâ, veri, quo ligantur impedimenti relaxatione. Hæc praxis aliquando inservire potest, ut si puella procul distet ab urbe Episcopali.

Quæres 2do. An si contrahentes è diversis sint Diœcesibus, unusquisque ab Episcopo cui subest, debeat dispensari. (Non loquor de dispensationibus Pontificiis, quæ quoad utrumque valent, quia par est in utriusque Diœcesis subditos Papæ authoritas.) R. affirm. Cum Samboyio, Babin. Gibert, &c. Ratio est, quia Episcopus Carnotensis potest quidem Diœcesani sui, non autem Diœcesani alterius vinculum tollere. Quòd si Episcopus alter in certo gradu, sive vi Indulti, sive ex more suæ Sedis dispensare valeat; alter verò id non possit, recurrendum est ad Papam.

# APPENDIX

## *De Indulgentiis.*

IN hoc Tractatu dogma quidem non prætermittam, sed praxi potissimùm inhærebo.

# CAPUT PRIMUM.

## *De Naturâ, divisione & effectu Indulgentiarum.*

INdulgentia definitur: *Remissio pœnæ temporalis, quæ post culpæ & pœnæ æternæ condonationem luenda superest; à legitimo Superiore extra Sacramentum concessa, per applicationem thesauri Ecclesiæ.* Dicitur 1mo. *remissio pœnæ temporalis*, (ejus scilicet quæ DEO debita est, non justitiæ humanæ) remissio enim pœnæ æternæ non fit per Indulgentiam, sed simul cum culpâ per Sacramentum Pœnitentiæ, in re, vel in voto. Dicitur 2do. pœnæ, *quæ post culpæ & pœnæ æternæ dimissionem luenda superest.* Dimisso enim peccato non semper tolli pœnam omnem, patet ex Tract. de Pœnitentiâ. Dicitur 3tio. extra Sacramentum concessa. Fit enim quidem in quolibet Sacramento ritè suscepto, atque etiam per Missæ Sacrificium, aliqua pœnæ remissio per applicationem satisfactionum Christi: At remissio hæc non est Indulgentia præ-

ſenti ſenſu intellecta. Aliunde Indulgentia nec Sacramentum eſt, nec Sacramentorum inſtar gratiam ſanctificantem infundit. Dicitur 4to. *à Superiore legitimo*, id eſt à Prælatis Eccleſiæ, de quibus infra. Dicitur 5to. *per applicationem theſauri Eccleſiæ*, ſeu per applicationem ſuperabundantium ſatisfactionum Chriſti vel Sanctorum.

Indulgentia dividitur 1mo. in plenariam ſeu totalem, quæ remittit totam pœnam temporalem debitam peccatis quoad culpam remiſſis; & partialem, quæ ſolùm remittit determinatam hujus pœnæ partem. Si quis tamen id tantùm debeat, quod per Indulgentiam relaxatur, hæc etſi de ſe partialis, per accidens reſpectu ipſius plenaria erit.

Indulgentia plenaria vocatur *plenior* & *pleniſſima*, quando ei magna annectuntur privilegia, putà abſolvendi à cenſuris, vel vota relaxandi: Indulgentia verò partialis, alia eſt quadragenæ, alia ſeptenæ, &c. prout tot remittit pœnas, quot per pænitentiam canonicam ejuſdem temporis decurſu peractam, remiſſæ fuiſſent. An Indulgentiæ quæ dicuntur *de pœnitentiis injunctis*, eas etiam pœnas remittant, quæ per Canones non infligebantur, an eas ſolùm, quæ pro certis criminibus conſtitutæ erant, diſputant Theologi. Nobis ad certiora properandum.

Dividitur 2do. Indulgentia in *temporalem*, quæ ad certum tempus, putà ad ſeptennium conceſſa eſt; *indefinitam*, quæ abſque temporis determinatione tribuitur; & *perpetuam*, quæ in perpetuum conceditur. Indulgentia ſinè determinatione temporis conceſſa eandem habet vim, ac quæ in perpetuum tribuitur; hæc autem quidquid contradicant Pontas & Tournely, non ad annos tantùm 20. aut 25. ſed in perpetuum durat, niſi revocetur. Ità pluries, ac demùm an. 1753. reſolvit Sacra Indulgentiarum Congregatio.

Dividitur 3tio. in localem, realem & perſonalem.

Localis ea eſt quam lucrantur, qui ſub conditionibus in Diplomate expreſſis, certum locum inviſunt.

Circa hæc not. 1mo. eandem Eccleſiam non poſſe ſimul geminâ indulgentiâ potiri; licèt piæ Confraternitates ſpecialem in loco jam communi Indulgentiâ donato, Indulgentiam obtinere poſſint; 2do. non perire Indulgentiam, ſi Eccleſia per partes tantùm deſtruatur, atque reædificetur; ſecus ſi omninò concidat, nec reædificetur. Etſi autem cenſent aliqui ſubſiſtere Indulgentiam, ſi Eccleſia in eodem loco reædificetur, multò tutiùs eſt, ut novæ Indulgentiæ obtineantur; 3tio. ad Indulgentiæ localis lucrum ſufficere, ut quis oret præ foribus Eccleſiæ quam ingredi non poteſt, niſi Bullæ verba expreſsè

requirant ingressum in Ecclesiam, vel actionem quæ sinè hoc ingressu fieri non potest, putà communionem in tali Ecclesiâ, aut visitationem quinque Altarium, &c. Hæc autem visitatio altarium, cùm debeat esse sensibilis, aliquam ad ipsa requirit corporis aut capitis conversionem.

Indulgentia realis est ea, quæ annexa est quibusdam rebus piis, putà cruci *medaliis*, Rosariis, &c. & conceditur Fidelibus, qui res easdem devotè gestant, sub conditionibus in Indulto expressis. Circa hanc not. 1mo. re moraliter destructa, ità ut nec eamdem formam gerat, nec eadem res esse in æstimatione communi censeatur, perire Indulgentiam, 2do. hanc ex adverso perseverare, si res ità priorem formam retineat, ut pro eadem moraliter habeatur. Unde qui funiculum funiculo, vel pauca grana deperditis substituit numero minori, non excidit à jure Indulgentiæ; 3tio. ad lucrum Indulgentiæ realis necessum sæpius esse, ut rem deferamus nobiscum, juxta tenorem privilegii; 4to. neminem posse lucrari Indulgentiam utendo re alteri ad Indulgentiam concessa, quia Indulgentia, licèt realis, ordinem dicit ad personas, quibus res sacræ distribuuntur.

Indulgentia personalis ea est, quæ conceditur immediatè personis, seu in individuo, seu in communi, non tamen omnibus generatim, sed tali v. g. Sodalitio vel Confraternitati adscriptis; sive hi Clerici sint, sive Regulares: & hi omnes ubicùmque fuerint, indulgentiam per opera præscripta, seu sani, seu in articulo mortis lucrari possunt, secundùm tenorem Bullæ.

Jam, ut evolvatur definitio nostra, exponendi sunt Indulgentiæ effectus. Et quidem in primis constat, Indulgentiam non conferre remissionem peccati; tum quia Ecclesia non solvit actualia peccata, nisi per modum judicii: Indulgentiæ autem non conceduntur per modum judicii; tum quia omnes formulæ Indulgentiarum semper declarant per has compensari satisfactionem in pœnitentibus contritis vel confessis. Ergo præsupponunt ad earum effectum requiri, ut jam ablatum sit peccatum, seu per confessionem, seu per contritionem. Hinc Pontifices, si quando fortè in Bullis dixerunt, se absolvere à culpa vel peccato, intelligendi sunt de pœnâ peccatis debitâ; (quia peccatum non raròsumitur pro pœna peccati; ut cùm Christus *pro nobis peccatum* factus esse dicitur, 2. Cor. 5.) non autem de ipso peccati reatu; nisi dispositivè, quatenus multam ejus remissionis obtinendæ facilitatam procurant; tum plures Confassarios offerendo; tum & removendo non paucos obices, putà qui nascuntur ex casibus reservatis, &c. Sit jam

CONCLUSIO

Conclusio. I. Indulgentia pœnam canonicam remittendo, consequenter verè & coram Deo remittit pœnam Purgatorii: quo autem in gradu, soli Deo notum est.

Prob 1. pars: quia condonatio quam incestuoso fecit Apostolus, 2. Corinth. 2. non minùs efficax fuit, quàm si à Christo ipso facta esset: cùm facta sit Christi authoritate, seu *in persona Christi*. Atqui condonatio à Christo ipso facta, in foro Dei rata fuisset & efficax.

Prob. 2do. prosunt defunctis Indulgentiæ, ut infrà dicam. Atqui non prosunt eis, nisi quoad solutionem pœnæ in foro Dei debitæ.

Prob. 3tio. tum ex Sixto IV. qui in Constitutione, *Licet ea*, proscripsit istam Petri Oxoniensis thesim: *R. Pontifex Purgatorii pœnam remittere non potest.* Tum ex Leone X. qui hunc Lutheri Articulum n. 14. perstrinxit: *Indulgentiæ his, qui eas veraciter consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud justitiam divinam.*

Prob. 2. pars contra eos, qui tot Purgatorii dies vel annos per Indulgentiam remitti credunt, quot in Bullâ Indulgentiæ exprimuntur. Prob. inquam, Indulgentia quadragenæ eas solùm pœnas remittit, quarum quis obtinuisset remissionem, canonicam per dies 40. pœnitentiam obeundo. Atqui prorsus incertum est, an per pœnitentiam hanc obtinuisset remissionem pœnæ in Purgatorio per dies 40. subeundæ, Nec dubium est quin è duobus qui æquè rei eandem pœnitentiam præstant, multò plus veniæ obtineat, qui hanc jugi studio decurrit, quàm qui segniter exequitur. Ergo *inscrutabilis judicii est* definire quoto in gradu operetur Indulgentia. Sed unum id scire refert, eò plus pœnæ remissum iri, quò major fuerit Pœnitentis, aut Indulgentiam lucrantis devotio. Unde tritum: *Valent Indulgentiæ quantùm sonant, modò nec clavis erret, nec Fidelis deficiat.*

Conclusio. II. Indulgentiæ viventibus applicantur per modum solutionis simul & absolutionis judiciariæ; defunctis autem per modum meræ solutionis, sive per modum suffragii.

Ut intelligatur Conclusio, prænot. Indulgentias per modum absolutionis judiciariæ applicari, quando Ecclesia, virtute clavium immediatè & moraliter Fidelibus sibi actu subditis applicat Christi satisfactiones, quibus solvant pœnas temporales pro peccatis suis debitas. Contra verò Indulgentiæ applicantur per modum suffragii, & solutionis meræ, quando Ecclesia satisfactiones Christi thesauro suo virtute clavium extractas, offert Deo in satisfactionem pœnarum justitiæ divinæ debitarum, pro illis qui non ampliùs subjacent jurisdictioni ipsius. Unde Pontifex

sex quoad vivos se habet instar viri, qui debitoribus in propri ejusdem carcere inclusis dat in manu pecuniam, unde se rediment: quoad defunctos verò, instar viri, qui extraneos in alieno carcere inclusos juvare volens, nec suam ad eos pecuniam immediatè transferre valens, quia id non sinunt leges loci, eandem hujus carceris domino offert, ut eos ab ergastulo misericorditer eruere dignetur. Jam

Prob. 1. pars: Ut Indulgentiæ vivis applicentur per modum solutionis simul & absolutionis juridicæ; duo sufficiunt, 1mo. ut Ecclesia Indulgentias largiendo, solvat debita Fidelium, quibus eædem applicantur: 2do. ut debita hæc non solvat simpliciter, sed solvat, subditos suos juridicè absolvendo. Atqui 1mo. Ecclesia per Indulgentias solvit Fidelium suorum debita. Quæ enim in locum satisfactionis à Fidelibus debitæ offert infinitas Christi ipsius satisfactiones, hæc utique non gratis relaxat debita suorum, sed abundantissimè persolvit. Atqui Ecclesia in locum satisfactionis .... Ecclesia enim in dispensatione thesauri sibi commissi non se habet ut domina, quæ pro arbitrio absolvat, sed ut judex, Christi judicis personam sustinens. Atqui judex quà talis debet justitiæ jura servare illæsa. Ergo quod unâ ex parte dimittit, ex aliâ compensare debet solvendo ad minus æquivalenter.

2do. Ecclesia Fidelium debita solvit absolvendo. 1mo. Quia potestas Ecclesiæ quantùm ad Indulgentias his nititur Christi verbis: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis*. Atqui verba hæc juridicam absolutionem important. Unde Martinus V. plenariam Indulgentiam tribuens in Concilio Constantiensi, dicit se *absolutionem plenariam* concedere. 2do. Quia Indulgentia vivis concessa non valet, nisi concedatur subditis. Ergo requirit, ut concedens in eos quibus concedit, jurisdictionem habeat. Atqui jurisdictio hæc non est necessaria, nisi ad absolvendum juridicè. 3tio. Quia Indulgentiæ eo distinguuntur à suffragiis, quod hæc privatâ authoritate fieri possint, non illæ. Ergo Indulgentiæ vivis concessæ, sunt absolutiones.

Prob. 2. pars. Ad absolutionem requiritur jurisdictio in eum qui absolvitur. Atqui Ecclesia nullam habet jurisdictionem in defunctos, ut qui jam solius Dei foro subjaceant.

Obj. contra 1. part. Ad absolutionem Judiciariam prærequiritur causæ cognitio. Atqui Indulgentia hanc causæ cognitionem non requirit. Unde datur in communi iis omnibus, qui hoc vel illud fecerint. R. dist. maj. Ad absolutionem judiciariam, quæ datur in particulari, secundùm allegata, requiritur causæ cognitio, C. Ad absolutionem generalem, & conditionatè tantùm datam, subdist. Requiritur cognitio generalis

ralis causæ, C. Cognitio in specie; N. Absolutio particularis seu *ab homine* particularem causæ cognitionem requirit, ut patet in absolutione sacramentali à peccatis. Verùm absolutio communis, seu *à jure*, communem tantùm causæ notitiam requirit: hæc autem nunquam deest. Novit enim Ecclesia Fideles suos summâ Dei Indulgentiâ indigere: Etsi investigare debet, an hic & nunc Indulgentiæ thesauros aperire expediat.

Obj. contra 2. part. Falsum est quòd defuncti jam Ecclesiæ jurisdictioni non subsint. Ecclesia enim mortuos aliquando excommunicat, aliquando solvit ab excommunicatione. R. ad. 1. neg. ant. quod sensui Ecclesiæ repugnat. Dum enim Pontifices in gratiam defunctorum Indulgentias largiuntur, hanc penè semper adhibent clausulam, *per modum suffragii*. Imò cùm Joannes Angeli thesim hanc emisisset: *Animæ in Purgatorio detentæ sunt de jurisdictione Papæ*, S. Facultas Parisiensis eam reprobavit ut *suspectam*, *scandalosam*, *& nullatenus publicè prædicandum*.

Ad 2. dico Ecclesiam nec mortuos percutere censuris, nec à censuris solvere directè & quoad ipsos, sed quoad viventes, quibus declarat vel errore facti damnatum fuisse innocentem, vel eodem errore absolutum reum.

Gravior est quæstio, an Indulgentia eximat ab operibus pœnitentiæ, non canonicæ, quæ jam obsolevit; non etiam illius quæ ad jubilæi lucrum requiritur; nec demùm medicinalis, quæ à futuris lapsibus præservat; sed illius quæ communiter in peccati pœnam injungi solet. Duplex autem est eâ de re opinio. Alii, præsertim veteres, pœnitentem ab omni pœnali pœnitentiâ, per Indulgentiam eò usque eximi opinantur, ut hanc ei deesse tutò posse existiment. Ità Suares, Lugo, Navarrus, Sylvius, & Habert ipse, qui tamen vult, ut nemo injunctæ sibi pœnitentiæ desit; quia nemo certus est, an Indulgentiam lucratus sit. De his quâ decet modestiâ, sit

Conclusio III. Indulgentiæ non eximunt à laboriosis pœnitentiæ operibus, quæ ad obtinendam cum Deo reconciliationem aliquando prærequiruntur.

Prob. 1mo. Indulgentia eximere non potest ab iis quæ ad ejus consecutionem ex natura rei prærequiruntur. Atqui ad Indulgentiæ consecutionem prærequiritur status gratiæ, & vera cum Deo reconciliatio; quæ potissimùm in peccatoribus crimini pridem addictis nonnisi per prævia laboriosæ pœnitentiæ opera impetrari solet. Minor constat 1mo. ex dictis in Tract. de Pœn. 2do. Ex agendi ratione Apostoli, qui 1. Corinth. 5. Incestuosum Corinthium, ut *spiritus* ejus *salvus* fieret *in die Domini*, addixit gravi Pœnitentiæ, quam non antè indulgenter relaxavit;

vit, quàm sceleſtus ille per annum totum eâ defunctus eſſet. 3tio. Ex S. Cypriano graviter eos redarguente, qui Libellaticis pacem & communionem ex voto Martyrum præproperè indulgebant. *Contra Evangelii vigorem*, ait Tract. de lapſis, *contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita & falſa pax, periculoſa dantibus & accipientibus nihil profutura.* Minus tamen quid ob Martyrum preces exigebat S. Doctor, quàm ceteroquin exegiſſet. Unde Epiſt. 10. *Peto*, inquit, alloquens Confeſſores qui Libellaticis veniam orabant, *ut eos, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim Libello*, &c. Ubi obſervanda verba hæc, *pœnitentiam ſatisfactioni proximam*, id eſt quæ ad æqualitatem pene accedat.

Prob. 2do. Quia contraria opinio plura inveheret abſurda: nempè 1mo. hodiernas Indulgentias veteribus longè diſſimiles fore; iſtæ enim, ut mox vidimus, gravem exigebant pænitentiam; noſtræ verò nullam, aut leviſſimam. 2do. Faciliùs in gratiam recipi, qui peccaverunt poſt Baptiſma, quam qui ante: Cùm his per Indulgentias ſuccurri non poſſit, illis poſſit facillimè; præſertim in urbibus, queis Indulgentiæ non deſunt. 3tio. Majorem fore vim Indulgentiarum, quàm Sacramenti Pœnitentiæ; cùm rarò contingat totam pœnam in iſto dimitti.

CONCLUSIO. IV. Indulgentia nunquam eximit à totâ pœnitentiâ per Confeſſarium injuncta. Etſi verò controvertitur an à parte ejus pœnali eximat, curandum in praxi, ut hæc tota impleatur.

Prob. 1. pars: Ex Trid. Seſſ. 14. c. 8. Confeſſarius pœnitenti ſatisfactionem injungere tenetur, tum *ad peccatorum vindictam, tum ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum.* Atqui nulla eſt in terris poteſtas, quæ à poſtremâ hac diſpenſare valeat; præſertim cùm major ſit pœnitentiæ ut medicinalis neceſſitas, quàm ut ſimpliciter afflictivæ. Et verò quis ob Indulgentiam permittere auſit, ut tabernam ebrioſus, amaſiam impudicus, pro more ſuo inviſat. Meritò igitur Suarez: *Quia Indulgentia nec moderatur paſſiones, nec pravam conſuetudinem ſeu habitum remittit, non obſtante Indulgentiâ manet eadem obligatio applicandi medicinam præſervativam: in quo etiam Doctores conveniunt.*

Prob. 2. pars. 1mo. Quia cùm quæſtio hæc in opinione poſita ſit, pars quæ Sacramenti integritati magis conſulit, præferri debet; cùm præcipuè ſinè gravi incommodo præferri poteſt. Porrò Sacramenti integritati conſulit, qui injunctam ſibi in ſacro Tribunali pœnitentiam exequitur 2do. Quia non poteſt quis à ſacramentali ſatisfactione immunis eſſe, niſi pro-

ut certus est se Indulgentiam totam lucratum esse. Id autem certò constare non potest, & ei multò minus, qui parcus in Deum, pœnitentiam vulgò satis modicam omittit. 3tio. Quia ut Indulgentia tota percipiatur, necesse est, ut nec Fidelis deficiat, nec clavis erret; atqui plerumque deficit fidelis & fieri potest ut clavis erret; licèt id minimè sit præsumendum. Ergo cùm debitor tandiu debito teneatur, quandiu illud solutum esse non probat; pœnitens, non obstante Indulgentiâ, pœnitentiam injunctam exequi debet. 4to. Quia Pontifices rebus maturè expensis, hanc Jubilaribus diplomatibus clausulam apponunt. *Injunctâ salutari pœnitentia.* Ergo non debet præsumi eorum mentem esse ut ab eâ immunes sint qui Indulgentiam lucrari volunt.

Conclusio V. Indulgentiæ effectum suum pariunt, quo instanti consummatum est moraliter opus ad eas lucrandas præscriptum.

Prob. quia percipitur fructus Indulgentiæ, cùm ponitur conditio, cui annexa est Indulgentia. Atqui ponitur conditio hæc, cùm moraliter consummatum est opus, ad eam lucrandam necessarium; seu cum homo, peractô v. g. ut moris est, jejuniô, ad illud punctum devenit, ubi conscio Deo, jejunium minimè sit violaturus.

---

# CAPUT SECUNDUM.

## *An possit Ecclesia Indulgentias dispensare.*

INdulgentias negarunt Valdenses. Negavit & Lutherus, qui furens invidiâ, quòd Princeps Albertus, Moguntinus Archipræsul, Indulgentias, quas sub certa stipe, adversùs Turcas, & ad construendam D. Petri Basilicam insumendâ, concesserat. Leo X. in Saxoniâ prædicandas commisisset, non Augustinianis, ut moris erat, sed J. Tetzelio Dominicano, insurrexit primò in abusus qui graves erant; tum ipsam rei substantiam impugnavit eô, quô solebat furore. Sit

Conclusio. I. Ecclesia recepit â Christo potestatem Indulgentias conferendi.

Prob. 1mo. ex his Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni Cælorum: & quodcumque solveris super terram, erit solutum in Cælis.* Atqui generalis hæc promissio nullum, *quodcumque* sit, vinculi genus excipit. Ergo sicut ad peccata in Sacramento Pœnitentiæ quoad culpam remittenda extenditur; sic & extendi debet, si potest, ad remittendas extra idem Sacramentum pœnas peccati.

cari. Atqui ad has etiam potest extendi; tum quia non repugnat, quin superstites peccatorum pœnæ ex applicatis Christi passionibus abluantur; tum quia ex iisdem verbis semper collegit Ecclesia datam sibi esse potestatem solvendi vota, & juramenta; quæ ceteroquin divini juris sunt.

Prob. 2do. Potestas, quâ semper usa est Ecclesia, nonisi ab ipso Christo profluere potest; nec enim directa à Spiritu S. Ecclesia transilit fines suos. Atqui hac *indulgentiali* potestate semper, & ab ipsis primordiis usa est Ecclesia.

Prob. min 1mo. ex agendiratione Apostoli erga incestum Corinthium, quam totam refero ex II. Cor. 2. ubi sic. v. 6. & 7. *Sufficit illi*, incesto, *objurgatio quæ fit à pluribus; ita ut è contrario magis donetis & consolemini, nè forte abundantiori tristitiâ absorbeatur, qui ejusmodi est . . . Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in personâ Christi.* Atqui hic relaxat Apostolus pœnam peccati; non autem vel peccatum ipsum, quod ab absente non relaxatur; vel pænam excommunicationis; tum quia hæc sublata erat à Ministris Ecclesiæ Corinthiæ, secundùm id *cui aliquid donastis*, &c. tum quia utcumque dubitat Apostolus num aliquid donet: *Quod donavi*, inquit, *si quid* tamen *donavi*. Atqui non erat cur dubitaret an incestum solveret à censurâ, si solvere voluisset; esse verò poterat cur dubitaret, an eum à superstite delicti pœnâ solveret; quia dubium erat an pœnæ alicujus debitor maneret; qui crimen suum tam acri diluerat pœnitentia, ut verendum esset, *nè* tandem *abundantiori tristitiâ* absorberetur.

Prob. 2do. eadem minor ex usu Ecclesiæ, tum secundo, tum tertio sæculo. Tertullianus, L. 1. ad Martyres, c. 1. testatur Confessores carceribus detentos Indulgentias procurasse iis qui in persecutione lapsi erant. *Quam pacem*, inquit, *quidam in Ecclesiâ non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueverunt; & ideo eam etiam in vobis habere, & fovere, & custodire debetis, ut & aliis præstare possitis.*

Cyprianus aliquando quidem cum Martyribus disputavit, quoad Indulgentias; at non circa potestatem eas concedendi, sed duntaxat circa usum quem illegitimum credidit quoad eos, qui necdum pœnitentiam delictis suis penè parem egissent, quanquam & hos, si urgeat periculum mortis, in pace dimitti velit S. Doctor. *Qui*, ait Epist. 11. *libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi factâ, & manu eis in pænitentiam impositâ, cum pace à Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur.* Atqui

qui, per hos textus lapsi non tantùm liberabantur à pœnitentiis juxta Canones subeundis, uti docuit Petrus de Oſmá à Sixto IV. damnatus, sed & à pœnis divinæ justitiæ debitis solvebantur. 1mo. Quia ex Indulgentiis ad Martyrum preces concessis fiebat, ut lapsi Fideles *ad Dominum cum pace sibi à Martyribus* iisdem *promissâ* remitterentur. Porrò si Indulgentia hæc solùm ab Ecclesiæ pœnis exemisset, nedum ad Dominum misisset cum pace, nihil aliud ea fuisset, uti blasphemavit Lutherus, quàm *impiissima*, non *Papæ*, sed Martyrum *impostura*, *noxia Fidelibus*, *eosque in infernum deducens falsâ spe* consecutæ remissionis, quam per canonicas pœnitentias obtinuissent; nullatenus autem ex gratiâ Martyrum à Deo poterant consequi. 2do. Quia Tertullianus jam Montanista, ut Martyrum Indulgentias derideret, hæc Lutheri more eructabat: *Sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere quod pro magno fuerit consecutus.* Ergo tunc Ecclesiæ toti persuasum erat, ex Martyrum meritis *purgari* Fidelium delicta, Atqui non quantùm ad culpam, quæ nonnisi ex præviis pœnitentium actibus purgari potest. Ergo quoad pœnam; non exteriorem, quam obtinuisse non erat *pro magno* Martyribus, qui huic obnoxii non fuerant. Ergo interiorem & coram Deo.

Prob. 3tio. ex Conciliis pluribus quæ Indulgentiarum largitionem approbando, Catholicum de iis dogma necessariò approbaverunt. Sic Concilium Claromon. an. 1095. cui interfuerunt Archiepiscopi 13. tam Episcopi, quàm Abbates 205. approbavit datam Crucigeris Indulgentiam, quâ Urbanus II. iisdem *injunctas pro suis delictis pœnitentias* relaxabat: ità ut, aiebat Pontifex, *qui in verâ pœnitentiâ decesserint, & peccatorum indulgentiam, & fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros.* Concil. Later. an. 1116. Indulgentiam dierum 40. iis qui ad ipsum convenerant donatam, lubentissimè suscepit. Concilium Later. IV. generale, cui interfuerunt Episcopi 412. varios, qui circa Indulgentias prodierant, abusus emendavit. Abusus porrò testatur rem esse antiquissimam: Non enim irrepunt abusus, nisi in rebus quæ diu fuerant in usu. Denique Conc. Trident. Sess. 25. ità Indulgentiarum abusus reprobat, ut rei substantiam approbet, atque revereatur. Ex eo autem quòd hanc Conciliorum sibi adversantium authoritatem irrideant Pseudoreformati, non magis sequitur eam reipsà deridendam esse, quam quia Nicænum Ariani, Ephesinum Nestoriani, &c. dириderent, sequitur hæc contemptu digna fuisse. Moris est, ut qui in Tribunali quocumque causâ cecidit, Tribunal istud mordaci dente insectetur.

Prob.

Prob. 4to. Dogma miraculis indubiis confirmatum extra omnem dubii aleam positum esse debet. Atqui Indulgentiarum prædicationem à S. Bernardo factam Deus miraculis insignibus confirmavit; *quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret:* uti scribit Gaufridus, oculatus testis, & fatetur, qui Bernardi amicus non erat, Otho Frisingensis.

Obj. 1mo. Augustinus & alii Patres docent peccatum vel ab homine in præsenti vita puniri vel à Deo in futura. Atqui in hypothesi Indulgentiarum, neque homo peccatum suum puniret in hac vita; quia non punitur quod gratis condonatur: nec Deus in altera; quia non punitur quod remissum est. R. dist. maj. Supponunt peccatum puniri, nisi ab homine in præsenti vitâ puniatur, vel defectum humanæ satisfactionis compenset superabundans Christi aut Beatorum satisfactio, C. secus, N. Punitur hominis peccatum, donec satisfactione congrua expungatur. Verùm ubi meruit homo, ut satisfactioni suæ accedat satisfactio Christi, tunc peccatum ex aliquâ parte punitur, & ex aliquâ indulgenter relaxatur.

Inst. Pœna temporalis, quæ post remissam culpam luenda manet, divino jure debita est peccato. Sed quod lege divinâ peccato debitum est, ab homine condonari nequit. R. dist. min. Non potest condonari ab homine per propriam ejus virtutem, C. per potestatem utendi clavibus à Deo concessam Ecclesiæ, N. Et verò peccata remittit homo per claves; cùm scriptum sit Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo & eôdem jure potest à fortiori pœnam peccati, solvendo dimittere; cùm scriptum sit Matth. 16. *Quæcumque solveritis.* Nec inde gloriandum homini, cùm quidquid condonat, id, Apostoli exemplo, donet *in personâ Christi.* Ceterùm cui per Indulgentias dimittitur pœna, non absolvitur gratis, sed ex Christi satisfactionibus debitum solvit: Sicut verè solvit debita, qui hæc alieno ære sibi misericorditer dato persolvit.

Obj. 2do. Lex & Prophetæ non aliam peccatorum remissionem annuntiant, quam per Christum, cujus in sanguine mundamur. Atqui doctrina Indulgentiarum annuntiat nobis remissionem peccatorum per libellos supplices, ac merita Martyrum. Ergo doctrina hæc Legi & Prophetis contradicit. R. neg. min. quatenùs calumniosè supponit, libellos vel satisfactiones Martyrum per propriam & independentem à virtute Christi efficaciam concurrere ad satisfactiones nostras. Cum è contra doceamus Catholici cum B. Petro, Act. 4. *Non esse aliud nomen sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos,* quocumque modo *salvos fieri.* Annectimus quidem Sanctorum satisfactiones satis-

 factionibus

factionibus Christi; sed ut commendemus, tum omnipotentiam ejusdem Christi, qui ut amicos suos nimis honoraret, iis concessit unde sua & aliena debita utcumque redimerent; tum summam illam benignitatem, quâ, ut loquitur Ambrosius, L. 5. in Luc. c. 5. *Aliorum merito ignoscit aliis, & dum alios probat, aliis relaxat errata.*

Obj. 3tio. Si Ecclesiæ insit potestas Indulgentiarum, ea vel Ordinis erit, vel Jurisdictionis; & hæc rursum vel à solo Papâ, vel ab aliis exerceri poterit. Pro solutione sit

Conclusio II. Potentia largiendi Indulgentias, non est Ordinis, nec Ordinem prærequirit, sed est jurisdictionis.

Prob. 1. pars. Si potestas illa esset potestas Ordinis, posset Sacerdos quilibet vi Ordinationis suæ conferre Indulgentias. Atqui id nequidem potest Episcopus absque Episcopatu reali consecratus: quia neuter vi ordinationis solius quemquam ligare vel solvere potest. Cùm nemo ex sola Ordinis potestate subditos habeat: nullus autem, nisi subditos solvere possit.

Prob. 2. pars. quia Cardinales & alii non Sacerdotes ex Pontificis gratiâ Indulgentias largiuntur; quas etiam tribuit Papa electus, licèt necdum consecratus, sicut & absolvit à censuris. Ergo potestas Indulgentiarum nec est de se potestas Ordinis, nec Ordinem prærequirit. Oritur ea quidem à potestate clavium, sed inadæquatâ, qualem habere possunt etiam inferiores Ecclesiæ Ministri, qui ideò in juramentis & votis dispensare aliquando possunt.

Prob. 3. pars. Actus qui à Judice nonnisi in subditos exerceri potest, est de se actus jurisdictionis. Atqui Indulgentia nonnisi in subditos exerceri potest: ut patet ex c. 4. *de pœnit. & remisſion.* ubi consultus Alexander III. *An Indulgentiæ quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum, aliis prosint quàm his qui remittentibus subsunt*, respondet non prodesse, *eo quòd à non suo Judice ligari nullus valeat, vel absolvi.*

Conclusio. III. Potestas concedendi Indulgentias, tantùm residet in Episcopis, ac S. Pontifice, qui multò plus hac in parte potest, quàm Episcopi.

Prob. 1. pars. Potestas Indulgentiarum est actus jurisdictionis, ex virtute clavium dimanans. Atqui jurisdictio hæc primariis Ecclesiæ Pastoribus competit, iis nempè quibus jure quodam proprio competit solvere & ligare, oves Christi pascere, & regere Ecclesiam Dei.

Confirm. Indulgentiarum concessio est dispensatio boni communis, seu thesauri Ecclesiæ concessi. Atqui dispensatio boni

communis non privato cuilibet, sed iis solùm competit, qui Communitati præficiuntur.

Neque solùm potestatem hanc divino jure habent Episcopi, sed & vetare possunt nè ullæ in Diœcesibus suis, nisi de licentiâ suâ publicentur Indulgentiæ; prout statutum est in Conciliis Rothomag. an. 1581. Turonensi, an. 1583. & à Clero Gallicano, in Comitiis, anni 1625. Ratio est quia cavendum sit, nè Indulgentiæ apocryphæ pro genuinis exponantur; nève quæ generatim salubres sunt, contemptui, licèt iniquo, futuræ sint.

Prob. 2. pars, quia æquum erat, ut qui gregem totum, & cum populis Episcopos ipsos regit, in quacumque materiâ, (potissimùm verò in præsenti, quæ ipsum Christi thesaurum spectat,) plus quàm ceteri haberet authoritatis. Id autem de facto contigit. Namque Papa & *omnibus Christianis* Indulgentias tribuere potest, uti aiebat in Concilio Constantiensi Martinus V. & plenarias, datâ causâ, non rarò largitur. Contra, Episcopi, nec aliis quàm Diœcesanis suis beneficium hoc impendunt; nec illud tam amplè largiri ausint: Cum id vetuerit Concilium Lateran. IV. ob graves abusus qui irrepserant. Hâc occasione.

Quæres 1mo. an hæc potentiæ Episcopalis restrictio, locum habeat etiam in foro pœnitentiæ; ità ut Episcopus non possit, audita confessione pœnitentis, ampliorem ei tribuere Indulgentiam, quam quæ sibi à Concilio Lateranensi permissa fit, id est dierum 40. R. posse Episcopum opinionem sibi, ac pœnitentibus suis, magis faustam sequi. Si enim fortè potestatis suæ limites excedat, non valebit quidem Indulgentia quoad excessum, sed valebit quoad gradum jure permissum; quia in iis quæ dividi possunt, *utile per inutile non vitiatur.*

Quæres. 2do. An Episcopus antè consecrationem suam possit Indulgentias largiri. R. affir. modò sit confirmatus, & à suspensione immunis. Ratio est quià extunc fruitur potestate jurisdictionis. Unde & ope delegati conferre potest Indulgentias, quia potestas jurisdictionis de se habet, quod delegari possit; non tamen laico, quia laici de jure ab Ecclesiasticis muneribus excluduntur.

Quæres. 3tio. An Episcopus illam jurisdictionem extra territorium suum exercere possit. R. posse, non quidem erga incolas alienæ hujus Diœceseos, in quos nullam habet jurisdictionem; sed erga proprios subditos, sive hi in sua Diœcesi, sive in aliâ commorentur. Ratio est, tum quia jurisdictio voluntaria ab absente in absentem subditum exerceri potest; tum quia Episcopus Diœcesanum suum, ubicumque sit, sacramentaliter, aut etiam à cen-

 suris,

ſuris ſolvere poteſt. Quod autem Jura dicunt, neminem extra territorium jus dicere poſſe, id intelligendum de juriſdictione contentioſâ, quæ publicum tribunal requirit.

Quæres 4to. An Cathedrale Capitulum Indulgentias, ſede vacante largiri poſſit. R. unicuique ſequendam eſſe loci ſui conſvetudinem.

Quæres 5to. Quid in Indulgentiali materiâ poſſint Cardinales, Archidiaconi, Pœnitentiarii, & generales Vicarii. R. eos nihil poſſe jure ordinario: quia jus illud nec à Chriſto accepêre in perſonâ Apoſtolorum, quibus non ſuccedunt; nec generatim ab iis quibus à Chriſto creditum eſt. Ergo nihil in præſenti negotio poſſunt, niſi quod ex ſpeciali licentiâ, vel præſcriptâ conſuetudine, ſibi conceſſum fuerit. Idem dic de Abbatibus, ſecundùm id Concilii Later. IV. can. 60. *Prohibemus, nè quis Abbatum, ad talia (quæ ſunt dignitatis Epiſcopalis) ſe præſumat extendere, ſi proprium voluerit evitare periculum, niſi forſan quiſquam eorum ſpeciali conceſſione, vel alia legitimâ causâ,* conſuetudine videlicet, *valeat ſe tueri.* Hæc deciſio Superiores Religionum, & Parochos tangit; cùm his minùs quàm Abbatibus inſit *Epiſcopalis dignitas*, cui annexa eſt Indulgentiarum potentia.

---

## CAPUT TERTIUM.

### *De Theſauro, Indulgentiarum fonte.*

PEr Eccleſiæ theſaurum intelligitur cumulus bonorum ſpiritualium, quorum diſpenſatio Eccleſiæ concredita eſt. De theſauro iſto, qui exiſtit in inviſibilibus mentis divinæ ærariis, & Dei acceptatione; quæritur 1mo. an eſſentialiter coaleſcat ex meritis Chriſti; 2do. an ipſa Sanctorum merita ad theſaurum illum pertineant. Sit

Conclusio. I. Theſaurus Eccleſiæ primariò coaleſcit ex ſuperabundantibus Chriſti meritis atque ſatisfactionibus.

Prob. 1mo. Quia non eſt ditior fundus, unde coaleſcere poſſit theſaurus Eccleſiæ, quàm merita Chriſti, qui, teſte Paulo, 2. Cor. 8. *Propter vos, egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis.* Unde Clemen. VI. in extrav. *Unigenitus, De pænit.* &c. *In arâ Crucis immolatus Salvator, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani ſuffeciſſet; ſed copioſè velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe .... Quantum*

*tum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis & superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit? Quem quidem thesaurum per B. Petrum Cæli clavigerum, ejusque successores, commisit Fidelibus salubriter dispensandum.*

Prob. 2do. Si thesaurus Ecclesiæ non coalescat ex meritis Christi, vel quia hæc in se ipsis finita sint; vel quia licèt infinita supponantur, sufficiens præmium habuerunt: cùm propter ea exaltatus sit Christus, & habuerit *nomen quod est super omne nomen.* Atqui neutrum dici potest. Non 1. Constat enim merita Christi, non solùm ex acceptatione DEI infinita esse, sed ex se ipsis *propter unionem ad Verbum*, ut fusiùs probatur in Tract. de Incarnatione; alioqui enim Christus non fuisset per se redemptor perfectus, sed ex solâ DEI indulgentiâ. Non 2. 1mo. Quia nomen super omne nomen, quod Christo datum est, quantumcumque sit, cum infinito valore operum ejus comparari nequit. 2do. Quia si jam exhausta foret merces operum Christi, jam nec quidquam per ejus merita postulare, nec per ea remissionem peccatorum in Sacramentis aut ex Sacrificio consequi possemus; quæ omnia sunt absurda & hæretica.

CONCLUSIO II. Coalescit etiam thesaurus Ecclesiæ ex superefflüentibus Sanctorum omnium meritis atque satisfactionibus.

Prob. 1mo. ex cit. Clementis VI. Decretali, in quâ sic prosequitur: *Ad cujus thesauri cumulum B. Dei Genitricis, omniumque Electorum à primo justo, usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur: de cujus consumptione seu minutione non est formidandum,* &c. Atqui his Conclusio nostra disertè continetur.

Prob. 2do. Ut Ecclesiæ thesaurus ex ipsis Sanctorum satisfactionibus coalescat, tria sufficiunt, 1mo. ut Sancti multi satisfactiones multas habuerint, quibus non indigebant, 2do. ut probabile non sit eas otiosas manere; 3tio. ut proinde DEUS & ipsi Sancti nobis eas applicari velint. Atqui constat. 1mo. plures Sanctos satisfactiones habuisse plurimas, quibus non indigerent. Quis enim id neget seu de B. Virgine, quæ etsi ab omni labe immunis, tot, tamque acerba pertulit; seu de tot martyribus, qui à Baptismo recentes, proinde ab omni culpâ & pœna liberi, atrociora quæque supplicia perpessi sunt? 2do. Nec probabile est hujusmodi satisfactiones otiosas manere. DEUS enim nullam condigni meriti partem absque præmio relinquit. Ergo quæ uni superflua sunt, alteri indigenti applicare censendus est: præsertim si id exigant leges ab eo constitutæ, & id exoptent Sancti. Atqui 3tio. Utrumque istud meritò supponitur. Constat enim DEUM ex Sanctorum precibus moveri ad con-

donandas ipsis etiam impiis pœnas, quas promeruere. Sic pepercit rebellibus Israelitis propter Moysen servum suum, ipsi Sodomæ parciturus, si decem in eâ justos reperisset. Atque ea erat intima primævæ Ecclesiæ fides, cùm ad Martyrum vota debitas lapsis pœnas moderabatur. Quin & id utcumque exigit quæ a Deo instituta est *communio Sanctorum*. Per hanc enim efficitur, ut membra se invicem juvent, & quod ab uno perficitur, ad alium quodam jure, quantùm fieri potest, pertineat. Ergo nihil est, cur Sanctorum merita ab Ecclesiæ thesauro excludantur; est verò cur in eodem dicantur asservari, non ut quid essentiale, quasi absque iis non sufficiant merita Christi; sed ut secundarium aliquid, per quod Deus Sanctos suos honorari voluit.

Obj. 1mo. Opinio quæ satisfactiones Sanctorum coadunat Christi satisfactionibus, cedit in dedecus Christi. Annon enim indignum est, quod operi divino uniatur humanum? An plus recipit homo ex applicatis sibi Sanctorum satisfactionibus, quam ex solis Christi? R. ad 1. neg. ant. imò hinc insigniter commendatur Christi satisfactio, quæ tantæ fuerit virtutis, ut ipsis etiam hominum operibus vim tribuerit, non sibi tantùm, sed & fratribus suis opitulandi. Utique sufficit sola Christi satisfactio: at dignum erat, ut quò amicos suos honoraret, satisfactiones ipsorum ad pœnæ nostræ remissionem acceptaret, sicut Stephani preces ad conversionem Pauli. Sanè ad conversionem hanc sufficiebat gratia; & tamen in divinis consiliis decuit ut ad eam concurreret mortalis homo. Neque id mirum; cùm in hâc conservandâ rerum universitate Deus causis secundis utatur, non quidem ex indigentiâ, sed ex liberâ, imò & ex omnipotenti suâ voluntate. Unde

Absurdum non est 1mo. quòd operi divino annectatur humanum; cùm id quotidie fiat in naturali hominum ac brutorum conservatione; 2do. quòd quis ex Christi & Sanctorum satisfactionibus unitis plus recipiat, quàm ex solis Christi. Non quòd tantumdem à Christo solo dari non potuerit; sed quia quod per se daturus erat, in Sanctos suos referri voluit; præsertim cùm quidquid in ijs est boni, ab ipso dimanet.

Obj. 2do. Supponit assertio nostra esse quædam Sanctorum opera ipsis superflua: Atqui id falsum est: Cùm nullum sit opus Sanctorum, quod mercede sua careat, saltèm accidentali. R. dist. maj. supponit assertio quædam esse opera Sanctorum ipsis superflua, seu superabundantia in genere pœnæ & satisfactionis, C. in genere bonitatis & meriti, N. Fatemur nullum esse Sanctorum opus in genere meriti, quod eis ad mercedem quamcumque superfluum sit. At contendimus esse non paucas

Sanctorum

Sanctorum satisfactiones, quæ eis superfluentes sint ad remissionem pœnæ propriis peccatis debitæ; quia fieri potest, ut vel nullam hujusmodi pœnam meruerint, prout de B. Virgine tenet Ecclesia; vel si quam meruerint, certè multò minorem quàm quæ per pœnalia eorum opera compensari possit; secundùm illud Job. 6. *Utinam appenderentur peccata mea, & calamitas quam patior, in staterâ, quasi arena maris hæc gravior appareret.* Jam verò mirum fuerit, si excessus ille otiosus maneat, & nemini cedat in bonum; præsertim cum ejus applicatio Sanctis honorifica sit, & iis præmii *accidentalis* loco esse, queat.

# CAPUT QUARTUM.

## *De Indulgentiarum validitate, & usu.*

Vetus est apud Theologos effatum, *Indulgentias tantùm valere, quantùm sonant & prædicantur;* modo clavis non erret nec Fidelis deficiat. Videndum igitur quid in clavi requiratur, nè erret; vel in Fideli, nè deficiat.

### §. I. *De requisitis ad valorem Indulgentiæ.*

Conclusio. Ut Indulgentia licitè concedatur, requiritur causa, eaque Indulgentiæ gradui proportionata.

Prob. 1. pars. Potestas Indulgentiarum in ædificationem data est Ecclesiæ, non in destructionem. Atqui Indulgentiæ sinè causâ concessæ in destructionem & grave Ecclesiæ damnum vergerent; unde declaravit in Concilio Later. Innocentius III. *quòd per indiscretas & superfluas Indulgentias, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur.* Utique sicut desidiam, & facilitatem proruendi in vitia fovet intempestiva liberalitas; sic & Indulgentia citra causam concessa occasionem daret licentiùs peccandi, & *pœnitentialem satisfactionem* paulatim enervaret.

Prob. 2. pars. 1mo. ex locutione Pontificum, qui potestatem Indul. exerceri volunt *ex justis & rationabilibus causis*: justa porrò causa ea est, quæ cum boni distributione proportionem habet. 2do. Quia fidelis dispensator non solùm indiget causâ, sed & causâ æquali, si non secundùm quantitatem, certè secundùm proportionem. 3tio. quia tam dissonum est rationi pro causâ modicâ Indulgentiam magnam, quàm modicam pro causâ

nullâ largiri. Ergo si non valeat posterioris hujus concessio, nec valebit concessio prioris.

Obj. Si res ità sit. Fideles semper anxii erunt de valore, atque adeò de lucro Indulgentiæ. Atqui.

R. neg. maj. non enim erunt anxii 1mo. quoties causa effectui erit proportionata, quod sæpè contingit. 2do. Cùm causa, licèt de se impar, à Pontificibus tamen prudenter æstimatur sufficiens. Censent enim multi piè & probabiliter valere eo in casu Indulgentiam, quia id unum à dispensatore requiritur, ut secundùm prudentiæ regulas agat. 3tio. Nec anxii erunt, si causa evidenter improportionata sit: ( quod difficilè supponi potest ) quia tunc perspicua erit Indulgentiæ nullitas; non quidem ex omni parte, sed quantùm ad excessum: Indulgentia enim quæ deficiente causâ omnimodis pari, non valet ad totum, valet ad partem. 1mo. Quia Pontifex id saltèm quod potest, remittere intendit. 2do. Quia in divisibilibus *utile per inutile non vitiatur.* Præcipua ergo Fidelium anxietas hinc repetenda est, quòd raro opera sibi præscripta eo cordis fervore adimpleant, quô ad obtinendum effectum Indulgentiæ, eadem impleri necesse est.

Quæres. 1mo. an Indulgentia, quæ defectu causæ non sufficit ad pœnæ remissionem, valeat quoad absolutionem à censuris, commutationem voti, &c. R. affirmat. Quia quòd possit quis hunc aut illum absolvere à censuris, vel, existente legitimâ causâ, dispensare à voto, res est quæ à voluntate Pontificis omninò dependet. Et licèt hæc concedat in ordine ad Indulgentiam non tamen vult, ut Indulgentiæ valor sit conditio ad eorum valorem omninò necessaria, sed in utroque vult operari quantùm potest. Alioqui Fideles circa factam sibi votorum commutationem sæpius anxii forent; quia licèt de valore Indulgentiæ præsumere debeant, sciunt tamen nè ipsum quidem Papam de eo plenè certum esse. Quanquam vix fieri potest, ut Indulgentia quæ non valet ut plenaria, nequidem valeat ut aliquatenus partialis.

Quæres. 2do. quæ præcipuæ sint Indulgentias largiendi causæ. R. has esse præcipuè. Basilicarum extructionem & consecrationem, conversionem Infidelium, hæreseon extirpationem, devotionem Christianæ plebis erga Sanctos, & in Sedem Apostolicam, morbum corporibus, aut periculum animabus impendens; quæ posteriores causæ, licèt ut plurimùm privatæ sint, id tamen habent, quòd multùm commendent mansuetudinem Ecclesiæ, quæ membris suis tenerè compatitur.

Quæres 3tio. an Indulgentiæ causa, non solùm ex conferentis, sed & ex suscipientis parte, eidem debeat esse proportiona-

portionata. R. affirm. alioqui enim è duobus, quorum alter piè vixit, alter immania quæque scelera perpetravit, uterque per eadem planè opera, neque ferventiùs ab isto quàm ab illo facta, plenam consequeretur remissionem; quod absurdum est.

Quæres. 4to. quomodò cesset valor Indulgentiæ. R. cessare 1mo. cùm jam obtenta est, si pro unâ tantùm vice concessa sit. Porrò pro unâ vice concessa censetur, quæ tali diei affixa est. Quæ verò per totam octavam, propter populi concursum perduraret, singulis semel diebus percipi probabiliter posset, ut sentit Lugo. Ubi not. quòd juxtà Decretum S. Congregationis: *Translato Festo, in cujus die conceditur Indulgentia, non transfertur etiam Indulgentia, nisi ex concessione speciali.*

2do. Cessat per revocationem concedentis, successoris, aut Superioris; & hoc, etiamsi quis jam incœpisset facere opera ad Indulgentiæ hujus lucrum necessaria. Verùm docent Navarrus & alii, Indulgentiam subsistere, donec revocatio ejus moraliter pervenire potuerit ad locum, cui eadem concessa erat. Quòd si Indulgentia generaliter concessa pro tali determinatè loco revocetur, non ideo pro locis aliis revocabitur.

3tio. cessat per mortem concedentis, si concessa sit ad beneplacitum dantis; secus si data sit, ut solet, ad beneplacitum Sedis Apost. *quia Sedes ipsa non moritur.* Ità cap. 5. *De rescript.* in 6.

4to. Cessat ex parte subjecti cui conceditur per ejus ab Ecclesiâ præcisionem: excommunicati enim nullam in communibus Ecclesiæ bonis partem habent.

5to. Cessat ex parte rei cui annexa erat, per moralem ejus destructionem. Solet tamen concedi, ut si amittatur vel frangatur imago, granumve talem habens Indulgentiam, possit primâ vice granum aliud, vel alia imago in locum prioris cum eâdem Indulgentiâ substitui. Et tunc credit Lugo *non amplius priorem, sed posteriorem vigere Indulgentiam; quia verificata fuit conditio, ut posset ritè eligi secunda, nempè quòd prima fuisset amissa. Tutius tamen erit utramque retinere.*

6to. Cessat quandoque ad tempus Indulgentia propter concursum alterius celebrioris; uti contingit tempore Jubilæi.

## §. II. *De requisitis ad Indul. consecutionem.*

Constat 1mo. ad Indulgentiæ effectum prærequiri, ut quis charactere baptismali insignitus sit; neque enim à Pastore dispensari potest thesaurus, nisi iis, qui pertinent ad ovile. 2do. Indulgentiam iis tantùm prodesse, qui aliquando rationis usum

habuerint; quia reatum pœnæ temporalis non habent, qui nullum actuale peccatum, defectu rationis, commiserunt. Ut quis tamen Indulgentiæ effectum obtineat, non requiritur ut actu compos sit rationis. Qui enim Indulgentiæ intuitu jejunavit, fructum ejus assequetur; licèt dormiat, vel delirio laboret. Quæstio igitur est, num ad lucrandam Indulgentiam requiratur status gratiæ in fine operum ad eandem Indulgentiam præscriptorum; annon etiam requiratur in toto eorumdem operum decursu, &c. Sit

Conclusio I. Ad Indulgentiam lucrandam requiritur status gratiæ.

Prob. 1mo. Indulgentia est remissio pænæ temporalis peccato debitæ. Atqui pœna peccato debita remitti non potest quandiu manet peccatum; quia peccatum quandiu manet, suâ pœnâ dignum est. Hinc est quòd in Bullis Indulgentiæ conceduntur *contritis & confessis.* Et certè Participatio Indulgentiarum pertinet ad communionem Sanctorum in charitate fundatam. Ergo cùm per peccatum habituale tollatur hujusmodi communio, tolluntur & quæ in eâ fundantur Indulgentiæ.

Conclusio. II. Ut quis Indulgentiam consequatur, necesse non est, ut omnia ad eamdem præscripta exequatur in statu gratiæ, nisi id Pontificio diplomate expressum sit: sufficit ergo & requiritur, 1mo. ut omnia impleat animo verè pœnitenti; 2do. ut sit in statu gratiæ, cùm operum, quæ præscripta sunt, ultimum adimplet. Pleniùs tamen Indulgentiam lucrantur qui in statu gratiæ, vel ex vehementiori pœnitentiæ spiritu omnia præscripta exequuntur.

Prob. 1. pars, 1mo. ex multò communiori Theologorum sententiâ. 2do. Quia in Jubilæis præscribi solet, ut Romani Ecclesias visitent per dies 40. forenses verò per 15. Atqui, ait Sylvius, *moraliter fieri nequit ut omnes illæ visitationes passim fiant ab omnibus in statu gratiæ.*

Prob. 2. pars: Ad Indulgentiam requiritur opus, quod Deum moveat per modum intercessionis ad concedendum Indulgentiæ effectum. Atqui nullum opus, nisi vel in gratiâ fiat, vel saltèm animo pœnitenti, Deum movebit ad concedendam pœnæ remissionem, quæ per Indulgentias intenditur. Et verò quis concipiat, hominem qui in affectu ad peccatum perseverat, utcumque promereri remissionem pænæ eidem debitæ?

Prob. 3. pars: ex Conclusione I. ad Indulgentiæ lucrum requiritur status gratiæ. Atqui is non requiritur in decursu operum præscriptorum, ex Concl. II. Ergo requiritur saltèm in fine, quando vel lucranda est Indulgentia, vel ei renuntiandum.

Prob.

Prob. 4. pars: Indulgentiæ non efficaciùs operantur quoad remissionem pœnæ, quàm Sacramenta quoad effectus suos. Atqui hæc plus operantur in iis qui ea piè magis ac devotè recipiunt. Ergo.

Ex dictis colliges 1mo. Eum qui quædam ex operibus ad Indulgentiam præscriptis fecit cum affectu peccati mortalis, Indulgentiam non lucrari, nisi eadem iteret, vel in statu gratiæ, vel piè & religiosè. Quòd si hæc jam repeti non possint, in alia, quæ fieri valeant, mutanda erunt à Confessario. 2do. Rarum esse, ut Fidelis post lucratam quamcumque Indulgentiam ab omni post hanc vitam pœnâ immunis efficiatur; quia rarum est, ut omnem ad certas veniales culpas affectum deponat, proinde ut remissionem pœnæ iisdem debitæ obtinuerit. 3tio. Non tamen negligendas esse Indulgentias iis, qui se in virtutis viâ languidos esse animadvertunt; cum quas ex integro non lucrantur, aliquâ tamen ex parte percipiant, quæ pars longè superat opera, quæ ad Indulgentiæ lucrum fecerunt, vel quæ proprio nutu fecissent.

CONCLUSIO III. Ad Indulgentiam *contritis & confessis* propositam non requiritur confessio sacramentalis iis, qui nullam peccati mortalis conscientiam gerunt; nisi expresè requiratur ut pars operis injuncti.

Prob. 1. pars: Ut confessio in præsenti casu minimè requiri dicatur, sufficit, ut ea non requiratur à Pontifice, nisi ut dispositio ad statum gratiæ; quâ non egent qui vacant à mortalibus. Atqui confessio non ut pars operis, sed ut dispositio ad gratiam requiritur in præsenti casu. Prob. min. ex communi Doctorum sensu, qui ambiguas leges interpretatur. Sic enim cum Suare, docent Theologi *innumeri:* Porrò non sinerent Pontifices opinionem hanc ubique doceri cum magno Fidelium detrimento, si ab eorum mente aliena foret.

Prob. 2. pars: Quia si confessio requiratur ut pars præscriptorum operum, non minùs necessaria erit, quam opera quæcumque cetera. Porrò censebitur requiri ut pars eorumdem operum, quando non concedetur Indulgentia, nisi illis qui confessionem præmiserint.

CONCLUSIO IV. Opus Indulgentiale non potest per alium poni: nec prodest nisi integrè positum.

Prob. 1. pars: Quia facere, ut alius jejunet, vel preces fundat, non est jejunare vel precari. Ergo cùm Bulla præcipit ut jejunes vel ores, non sufficit, ut hæc per alium exequaris. Sufficit tamen ut per alium detur eleemosyna; quia hanc verè dat, qui de suo pauperi benefacit. Unde sicut Indulgentiæ expers est, qui pecuniam malè partam tribuit manu propriâ

sic &

ſic & ejus particeps efficitur, qui ſuam largitur per famulum.

Prob. 2. pars: Quia Indulgentia non conceditur diviſibiliter pro partibus operis, ſed indiſibiliter pro toto opere. Unde qui dimidium operis ad Indulgentiam præſcripti exhibet, non lucratur dimidium Indulgentiæ, niſi hæc etiam iis conceſſa ſit, qui certam, ſed totam operis partem implent; putà qui tali die Veſperis interſunt. Tunc enim pars quælibet ſpectatur ut totum reſpectu operantis. Ut ſolvantur nonnullæ difficultates.

Quæres 1mo. An qui opera ad Indulgentiam præſcripta tempore deſignato exequi non poteſt, eadem alio tempore exequi poſſit. R. Poſſe, ſi opera hæc certæ diei affixa non ſint, ut aliquando jejunium, vel eleemoſyna: tunc enim à prudenti Confeſſario commutari, vel in aliud tempus differri poſſunt.

Quæres 2do. An poſſit quis uno & eodem actu lucrari plures Indulgentias; an, v. g. qui habet grana duo benedicta diverſis benedictionibus, quorum cuique conceſſum eſt, ut, recitatis ſemel Litaniis, anni unius Indulgentiam præſtet, duos Indulgentiæ annos lucretur, ſemel Litanias recitando. R. neg. Quia auctâ Indulgentiâ neceſſum eſt augeri cauſam; præſertim cùm cauſa vix de ſe ad Indulgentiam ſimplicem ſufficiens videtur.

Quæres 3tio. An poſſit quis eodem tempore lucrari diverſas Indulgentias, partiales ſcilicet (plenaria enim una, ſi integrè percipiatur, idem facit quod plures) per actus diſtinctos, qui eodem tempore poni valeant: an v. g. qui *Saluti* intereſt, & Roſarium recitat, ſimul Indulgentiam quæ ſaluti huic annexa eſt, & quæ annexa eſt recitationi Roſarii, recipiat. R. negat. 1mo. quia ſi quis audiendo Miſſam, & ſimul Officium ſuum recitando, duplicem Indulgentiam percipiat, eò plus quiſque lucrabitur, quò minus perfectè aget. Siquidem aget perfectiùs, nè quid ultra dicam, qui ſuum Miſſæ tempus, ſuum & Breviario ſpeciale aſſignat; 2do. cùm Eccleſia iis qui Miſſæ vel *Saluti* interſunt, Indulgentiam tribuit, iis ſanè, qui piè & Religiosè interſunt. Ergo & iis qui pias fundunt preces, ſeu Roſarii eæ ſint, ſeu aliæ quas voluerint. Ergo qui per *Salutis* tempus Roſarium recitat, eligit quidem è multis precibus unam, vi cujus Indulgentiam *Saluti* annexam promereatur; ſed nihil facit, unde novam Indulgentiam lucrari poſſit. Hinc nec ad Indulgentiam ſufficere videtur opus aliunde præceptum, putà recitatio Breviarii, vel adimpletio pœnitentiæ Sacramentalis, cùm Indulgentia pias preces requirit. Quia, extra particulares circumſtantias, cenſetur Pontifex ſtudium pietatis per opera ſupererogatoria promovere velle.

Quæres 4to. Qualis ad lucrandas Indulgentias requiratur intentio.

intentio. R. Quando bulla determinatam intentionem requirit, putà ut oretur pro concordiâ Principum, pro Hæreseon extirpatione, &c. ut minimùm requiri, ut oratio fiat *secundùm intentionem Ecclesiæ*. Imò curandum, sinè anxietate tamen, ut expressa, cùm fieri potest, habeatur intentio.

# CAPUT QUINTUM.

## *De Indulgentiarum subjecto.*

CONstat Indulgentias Fidelibus Ecclesiæ militantis per charitatem Christo conjunctis applicari posse; cùm & earum capaces sint, & Ecclesiæ Jurisdictioni subsint. Tota igitur difficultas est de Fidelibus defunctis. Sit

CONCLUSIO I. Indulgentiæ ipsis etiam mortuis prosunt, si in formâ earum dicatur ipsas etiam defunctis applicari posse.

Prob. 1mo. Ex Augustini regulâ Epist. 54. *Quod tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ità faciendum sit disputare insolentissimæ audaciæ est.* Atqui tota per orbem Ecclesia Indulgentiarum mortuis applicationem frequentat; ut liquet ex pluribus Sixti IV. Pii II. & aliorum Pontificum Decretis.

Prob. 2do. Ut Indulgentiæ defunctis proficiant, duo sufficiunt, 1mo. ut defuncti Fideles sint nobiscum ejusdem corporis mystici membra, per fidem & charitatem coadunata. 2do. Ut ejusdem corporis membra se invicem quâcumque possibili ratione adjuvare possint. Atqui 1mo. defuncti Fideles, &c. *Neque enim*, ait August. L. 20. de Civ. DEI, c. 9. *piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur. Cur enim pro eis ista fiunt*, seu offeruntur sacrificia, *nisi quia Fideles, etiam defuncti, ejus membra sunt?* 2do. Ejusdem corporis membra alia aliis opitulari possunt; cùm teste Apostolo, 1. Cor. 12. *Pro invicem solicita sint membra; ità ut si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra.* 3tiò. Constat etiam, posse viventes defunctis applicare Indulgentias: Non enim id magis repugnat, quàm repugnet viventes sua vivis aut defunctis suffragia, suas & satisfactiones applicare; quod quidem ultimum de facto fieri tota docet Ecclesia. *Non est* igitur *aliqua ratio*, ait ibid. S. Thomas, *quare Ecclesia possit transferre communia merita, quibus Indulgentiæ innituntur, in vivos & non in mortuos.*

Dixi in Conclusione, *si in forma*, &c. quia licèt Fidelis quilibet possit opus proprium offerre DEO per modum suffragi impetrato-

impetratorii, etiam pro defunctis, & sic pro illis satisfacere; nemo tamen Indulgentiam aliis applicare potest authoritate propria, sed tantùm ex intentione concedentis; quia privatus nemo dispensator est satisfactionum Christi & Sanctorum, sed is solùm cui thesauri communis dispensatio specialiter commissa est.

Conclusio II. Indulgentiæ non prosunt defunctis per modum absolutionis & judicii, sed per modum suffragii.

Prob. 1. pars. Quia defuncti non subsunt jurisdictioni Pontificis, cùm is nec eos citare possit, nec causas eorum dijudicare.

Prob. 2. pars. Quia Indulgentiæ nullâ aliâ quàm suffragii viâ defunctis communicari valent; non per viam judiciariæ absolutionis, ut modò dixi; non per modum meriti aut impetrationis; cùm Indulgentia, quà talis, nec sit meritoria, nec impetratoria. Ergo superest ut defunctis prosit *per modum suffragii satisfactorii, id est eo modo, quo suffragium satisfactorium prodest, scilicet per modum solutionis, nimirùm pœnas ab eis debitas solvendo de satisfactionibus Christi & Sanctorum, quæ à Pontifice offeruntur Deo in compensationem.*

Conclusio III. Indulgentiæ defunctis verisimiliter prosunt, non solùm ex libera Dei misericordia, proinde ex congruo; sed ex quâdam justitia, proinde ex condigno, nisi aliud exigat ratio divinæ justitiæ.

Prob. Ut Indulgentiæ defunctis prosint de condigno, duo sufficiunt. 1mo. Ut satisfactionem divinâ justitiâ dignam exhibeant; 2do ut veri admodum simile sit intervenisse divinam de satisfactionis hujus acceptatione promissionem: Atqui 1mo. Indulgentiæ satisfactionem divinâ justitiâ dignam exhibent; cùm ipsas Christi satisfactiones complectantur; 2do. Probabiliter & piè credi potest intervenisse certam acceptationis hujus promissionem, in ipsa scilicet quæ Petro facta est clavium promissione. Clavis enim, nisi errat, aut inepta est, id omne solvit, ad quod solvendum destinata est. Porrò non absurdè crediтur datas esse Petro claves, non quidem ut defunctos absolveret, sed ut iis viventium ope per Indulgentias mereretur. Siquidem per *solvendi* potestatem non absolutio tantùm judiciaria, sed & favor omnis vi potestatis hujusce concessus, intelligi aptissimè potest.

Obj. Si Indulgentiæ ex aliquali Dei justitiâ & infallibiliter prosint defunctis, ii semper per quascumque Indulgentias plenarias ab omni pœnâ solventur; unde jam pro iis orandum non erit. Absurdum consequens. R. neg. seq. maj. 1mo. Quia ex his quæ in opinione posita sunt, non est argumentandum

practicè

practicè potiſſimùm in rebus unde pendet animarum pœna, vel liberatio. Fatemur porrò cum Bellarmino opinionem noſtræ oppoſitam eſſe *rationabilem*, etſi noſtram, quam Idem uti *piam* habet, paulò veriſimiliorem eſſe conjicimus. 2do. Quia incertus eſt fervoris ac pietatis gradus, quo viventes Indulgentiam mortuis lucrantur; 3tio. Quia incertus quoque eſt gradus charitatis, in quo Fideles deceſſerint; & is tamen regula eſſe poteſt gradûs Indulgentiæ, quæ eis applicatur.

Et verò nihil foret abſurdi, ſi opinio noſtra ſuas, pro ſumma DEI æquitate, reſtrictiones pateretur, nè quis ſtatim à tota fermè pœna geminatis ſacrificiis & Indulgentiis ſolveretur. Atque hæc exceptio iis potiſſimùm timenda eſt, qui temporali vel ſpirituali in proximum miſericordiæ defuerunt; quod inferri poteſt, tum ex Parabola ſervi nequam, quem, quia in fratrem ſuum immiſericors fuiſſet, *tradidit Dominus tortoribus, quoad uſque redderet univerſum debitum*, Matth. 18. tum ex iis Marci 4. *in quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis.*

CONCLUSIO IV. Ut Indulgentiæ defunctis proſint, variæ requiruntur conditiones.

Prob. Inductione: 1mo. enim requiritur ex parte concedentis, ut à S. Pontifice conceſſæ ſint, quia ei ſoli tanta authoritas conceſſa eſt. Ità plures, quorum opinio, licèt fortè non indubia, in exteriori regimine præferenda eſt.

2do. Requiritur ex parte ejuſdem cauſa juſta; hæc enim ſi neceſſaria eſt, cùm agitur de viventibus, qui humano foro ſubjacent; quantò plus requiritur quoad defunctos, qui ad forum DEI ſpecialiter pertinent?

3tio. Requiritur ex parte viventium pia operis cujuſcumque ad Indulgentiam hanc præſcripti executio: unde his deficientibus, vel minùs religiosè poſitis Indulgentia ex toto, vel ex parte deficiet.

4to. Ex eorundem viventium parte requiritur ad *omninò tutius*, ſtatus gratiæ. Peccator enim non eſt idoneus, qui Chriſti ſatisfactiones DEO in aliorum gratiam offerat. Nec obeſt quod malus Sacerdos poſſit per Miſſæ Sacrificium remiſſionem pœnæ obtinere aliis, non autem ſibi; quia in Sacrificio occurrit victima per ſe ipſam intercedens, non in Indulgentiis.

5to. Et id etiam ex eorundem parte requiritur, ut injuncta opera fiant ex intentione obtinendi defuncto Indulgentiam. Alioqui enim opera hæc nullâ ratione fierent in gratiam hujus defuncti; quod tamen in Pontificiâ Bullâ requiritur.

Quæres An Indulgentiæ proſint ſpecialiter eis, pro quibus in particulari ſuſcipiuntur. R. affirm. Et id patet 1mo. ex Bullis Paſchalis I. Clementis VII. &c. qui conceſſas à ſe Indul-

 gentias

gentias per modum suffragii tribuunt animabus patris, matris, vel cujuscumque alterius, pro quo suscipiuntur. 2do. Ex sensu totius Ecclesiæ & omnium Fidelium. 3tio. Quia nihil est, cur satisfactiones uni cuipiam animæ per intentionem satisfacientis applicatæ, vel ei non plus prosint quàm aliis, vel aliis ullo modo prosint.

Quæres 2do. An Indulgentiæ quæ in defunctorum gratiam concessæ sunt iis, qui certam Ecclesiam piè inviserint, obtineri possint ab iis qui Ecclesiam hanc visitare impediuntur. R. negat. Ità enim quoad vivorum Indulgentias responsum est Româ anno 1732. Porrò eadem est omnium Indulgentiarum ratio: unde etiam qui opus aliquod ex ignorantia vel oblivione prætermittit, excidit ab Indulgentia. Si tamen omissa pars esset quid minimi, ut in Rosario *Pater*, & *Ave*, non nutaret Indulgentia, ex communiori Theologorum sensu, cui non immeritò præsumitur congruere intentio Pontificis.

---

# CAPUT SEXTUM.

## *Solvuntur variæ Quæstiones de Indulgentiis.*

QUæstiones illas proponam sinè ordine, sed non sinè delectu.

Quæres 1mo. An Rosaria, &c. si vendantur, excidant ab Indulgentia. R. affirmat. Ità definitum à S. Congregatione, 14. Decembris 1722.

Quæres 2do. An cui concessum est, ut cum numismatibus, v. g. Indulgentias, seu, ut aiunt, *intentiones* distribuat, suam hanc facultatem distribuendi, possit aliis impertiri. R. negat. 1mo. Quia hæc tanta facultas merito præsumitur cuipiam ob singularem ejus prudentiam concessa. 2do. Quia sanxit Alexander VII. die 6. Feb. 1657. nè Indulgentia Rosario vel Numismatibus affixa ab unâ personâ in aliam transiret, (citra speciale privilegium.) Unde si Religiosus *intentiones*, ut vocant, non distribuit, dum ageret in vivis, non potest ejus Superior eas post illius mortem distribuere.

Quæres 3tio. Quæ sint annotanda circa Indulgentiam Portiunculæ. R. Hæc notatu digna esse; 1mo. Indulgentiam hanc ab Honorio III. concessam esse anno 1221. 2do. Eam non posse pluries eadem die acquiri, prout ex pluribus S. Congregationis Decretis generatim constat. 3tio. Eandem tempore Jubilæi non suspendi in ipsa B. MARIÆ de Angelis Ecclesia,

sed

ſed ceterarum inſtar in ceteris Ordinis Seraphici Eccleſiis ſuſpendi. 4to. Hanc in Eadem S. Mariæ Angelorum Eccleſia quotidie acquiri poſſe, ex Indulto Innocentii XII. 28. Auguſti 1695. 5to. In aliis ejuſdem Inſtituti Eccleſiis poſſe ipſam bis comparari, ſemel pro vivis, ſemel & pro defunctis, iterata Eccleſiarum viſitatione, prout à Concilii Congregatione anno 1723. declaratum eſt. 6to. Et id not. Indulgentiam hanc profanis eſſe ludibrio, indevotis cuidam deſpectui, verè piis perpetuò ſalubrem, prout B. Franciſcus prædixerat, & eventu comprobatur.

Quæres 4to. Quid advertendum circa Indulgentias reales, id eſt certis rebus affixas, putà numiſmatibus, Roſariis, granis, &c.

R. 1mo. Conſtitutum eſſe ab Alexandro VII. die 6. Feb. 1657. ut Indulgentiæ coronis, & aliis id genus conceſſæ, *non tranſeant perſonam illorum qui ea de facto obtinent; neque commodari, aut etiam precario dari poſſint; alioquin careant Indulgentiis conceſſis.* Inſuper ut *alicui ex rebus præmiſſis perditæ altera pro ea ſubrogari nullo modo poſſit,* niſi id expreſsè conceſſum ſit. 2do. Ad hujus Indulgentiæ aſſecutionem aliquando requiri, ut quis rem ſecum deferat; aliquando tantùm ut eam domi decenter aſſervet. Unde inſpiciendus conceſſionis tenor. 3tio. Perditâ re vel fractâ ſic ut in æſtimatione morali non eadem ſit quæ priùs, perire Indulgentiam. In dubio an res moraliter deſtructa ſit, non poteſt proponi Indulgentia, niſi ut dubia. 4to. Iiſdem rebus venditis, aut commodatis, perire in priori caſu Indulgentiam, non prodeſſe in poſteriori. 5to. Per Roſarium in Bullis Pauli V. Gregorii XV. &c. intelligi 150. ſalutationes Angelicas cum orationibus Dominicis quindecim; per coronam Chriſti 33. *Pater,* & *Ave,* per coronam Dominæ noſtræ, 72. *Ave* cum ſeptem *Pater,* &c. 6to. Conceſſas prædictis ab Innocentio XII. Indulgentias, eſſe ſequentes: Qui ſemel in hebdomada recitant Coronam Domini ex 33. *Pater* & *Ave,* conſtantem; aut Coronam B. M. V. ex 63. *Ave,* interjectis ſeptem *Pater;* tertiam Roſarii partem; aut Officium B. V. vel Defunctorum; hi quoties communicant in Natali Domini, Epiphaniâ, Feſtis Aſcenſionis, Pentecoſtes, SS. Trinitatis, Corporis Chriſti, Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, Nativitatis B. M. Nativitatis S. Joannis B. duodecim Apoſtolorum, & Sanctorum Omnium, ac denique in articulo mortis, invocato SS. Jesu Nomine, præmiſſis, ſi fieri poteſt, confeſſione & communione, plenariam lucrantur Indulgentiam, quam & defunctis applicare valent.

Quæres 5to. Quid advertendum ſit circà Regularium Indulgentias. R. Iis, modò contritis, confeſſis & Euchariſtiâ refe-

ctis, concessam fuisse Indulgentiam plenariam, 1mo. cùm habitum Religionis recipiunt animo profitendi; 2do. cùm expleto probationis anno, vota solemnia emittunt; 3tio. cùm in principali Festo Ordinis sui orant pro Ecclesiæ exaltatione. 4to. Cùm primam Missam celebrant, aut Missæ eidem intersunt, aut ipso die Missam similiter celebrant. 5to. Cum Nomen Jesu, ore, si potuerint, sin saltèm corde devotè invocant in articulo mortis. 6to. Cùm per dies decem secessui annuo piè vacant.

Quæres 6to. Quæ sint Indulgentiæ Fidelibus omnibus communes. R. 1mo. Quilibet Fidelis confessus divino assistens officio in Festivitate Corporis Christi, percipit Indulgentiam 400. dierum, si Missæ; 400. si Matutinis; 400. si Vesperis; 160. si cuilibet ex Horis minoribus intersit. Infrà octavam verò, mediam ejusdem Indulgentiæ partem lucratur, si iisdem intersit Officiis. Idem concessum est iis, qui Officio Conceptionis in Ecclesiis Minorum, & Officio Nominis Jesu ubicumque intersunt. 2do. *Qui hoc modo salutaverint alios, seu vulgari, seu latino sermone*, LAUDETUR JESUS CHRISTUS; *& qui sic responderint:* IN SECULA, *vel* AMEN, *aut* SEMPER, *utrique* dierum 100. Indulgentiam lucrantur. 3tio. Qui devotè recitaverint Litanias SS. Nominis Jesu, 300. qui Litanias Deiparæ 200. dies Indulgentiæ lucrantur. 4to. Qui facem deferunt, cùm ad infirmos portatur Viaticum, lucrantur Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum. Qui sinè lumine illud comitantur, annorum quinque, & quadragenarum totidem Indulgentiam percipiunt. Qui legitimè impediti facem per alium deferri curant, Indulgentiam annorum trium, triumque quadragenarum sibi comparant. 5to. Qui devotè publicis 40. horarum precibus intersunt, & coram venerabili Sacramento orant per horæ unius spatium, lucrantur Indulgentiam trium annorum. 6to. Qui ad campanæ pulsum devotè, ac flexis genibus, (exceptis tempore Paschali, Sabbathi post meridiem, & Dominicis diebus) manè, meridie & vespere recitaverint *Angelus Domini*, contriti, confessi, & sacrâ communione refecti, in uno cujuslibet mensis die ad placitum eligendo, plenariam Indulgentiam; in reliquis autem diebus, singulis vicibus dierum centum Indulgentiam lucrantur. Gratiam hanc confirmavit die 20. Aprilis 1742. Benedictus XIV. & addit Paschali tempore loco *Angelus* recitari debere, Antiphonam *Regina Cœli*, cum versu & oratione, ab iis qui hæc sciunt.

Queres 7mo. Quid animadvertendum circa Indulgentias Confraternitatum. R. Tria hæc; 1mo. Confratres non teneri

sub

ſub peccato preces in iis denotatas recitare; 2do. Eos die, hebdomada, vel menſe, quibus hæc omiſerint, alienos eſſe ab Indulgentia, quam aliàs lucraturi eſſent. 3tio. Non poſſe unam Confraternitatem alteri aggregari cum participatione Indulgentiarum ejus.

Quæres 8vo. Quid ſtatuendum de Indulgentia in articulo mortis. R. 1mo. articulum mortis eſſe unum illud vel multiplex temporis punctum, in quo cuipiam impendet proximum mortis diſcrimen, ſeu ex morbo, ſeu à caſu: putà naufragio, pugnâ imminenti, &c. 2do. Indulgentiam hanc non ſuſpendi tempore Jubilæi. 3tio. Illam non prodeſſe iis Confraternitatum ſociis, qui vel ab iis propriâ ſpontè diſceſſerunt, vel ob diſcolos mores ejecti fuêre; vel, cùm iis inſcripti ſunt, non habuerunt ſeriam earum ſtatuta implendi voluntatem. 4to. Indulgentiam hanc eò plus prodeſſe, quò ſeriùs applicatur; quia cùm per eam commiſſa tantùm, non verò futura peccata dimittantur, fieri poteſt, ut ea ſuſceptâ quis venialiter ante mortem peccet, & ſic novis pœnis obnoxius fiat. Et id notandum à Confeſſariis. 5to. Ut profit Indulgentia hæc tria requiri ex moribundi parte, 1mo. ut Confeſſarium ſeligat Indulgentiam hanc ſibi applicaturum; 2do. ut peccata ſua ore confiteatur, & corde deteſtetur; 3tio, ut ad minus voluntatem hæc faciendi declaraverit verbis, aut ſaltèm eam animo ſincerè conceperit. Requiri verò ex parte Confeſſarii ut Indulgentiam applicet, quod his verbis fieri poteſt: *Concedo tibi Indulgentiam plenariam in hâc Bullâ contentam.* Quòd ſi æger in phræneſim rapiatur, poterit nihilominùs applicari Indulgentia, ſi hanc ejus intentionem fuiſſe ex præteritâ ipſius agendiratione conjiciatur. Ità fermè R. P. Honoratus à S. Maria, ubi Confeſſarios monet, ut à moribundis ſciſcitentur, annon ratione alicujus Confraternitatis, vel aliunde, aliquo hujuſce generis privilegio inſigniti ſint.

Quæres 9no. Quâ horâ incipiant vel deſinant Indulgentiæ certis diebus affixæ. R. Inſpiciendum eſſe conceſſionis tenorem. Unde quando conceditur Indulgentia à primis Veſperis uſque ad ſolis occaſum, ut fieri ſolet pro diebus Feſtis, incipit ea horâ, quâ in eo loco, vel in vicinis Veſperæ dici conſueverunt; deſinit autem quâ horâ ſol infra horizontem, vel eidem loco, vel ſi is in imis vallibus jacet, vicinis montibus deſcendere incipit. Si autem Indulgentia abſque Veſperarum expreſſione tribuatur, v. g. pro feriâ ſecundâ vel tertia ante Cineres, probabilius eſt eam pro uſu in Eccleſia recepto à medio ad medium noctis perdurare; quia feriæ non habent primas Veſperas.

Quæres 10mo. An pro authenticâ haberi possit Indulgentia, quando habetur duntaxat authenticum ejus exemplar. R. affirmat. Modò constet exemplar illud ex Originali transumptum esse. Ità declaravit anno. 1711. S. C.

---

# CAPUT SEPTIMUM.

## *De Indulgentiarum abusu.*

INdulgentiis abutuntur 1mo. qui sub spe plenariam in articulo mortis remissionem peccatorum consequendi, desides languent, nec satisfactoriis operibus incumbunt. Quasi nempe DEUS vel Ecclesia intendant tepidorum inertiam per beneficia sua fovere. *Ecce spes ejus frustrabitur eum, videntibus cunctis præcipitabitur.* Job. 40.

2do. Qui indiscretas Indulgentias promulgant aut distribuunt; quod quidem Religiosis sub interminatione æternæ damnationis prohibetur Clement. 1. *de privilegiis.* Indiscretæ porrò dicuntur Indulgentiæ, 1mo. quæ vel nusquam concessæ sunt, vel desierunt lapsu temporis, vel revocatæ sunt. Nusquam autem in rei veritate concessæ sunt, quas subreptitiè vel obreptitiè impetrari contingit; 2do. quæ privilegia nequaquam indulta continent, & media ad gratiæ lucrum prærequisita dissimulant, nè ab his detereantur Fideles, &c. 3tio. quæ dubiæ sunt, seu in radice ipsa, seu in progressu: quod malum ut averteret Trident. Synodus, statuit Sess. 21. cap. 9. *Indulgentias & alias spirituales gratias per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo..... publicandas esse.*

3tio. Qui indulgentias quasi venales exhibent, & turpes earum occasione quæstus faciunt. Quapropter rursùs Trident. Sess. 25. in Decreto de Indulgentiis *statuit pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in populo Christiano abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse.* Hinc & solent Pontifices hanc Diplomatibus suis clausulam apponere: *Si aliquid datum fuerit ad obtinendum Indulgentiæ hujus privilegium, ea statim nulla sit & irrita:* ut semel norint Indulgentiarum osores, Cœlestes Ecclesiæ thesauros gratis acceptos, gratìs in Fidelium spirituale levamen dispensari.

4to. Qui certas orationes, imagines, amuleta sacra, cum annexis, ut aiunt, Indulgentiis, Fidelibus, nec utique gratìs, distribuunt; & quæ ut plurimum ex certâ, quam requirunt, orationum formulâ, aliisque circumstantiis superstitionem redolent.

TRACTA-



# TRACTATUS
## DE
# BENEFICIIS ET SIMONIA.

## PARS PRIMA.

### *De Beneficiis.*

IN hâc parte dicam 1mo. de naturâ, & diviſione Beneficii; 2do. de variis acquirendi Beneficii modis; 3tio. de qualitatibus ad obtinenda Beneficia requiſitis; 4to. de modis quibus Beneficia vacant.

## CAPUT PRIMUM.

### *De eſſentiâ & diviſione Beneficii.*

BEneficium definitur, Jus perpetuum ac legitimum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico competens propter officium aliquod ſpirituale: ſecundùm id cap. 15. *de Reſcript.* in 6. *Beneficium Eccleſiaſticum datur propter Officium.*

Beneficia dividuntur 1mo. in *ſecularia* quæ ſecularibus competunt, & *regularia* quæ addicta ſunt regularibus, id eſt, Religioſis Regulam ab Eccleſiâ approbatam, & in quâ ſolemnia emittantur vota, profeſſis.

Beneficium præſumitur ſeculare, niſi probetur eſſe regulare; quale eſſe probatur, vel ex literis fundationis, vel ex pacificâ & continuâ ejuſdem à tribus Regularibus per annos 40. poſſeſſione, adeo ut nec ſola trium poſſeſſio ſinè 40. annis, nec ſola

unius possessio per annos 40. sufficiat. Iisdem conditionibus Beneficium à fortiori præsumitur seculare; nisi tamen datum sit in commendam; hæc enim, * *statum antiquum non interrumpit, sed conservat.*

2do. Dividuntur in duplicia, & simplicia. *Duplicia*, ea sunt, quibus annexa est vel animarum cura, vel jurisdictio in foro exteriori, vel præeminentia, vel rerum Ecclesiæ administratio; *simplicia* verò ea sunt, quæ nihil horum adjunctum habent, sed solam breviarii recitationem, aut celebrationem Missæ, ut Prioratus, seu Seculares, seu Regulares.

Dividuntur 3tio. in titularia, & in ea, quæ dantur in commendam. *Titularia* dicuntur quæ quis possidet juxta propriam ipsorum fundationem, ut cùm secularia à secularibus, regularia à Regularibus tenentur: *commendata* verò, quæ à S. Pontifice Clericis secularibus conferuntur absque eo, quod Beneficii natura mutetur.

Dividuntur 4to. in consistorialia, patronata, electiva, collativa, &c.

Consistorialia ea dicimus, quæ conferuntur à Papa in Consistorio Cardinalium. Patronata ea sunt, ad quæ Patroni sive Laici, sive Ecclesiastici, aliquem nominant, ut ei Beneficium ab Episcopo conferatur. Non patronata, seu purè collativa, ea sunt, quæ conferuntur sinè præviâ alterius nominatione aut præsentatione. Electiva, sunt quæ alicui canonicè electo conferuntur, eaque vel indigent superioris confirmatione, & tunc dicuntur *electiva confirmativa*; vel non indigent, & tunc dicuntur *electiva collativa*, quia ipsâ electione conferuntur.

Dividuntur 5to. in beneficia, quæ solam Tonsuram exigunt, ut plerique Canonicatus; & Beneficia quæ aliquem è sacris Ordinibus prærequirunt, v. g. Sacerdotium. Hæc porrò Beneficia ( idem de Diaconalibus & aliis dicendum ) vel sunt Sacerdotalia à fundatione, vel à lege: si *à fundatione* is cui conferuntur, debet esse Sacerdos, Diaconus, &c. eo tempore quo sibi confertur Beneficium. *Si à lege*, solùm, sufficit ut provisus intra spatium anni ad Ordinem sibi præscriptum promoveatur.

Dividuntur 6to. in *compatibilia*, quæ possunt simul teneri: & *incompatibilia*, quæ simul possideri non possunt, ut duæ Curæ, duo Canonicatus, aut Præbendæ; duæ *sub eodem tecto* Capellaniæ, Canonicatus & Cura in diversis Ecclesiis; & in hoc casu dispensatio Papæ non valet juxta mores nostros.

Dividuntur 7mo. in ea quæ Graduatis addicta sunt, & ea quæ etiam non Graduatis conferri possunt. Graduati ii sunt, ** qui

* *Du Moulin.* ** *Concord.*

*qui per tempus competens in Universitate famosâ,* id est quatuor Facultatibus constante, *studuerint.* Undè colliges 1mò. graviter peccare, & Graduatos, qui sinè competenti scientiâ, vi graduum Beneficia obtinent; & Universitatum Rectores aut Professores qui gradus imperitis conferunt; tum quia publicam fidem fallunt in re gravi; tum quia iis injuriam faciunt, qui jugi studiò gradus adepti sunt; 2do. absolutione indignos esse & ad Beneficii dimissionem teneri eos, qui cùm per requisitum tempus in universitate non studuerint, virtute graduum sub falsis attestationibus obtentorum, Beneficia comparant; iis enim & Patrono aut Collatori, & aliis qui constanter studuêre, injuriam faciunt; 3tio. magni quoque peccati reos esse Professores qui juvenum fraudi in re tanti momenti patrocinantur; testificando eos exactè interfuisse lectionibus suis, qui bis ad summum in hebdomadâ scholas frequentavêre. Neque est quòd dicant Graduati, se domi enixè studendo implevisse spiritum legis; nam & literam quoque implevisse debuerant. Qui tamen scholas assiduitate morali frequentavit, & postea studendo tempus malè impensum reparat, vi graduum Beneficia requirere potest.

---

# CAPUT SECUNDUM.

## *De modis acquirendi Beneficii.*

BEneficia, ut patet ex Ecclesiæ praxi, sex modis acquiri licitè possunt: 1mo. præsentatione Patroni prævià, & subsecutâ institutione; 2do. electione & confirmatione; 3tio. postulatione & confirmatione; 4to. collatione liberâ; 5to. permutatione; 6to. resignatione in favorem cum subsecutâ collatione: sed quia his duobus postremis modis Beneficium priùs amittitur quàm acquiritur, ideo de his dicemus ubi de vacatione. Nunc solam expendemus præsentationem, ut quæ plura ad conscientiæ forum spectantia involvat.

Præsentatio, est personæ idoneæ nominatio, vel Episcopo, vel alteri ad quem institutio pertinet, legitimè facta per patronum. Unde jus patronatûs definitur, potestas nominandi Clericum ad Beneficium vacans, sive per mortem, sive per cessionem: præsentatio enim Beneficii nondum vacantis nulla est ex cap. 2. *de conces. Præbendæ.*

Patronatus dividitur præcipuè in *ecclesiasticum,* & *laicum.* Prior convenit personæ ecclesiasticæ, vel ratione Beneficii aut

Dignitatis

Dignitatis quam habet, vel quia pecuniâ ex bonis ecclesiasticis partâ, Ecclesiam fundavit, extruxit aut dotavit. Posterior convenit personæ laicæ, aut instar laicæ se habentis, quæ scilicet ex bonis secularibus Beneficium erexit, Ecclesiamve fundavit. Unde Ecclesiasticus potest habere jus patronatûs laici, si vel ipse, vel ejus prædecessores Ecclesiam aut Beneficium è bonis patrimonialibus fundaverint.

His additur patronatus mixtus, qui competit Communitati aut Confraternitati ex Ecclesiasticis & Laicis compositæ.

Tria sunt utriusque patronatûs discrimina; 1mo. *Patronus laicus ad præsentandum, tempus habet quadrimestre duntaxat* ex cap. unic. *de jure patron.* in 6. Ecclesiasticus verò sex habet menses, qui juxta plurimos Canonistas currunt non à die vacationis, sed à die notitiæ obitûs; notitiæ, inquam, non quæ habita sit, sed quæ haberi potuerit.

2do. Patronus laicus variare potest, id est, vel plures simul è quibus unum pro nutu eliget Episcopus, vel unum post alterum præsentare; sed non variat nisi semel, juxta multos & quidem cumulativè tantùm, non privativè, quasi eum excludere posset, quem ante præsentaverat, tunc ergo Superior cujus est instituere, potest cui voluerit ex præsentatis gratificari. Postquam semel data est à Superiore institutio, jam non est variationi locus. Patronus Laicus qui scienter præsentavit indignum, variare non potest, sed pro hac vice excidit à jure suo. Qui nesciens præsentavit incapacem, potest eundem, nondum finito quadrimestri, de novo præsentare si cessaverit incapacitas.

Patronus Ecclesiasticus unicâ præsentatione Episcopo notificatâ jus suum exhaurit; unde si indignum, aut etiam juxta multos, debito gradu carentem, scienter vel ignoranter præsentaverit, alium præsentare non potest. Dixi, *notificata*: quia nominatio etiam publico instrumento coram Notario & testibus facta, non tam pro præsentatione, quàm pro præsentandi proposito habetur, quandiu ritè Collatori significata non est.

Hinc nominatio quæ *non pulsavit aures Ordinarii*, non impedit præventionem Papæ, saltèm in Curiâ Parisiensi. Neque etiam impedit eadem nominatio, nè elapso tempore ad præsentandum Patronis concesso Ordinarius pleno jure conferat; aut nè valeat prævia ejusdem Ordinarii collatio, quæ tamen irritatur per nominationem Patroni legitimo tempore factam & significatam. Hinc iterum non videtur Patronus Ecclesiasticus variare, si factâ alicujus nominatione Ordinario non significatâ, alium deinceps præsentet, eumque institui requirat.

Si

Si præsentatus acceptare nolit, aut moriatur ante institutionem, potest Patronus ecclesiasticus alium præsentare.

3tio. Præventio Papæ locum habet in Patronis ecclesiasticis, unde si Papa conferat, antequam præsentaverit Patronus ecclesiasticus, valet collatio pontificia; & adhuc valeret, etiamsi literæ cum præsentatione fuissent expeditæ, quin & præsentando traditæ cum expresso easdem mox Ordinario exhibendi mandato, cui parere neglexerit. At verò Præventio Papæ in Patronis laicis, aut mixtis locum non habet. Beneficium à Patrono laico pendens, nec in favorem resignari, nec permutari, nec gravari potest pensione, sine patroni consensu; quod aliter factum est, caret robore. Ut explicentur cetera.

Quæres 1mo. quomodo acquiratur jus patronatûs.

Resp. 1mo. *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus:* non autem area sola, ut docet probabilior opinio. Si tamen tres simul ad Ecclesiæ fundationem concurrant, primus dando aream; secundus Ecclesiam construendo; tertius dotando, ii omnes in solidum Patroni efficiuntur:

R. 2. Aliis etiam modis acquiritur jus patronatûs: 1mo. præscriptione, quia juri patronatûs, utpotè quòd temporale sit sicut & spirituale, nihil deest quominùs præscribatur. Ad hanc porrò præscriptionem solent Jurisperiti nostri requirere possessionem 40. annorum, unà cum tribus præsentationibus successivis quæ admissæ fuerint; 2do. acquiritur privilegio seu concessione summi Pontificis, quæ tamen in Galliis non valet, nisi sit ex *causâ onerosâ*, putà si quis insufficientem Ecclesiæ alicujus dotem ad medium usque adauxerit; 3tio. acquiritur donatione vel legato Patroni: potest enim Patronus suo Compatrono, vel Communitati, vel alii cuivis jus suum, non dico vendere, quod esset simoniacum, sed cedere, modò accedat consensus Episcopi, si cessio fiat in gratiam laici, qui compatronus non sit.

Quæres 2do. an Patroni successor possit mutare naturam seu conditiones Beneficii.

R. negat. quia * *ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debet*; imò nequidem Fundator ipse, si jam perfecta sit fundatio, quidquam in deterius mutare potest. Potest tamen vel ipse vel ejus successor novas apponere conditiones, quæ Ecclesiæ utiles sint, modò accedat Episcopi consensus.

Quæres 3tio. quomodo finiatur jus patronatûs.

R. Finitur 1mo. cessione, & in hâc non datur regressus, nisi beneficium ætatis, restitutionem indulgeat; 2do. privatione ex delicto

* XIII. q. 2. 4.

delicto, ut si quis jus patronatus vendere præsumpserit, vel bonorum suorum confiscationem promeruerit; 3tio. præscriptione.

Quæres 4to. quænam sint Patronorum jura & onera.

R. *Patrono debetur honos, onus, utilitasque,*
*Præsentet, præsit, defendatur, alatur egenus.*

Unde Patronus primas habet in processionibus, panem benedictum, quâ anni die festâ maluerit, offerre potest, eidem thus, pax & similia ante ceteros offeruntur. Debet etiam, si forte ad inopiam vergat, adjuvari ex Ecclesiæ bonis, secundùm qualitatem suam, & collata ab eo in Ecclesiam Beneficia.

Sed quia non est honos sine onere, debet Ecclesiam tueri, invigilare, ut Officia dignè celebrentur, & potissimùm eidem de dignis ministris providere.

Circa hoc autem maximi momenti punctum hæc apud omnes recepta sunt: 1mo. nullus se quantumcumque idoneus sit, ad Beneficium præsentare potest; aut ad illud præsentari à procuratore quem constituisset; 2o. si plures sint, Patroni, unus alium modò capacem poterit præsentare; quia tunc præsentatio est velut electio quædam, in quâ aliqui eorum, qui eligere possunt, possunt etiam eligi; 3tio. Patronus filium suum præsentare potest, quia jus non resistit; non sic tamen ut filius immediatè patri succedat. Hîc præcipuè quærimus, an indigni, vel minùs digni præsentari possint. Sed digni aliter à mundanis hominibus, qui ministerii nostri sanctitatem non capiunt; aliter ab iis, qui ecclesiastici status dignitatem norunt, definiuntur.

Juxta mundanos dignus vocatur Clericus, in quem non cadunt flagitia quæ Legibus puniuntur, quamvis mundum & ea quæ in mundo sunt diligat, bona inhiet temporalia, multò minori in domum Dei zelo moveatur, quàm in familiæ suæ honorem & augmentum; ludo indulgeat & epulis; inutilibus planè colloquiis, sæpe perniciosis etiam cum mulieribus se se immisceat; adeò ut minus ejus crimen sit vita otiosa & tepida, quam idcircò Deus ex ore suo evomit.

Dignus Sanctorum judicio ille est, qui innocentiam vel conservavit, quod hodie rarum est, vel seriæ pœnitentiæ laboribus reparavit, quod rarius est, teste S. Ambrosio; qui cùm omnibus corporis, animi ac gratiæ dotibus necessariis instructus sit, insatiabili Dei gloriæ, suæ & aliorum salutis ardore consumitur. Hinc indignus est, qui ad officium debitè præstandum ineptus est ob pravam vitam, ignorantiam, ingenii aut corporis morbos, aliaque id genus impedimenta. His præmissis, sit

Conclusio

Conclusio I. Qui Beneficium etiam ſimplex confert indigno, eumque præſentat, aut eligit, peccat mortaliter. Ità omnes.

Prob. 1mo. ex Concilio Lateranenſi IV. *Grave nimis*, inquit, *& abſurdum, quòd quidam Eccleſiarum Prælati, cùm poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica Beneficia promovere, aſſumere non verentur indignos, quibus neque morum honeſtas, neque literarum ſcientia ſuffragatur .... undè quanta Eccleſiis damna proveniant, nemo ſanæ mentis ignorat.*

Prob. 2do. Non licet illud facere, unde omnia eveniunt Eccleſiæ mala; unde naſcuntur hæreſes, divini cultûs negligentia, redituum eccleſiaſticorum diſſipatio, pauperum calamitas: atqui mala hæc omnia præſtat collatio Beneficiorum indignis facta.

Prob. 3tio. Beneficium datur propter officium, ergo ſi ad officia ſecularia promovens indignos, peccet mortaliter, ut fatentur omnes juxta Lugo; à fortiori, qui indignos ad Beneficia promovent.

Hinc peccant & quidem mortaliter: 1mo. Epiſcopus, ſi inſtituat indignum, quia eum repudiare poteſt, ac debet, & quia minùs Eccleſiæ negotia curat, quàm curet ſecularia ſua, quæ viris inhabilibus gerenda non tradit; 2do. Præſentator qui viro ſibi incognito Beneficium tribuit; non ſufficit enim, ut nihil mali de præſentato noverit, ſed requiritur, ut moralem de idoneitate ejus certitudinem habeat; 3tio. parentes qui dum corruptos filiorum ſuorum mores norunt, curant aut permittunt iis Beneficia conferri; 4to. qui in concurſu Beneficium dignioribus præripiunt: hi enim peccant petendo, obtinendo, & retinendo; nec minùs in culpâ eſt, qui eis Beneficium conceſſit. Ità Comitolus.

Conclusio. II. Ex communi ſententiâ peccat mortaliter qui omiſſo digniore præſentat, eligit, proponit dignum ad Beneficium annexam habens animarum curam, vel juriſdictionem, vel magni momenti functionem, ut docendi, prædicandi; vel ſuperioritatem alicujus communitatis.

Prob. 1. ex S. Thomâ 2. 2. q. 63. a 2. *Dicendum*, inquit, *quòd quantùm ad hoc quòd electio impugnari non poſſit in foro judiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem .... ſed quantùm ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in ordine ad bonum commune.*

Prob. 2do. ex Trid. Seſſ. 24. c. 1. *de reformat.* quòd ut omnem eâ de re controverſiam tolleret, apertè tradit, *omnes & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum, quodcumque*

jus

*jus habent ..... alienis peccatis communicando mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint .... & quos ex legitimo matrimonio natos, & vitâ, ætate, doctrinâ, atque aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, præfici curaverint.* Quod hic de Episcopis hoc de Parochis dicitur cap. 18. *Episcopus ex dignis eligat digniorem.* Porrò cùm incommoda hæc verba, *digniores.* intelligerent quidam, aut de dignis simpliciter, aut de casu in quo fieret concursus; eorum doctrinam damnavit Innocentius XI. *ut scandalosam & in praxi perniciosam.*

Sed quid si quis Beneficium simplex digno concedat, prætermisso digniore.

R. Variant inter se eâ de re Theologi: sed nostro quidem judicio meliùs & veriùs sentiunt, qui generaliter pronuntiant, in casu etiam Beneficii simplicis peccare mortaliter, qui digniorem præterit.

Prob. 1mo. quia omnes Beneficiati sunt Ecclesiæ ministri, atqui nullum Ecclesiæ ministerium haberi debet pro parvo; 2do. quia per electionem minùs digni, Ecclesiæ ministerium notabiliter pejori modo fit, & cultus DEI minuitur: quod longè certius videbitur ei, qui cum Delugo observabit, miserrimis his temporibus, dignos appellari non qui tales sint absolutè, sed qui minùs indigni sint quàm alii; 3tio. quia qui vident majoris meriti nullam haberi rationem, non elaborant pro virili ut ceteris fiant aptiores; 4to. quia probabilissimum est Beneficia saltem secundariò in eorum, qui præsentandi sunt favorem fuisse instituta, nempè ut compensarentur fideliores Ecclesiæ ministri; ergo utcumque injustus est, qui hæc iis denegat.

Fatendum tamen quosdam esse casus, in quibus sine peccato etiam veniali Beneficia simplicia minùs dignis conferri possint: ut 1mo. si alimenta subministranda sint Pastori infirmo, qui utpotè officio jam impar, ab animarum curâ removeri debeat. Itèm si electio planè indigni impediri aliter non possit, quàm per electionem minùs digni.

2do. si quis Sacerdos aut Clericus non aliter ex inopiâ relevari possit, quàm si ei conferatur aliquod Beneficium simplex, quia hæc dispositio commodum Ecclesiæ affert. Addit Wiguerius Clericum dignum pauperem, diviti licèt digniori præferri posse, si ratio paupertatis eum adæquet excessum, qui in alio ditiore reperitur; quia cùm Beneficia etiam instituta sint ad pauperum sustentationem; paupertas Clerici in partem causæ transit.

3tio. Potest Collator instituere dignum, qui sibi à Patrono præsentatus est, licèt alios noverit eo digniores, qui neglecti

sunt:

sunt: quia non potest eum qui præsentatur, modò dignus sit, rejicere: facilè enim præsumeretur Patroni jura usurpare velle, Patronum offendere, præsentatum odisse, &c. pium tamen est, ut Collator Patronis digniores proponat præsentandos, modò sit spes, futurum ut ii pro suo in Ecclesiam amore acquiescant.

410. Idem dicendum si electio fieri debeat ex personis certæ communitatis. Putat tamen Sylvius fundationem Beneficii Curati eâ lege factam, ut ad ipsum semper assumatur aliquis de Fundatoris sanguine, aut de quodam pago, vel oppido, etiamsi offerat se alius longè dignior, ab Ecclesiâ acceptari non debere, cùm hujusmodi homines ordinariè non sint Ecclesiæ utiliores, quam alii.

Quæres 1mo. an resignans teneatur resignare digniori.

R. affirmat. cum Navarro, Sylvio, & aliis sanioribus, 1mo. quia talis resignans se habet instar Patroni, cùm id efficiat quod ad Patronos pertinet. Et hoc præsertim verum est in Galliâ, ubi permutationes admittere tenetur Papa, nisi in iis aliquid occurrat vitii canonici; 2do. quia reipsâ tunc est causa damni quod patitur Ecclesia; undè non solùm peccat resignans, sed amici quoque ejus & parentes, qui hujusmodi resignationes viribus totis procurare consueverunt, adeòque & malum promovent.

Quæres 2do. an teneantur ad restitutionem, qui indignos promovent; vel dignos præferunt dignioribus.

R. ad 1. æqualiter teneri promoventem & promotum. Ratio est, quia uterque vera est causa malorum omnium, quæ patitur Ecclesia: hinc promotus qui officium suum implere nequit, debet & restituere fructus Beneficii, quod datur propter Officium, & Beneficium dimittere, quia provisio juri cuicumque repugnat.

R. ad 2. vel Beneficium ex concursu dari debet, vel non. Si primum, conveniunt communiter restitutionem fieri debere digniori prætermisso. Is enim posito concursu jus strictum habet in Beneficium: quandoquidem in ipsâ concursus indictione continetur pactum dandi Beneficii magis idoneo inter concurrentes, qui etiam tali conditione, & expectatione se præsentat; ergo qui ei Beneficium negat, strictam eidem injuriam facit, quam tenetur reparare.

Si vero Beneficium ex concursu dari non debeat, restitutio facienda est Ecclesiæ, non autem illi qui prætermissus est.

Prob. 1. pars: quia restituere debet qui est causa damni tam gravis, ut id inferendo peccaret mortaliter, contra fidelita-

tem & justitiam: atqui sic se habet Patronus, aut quisquis minùs dignum promovet ad Beneficia; quia vel ipsi Patroni ex stipendio tenentur ad promovendos digniores, cùm Patronorum jura sint ipsi stipendii loco; ergo.

Hæc autem reparatio fiet 1mo. si per te vel alium efficaciter persuadeas minus digno, ut Beneficium suum digniori concedat; 2do. si ei Beneficium aliquod simplex procures, & digniorem in illius locum introducas; 3tio. si idoneos accersas ministros, qui diligentiâ suâ compensent, id quod ex ejus socordiâ, mali contingere potest.

Prob. 2. pars, 1mo. quia sola ea justitiæ species inducit necessitatem restituendi, quæ rem alteri stricto jure debitam eidem denegat; sed justitia distributiva, quæ in Beneficiorum dispensatione occurrit, non debet stricto jure dignioribus beneficia, cùm hæc primariò propter utilitatem communem instituta sint, non autem propter peculiare beneficiarii emolumentum, nisi quatenus in utilitatem communem ex se ordinatur, ergo sufficit ut restitutio fiat Communitati, non autem necessum est, ut fiat digniori prætermisso.

2do. Si œconomus cui ex officio incumbit conducere idoneos operarios in vineam patrisfamilias, digniores non conducat, nullam iis restitutionem debet, sed solum domino suo, cujus rem negligenter curavit; ergo pariter dispensator Ecclesiæ bonorum eidem Ecclesiæ obligatus manet, non autem iis operariis quos prætermisit.

3tio. Sola justitiæ commutativæ violatio inducit obligationem restituendi: atqui eam non violat qui prætermittit digniorem. Alioqui enim teneretur dignus ex justitiâ Beneficium relinquere, statim ut sciret digniorem fuisse prætermissum; id autem sinè magnâ omnium confusione admitti nequit.

---

# CAPUT TERTIUM.

## *De qualitatibus ad obtinenda ritè Beneficia necessariis.*

UT alicui de Beneficio provideri possit, decem in eo requirit Lessius L. 2. c. 34. dub. 7.

1mo. ut sit legitimus, vel saltèm ut dispensationem obtinuerit.

2do. ut primâ tonsurâ donatus sit, & quidem à proprio Episcopo,

Epiſcopo, vel mediantibus ejuſdem dimiſſoriis. Sanè ei qui ab Epiſcopo non originis, ſed domicilii vel Beneficii ordinatus eſſet, tutius fuerit, ut à Papâ obtineat literas *perindè valere*, ut docet Rebuffus. Sunt Beneficia quæ præter tonſuram, certum ordinem poſtulant, à lege, vel à fundatione, de quibus ſuprà.

3tio. requiritur cœlibatus: unde qui ducit uxorem, à Beneficio excidit, ut dicam cap. 4.

4to. Ætas idonea, de quâ alibi.

5to. Vitæ probitas: ſequitur ex his quæ diximus de Beneficiis digniori conferendis. Porrò ait S. Thomas 2. 2. q. 100. & quolib. 2. a. 11. *Si quis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsâ præſumptione redditur indignus, & ſic preces ſuæ ex hoc ipſo ... pro indigno fiunt. Licitè tamen poteſt aliquis, ſi ſit indigens, pro ſe Beneficium Eccleſiaſticum petere ſine curâ animarum.* Si tamen Beneficia dignis promiſcuè & indignis conferantur, & petens non temerè judicet ſe eſſe aliis digniorem, putà quia ea de re peritum Confeſſarium conſuluit, & aliunde qui idem Beneficium ſollicitant, parum digni ſunt; licitum erit Beneficium cui animarum cura annexa eſt poſtulare, cùm Iſaias c. 6. dicat: *Ecce ego, mitte me.* & Apoſtolus I. ad Tim. 3. *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.*

6to. Scientia competens, talis ſcilicet & tanta, quæ ſufficiat ad officium Beneficio annexum debitè exequendum; unde cùm officia Beneficiis annexa varia ſint, non una quoque, nec æqualis ad omnia Beneficia ſcientia requiritur. Apud Gallos Parochiæ in urbibus aut villis muratis ſitæ, nemini niſi ad minùs artium Magiſtro committi poſſunt: idem dicendum ſi parochiæ illæ extra urbem ſitæ ſint, & major populi pars intra urbis ambitum commoretur.

7mo. Idonea corporis diſpoſitio ità ut præſtari poſſit officium debitum: ſi indiſpoſitio præcedat irrita eſt collatio, ut ſi cæco fieret: ſi ſuperveniat: non privat Beneficio; ſed qui Beneficium Curatum habet, bono Vicario munus ſuum committere tenetur.

8vo. Requiritur immunitas ab excommunicatione majori, aliiſque cenſuris, & irregularitatibus.

9no. Intentio determinata in ſtatu Eccleſiaſtico perſeverandi non enim intendit Eccleſia, ut iis Beneficia conferantur, qui eidem non niſi ad tempus famulari volunt, & qui minùs gloriæ DEI quàm lucro ſtudent. Ad hanc autem intentionem non requiritur, ut proponat ſibi Clericus nunquam ad ſeculum reverti, quidquid evenire poſſit, unde non peccat qui Benefici-

um suscipiendo habet intentionem illud deferendi: si quando id exigant lites componendæ, vel continuanda illustris familia: sed in his timidè ambulandum, nec à peccato mortali excusandi sunt, 1mo. qui Beneficia accipiunt eo tantùm animo ut fructibus eorum alantur donec studia absolverint, aut invenerint ùxorem opulentam. 2do. qui recipiunt Beneficium cui annexus est sacer Ordo, quem recipere nolunt; & quidem si Beneficium illud sit Curatum, & ipsum *receperis, ut fructus ex eo per annum percipias postmodum* idem *dimissurus, nisi voluntate mutatâ promotus fueris, teneberis ad restitutionem fructuum eorumdem.* * 3tio. qui Beneficium arripiunt, ut illud cum alio permutent aut ex eo pensiones corrodant, in re gravi Ecclesiam fallunt & graviter peccant.

Haud tamen invalida foret Beneficii susceptio, tam malo animo facta, 1mo. enim nullum est jus, quod invaliditatem hanc decernat; & reipsâ multa prohibentur fieri, quæ facta tenent; sic agunt contra intentionem Ecclesiæ qui plura quàm par sit Beneficia cuipiam conferunt, & tamen valet collatio; 2do. si collatio hæc invalida foret, qui malâ *mutatâ voluntate* intenderet Ecclesiæ perpetuò famulari, novis indigeret provisionibus, quia *tractu temporis non firmatur, quod ab initio non subsistit:* Hoc tamen necesse non est, cùm citatum caput 35. *de elect.* supponat Beneficium Parochiale posse retineri ab eo qui primò illud receperat, ut fructus ex eo per annum reciperet, solùmque exigat, ut voluntatem mutet.

10mo. Ut promotus ad unum Beneficium non habeat aliud incompatibile.

---

## CAPUT QUARTUM.

### *De Beneficiorum vacatione, resignatione, &c.*

BEneficium dicitur vacare, cum de jure aut de facto jam ab eo possideri nequit à quo anteà possidebatur. Quod ut meliùs intelligatur, sciendum est Beneficium aliquando vacere *ipso facto*, aliquando vacare *ipso jure*; & hæc duo plurimùm differunt: cùm enim Beneficium vacat *solo jure*, potest adhuc Beneficii possessor ipsi renuntiare, sive simpliciter, sive in favorem, re adhuc integrâ, id est, si nemo alius idem Beneficium vel à Papâ, vel ab Ordinario definitivè impetraverit;

* Cap. 35. *De elect. in 6.*

petraverit; sed cùm vacat *ipso facto*, non relinquitur renuntiationi locus. Unde Beneficium hoc statim dimittendum est, nisi obtineatur ejusdem retinendi dispensatio; aut circumstantiæ non patiantur illud statim dimitti, quod sæpius evenire potest, ut si v. g. Parochus cedere Beneficio nequit sine gravi scandalo populorum, qui ex ejus renuntiatione colligent eum admisisse crimen, cujus jam suspectus est, & propter quod solum præsumi potest Beneficio cedere.

Porrò facile non est assignare casus in quibus Beneficium vacat ipso facto, ob nimiam eâ de re Theologorum dissensionem: hæc nobis certa videntur.

Beneficium vacat ipso facto, 1mo. per mortem etiam civilem Titularis, quam obire censetur tum is, qui in ordine ab Ecclesiâ approbato solemnem Religionis professionem emittit, tum is qui condemnatur morte citra appellationem, aut per contumaciam, adeò ut sententia *in effigie*, executioni demandetur; itèm qui triremibus aut exilio damnatur in perpetuum, secùs si damnetur solùm ad tempus, modo tempus illud novem annos non excedat. Non desunt tamen qui negent Beneficium ipso facto vacare præcisè per ipsam mortis sententiam.

2do. Beneficium vacat ipso facto per matrimonium etiam invalidum, quae contrahitur à Clerico sacris initiato, vel consanguineam ducente, vel præscriptam à Tridentino formam non servante: 1mo. quia * *non decet ut stultus*, qualis est Sacerdos sacrilegè nuptias attentans, *melioris quàm peritus conditionis existat*; 2do. quia ex jure civili *nemo de impossibilitate suâ actionem consequitur*; 3tio. quia ità sentiunt & judicant tum Rota, tum supremi Galliæ Senatus; 4to. quia usus legitimus Canonum interpres, ambigua eorum verba hoc in sensu explicuit.

3tio. Vacat Beneficium per resignationem & permutationem completè factas; de quibus statim dicam.

4to. Vacat per atrocia quædam crimina; hæc verò juxta Gibert in iis materiis versatissimum, non alia sunt pro Galliis, quàm octo sequentia, 1mo. assassinatus publicus, sive fiat ope veneni, sive aliter; 2do. homicidium qualificatum, qualis est occisio patris, fratris, prolis propriæ, Episcopi, Presbyteri, Clerici inservientis Ecclesiæ, cujus patronus fit ipse occisor: imò in hoc ultimo casu sufficit mutilatio Clerici; 3tio. hæresis non tolerata, qualis, ait idem Scriptor, est hæresis sociniana; 4to. schisma, sub quo comprehenditur conspiratio adversùs Episcopum; 5to. crimen falsi, præcipuè in Literis Apostolicis; 6to. notabilis læsio Apostolicæ Sedis, in personâ Papæ vel Cardinali-



* *C. 18. de præb. in 6.*

um; 7mo. crimen læsæ Majestatis, cujus etiam conscii sunt falsæ monetæ artifices; 8vo. incarceratio Clerici, eo animo facta, ut ille ad resignandum Beneficium compellatur.

Non addo sodomiam & bestialitatem: quia nihil est eâ de re (saltèm in jure apud Gallos recepto) satis expressum.

Addunt vulgò Theologi, vacare ipso facto Beneficium ratione quasi delicti, quod contingit: 1mo. cum quis ad Beneficium v. g. Sacerdotale promotus, non curat tempore præscripto ad Sacerdotium promoveri: (nisi tamen obtineat à Papâ dispensationem, ut aiunt, *de non promovendo*, seu de non suscipiendis Ordinibus.) 2do. cùm aliquis servat Beneficium cum eo quod jam possidebat incompatibile. Fatendum tamen in utroque hoc casu Beneficia adhuc resignari posse vel permutari, ac proinde ea non vacare prorsus ipso facto. Quin si devolutarius jam aggressus fuerit Beneficiarium, censet Gibert contra alios quosdam Beneficium in favorem resignari posse quando Judex definitivam sententiam non tulit. Sed quidquid sit de hoc Jurisprudentiæ puncto, jam certum esse debet, homicidium simplex, sacrilegium, adulterium, incendium, perjurium, simoniam, confidentiam, hæresim simplicem' incestum cùm pœnitente & alia id genus quamvis atrocia sint, & reum aliquando irregularem faciant, haud tamen ipso facto inducere vacationem Beneficiorum, quæ quis antea legitimè possidebat, licèt occasionem præbere possint, vel Judici ut contra reum depositionis sententiam decernat, vel devolutario ut rei Beneficium impetret.

Quæres 1mo. quid sit resignatio. R. est juris sui dimissio, seu cessio libera: quæ enim per injuriam extorta est, est nulla, aut certè annullanda; cessio hæc vel fit *tacitè*, ut si quis uxorem ducat aut militiæ adscriptus, nolit post trinam monitionem arma deponere, &c. vel *expressè* seu disertis verbis: & hæc duplex est, *pura*, quæ fit sine conditione; & *conditionalis* seu in favorem: eaque vel est simplex, cùm fit absque reservatione; vel *qualificata*, quando fit reservato sibi jure regressûs, vel pensione, aut quibusdam fructibus, vel causâ permutationis.

Resignatio simplex, quæ meliùs dicitur *dimissio*, fieri debet in manibus Collatoris. Sed hic quædam notanda: 1mo. Collatio post resignationem in manibus Episcopi aut Papæ factam sine prævio Patroni laici consensu, nulla est juxta multos, aut certè annullanda, si Patronus conqueratur, quia ejus juri præjudicat. Idem dicendum de resignationibus in favorem, aut permutationis causâ, quæ nè à Papâ quidem in præjudicium Patroni laici admitti possunt.

2do.

2do. Qui purè & simpliciter coram Ordinario resignat, in instrumento dimissionis suæ eum, quem sibi successorem dari exoptat, nominare non potest, etiamsi non uteretur clausulâ *non alias, non aliter, non alio modo*: potest tamen sic resignans, absque simoniâ rogare Ordinarium, ut conferat tali: sed eæ preces nullam imponunt necessitatem huic potiùs quàm illi conferendi.

3tio. Si procuratio ad resignandum in manibus Ordinarii, concepta esset *in favorem*, procurator vitium illud emendare posset: etsi enim *diligenter custodiendi sunt fines mandati*, certè tamen *laudandus est, qui omisit vitium.*

Resignatio in favorem, est cessio Beneficii eâ conditione, & *non aliter* quàm ut alteri conferatur. Hæc resignatio non nisi à Papâ admitti potest.

Si Papa alii quàm resignatario Beneficium conferat, provisio, uti contra mentem resignantis facta, irrita est, idem est si Beneficium certis affectum personis, Choristis, v. g. aut Nobilibus, aliis resignetur; aut si resignetur à minoribus in favorem eorum à quibus pendent, tutorum, v. g. præceptorum, &c. quia in his fraus & dolus præsumuntur.

Quæres. 2do. quid sit permutatio, & quæ ejus conditiones.
R. Permutatio est Beneficii unius sive conformis sive non, cum alio commutatio. Permutatio hæc esse debet rerum ejusdem generis, spiritualium cum spiritualibus, juris in re cum jure in re, & non cum jure ad rem: unde permutari non possunt mandatum vel nominatio ad Beneficium, decimæ, itèm jus patronatûs, officium Capellæ regiæ, Beneficium fundandum, cum Beneficio præsenti. Permutatio non à Papâ solùm, sed ab Ordinario, imò in Galliâ à quibusdam Abbatibus aut Capitulis, quæ jus illud præscripserunt admitti potest, sed fieri nequit privatâ permutantium authoritate. Si permutatio fiat coram Papâ, tutius est, quin & juxta multos necessarium, ut omnia simul compermutantium Beneficia exprimantur. Permutatio tunc tantùm legitima est, cùm primarius ejus finis est Ecclesiæ utilitas.

Quæres 3tio. quid, & quibus competat regressus.

R. Regressus est ad Beneficium permutatum vel resignatum reversio. Regressus conceditur 1mo. ei, qui resignavit causâ permutationis, si contingat eum evinci è Beneficio permutato; aut si detegat ipsum onerari pensione quam ignorabat; 2do. ei qui ut aliud Beneficium à quo evincitur, possideret, renuntiavit suo, sive quia secundum erat incompatibile, sive quia plura tenere noluit: & tunc jus habet regressus, tametsi suum hoc Beneficium alteri collatum & possessioni datum fuerit; 3tio.

 ei qui

ei qui criminis capitalis accusatus Beneficium resignasset, veritus nè innocentiam suam probare non posset, quam tamen probavit; 4to. Novitio qui ad seculum revertitur; sive qui invalidè professus est, modò tamen, aiunt aliqui, Professus ille agat intra tres annos ex quo professio declarata fuit invalida; 5to. & ei præcipuè, qui mortis metu Beneficium suum resignavit: is enim si convalescat, regressûs facultatem habet, *sive resignaverit purè; sive in favorem, sive simpliciter* * *sive sub pensionis reservatione, sive coram Legato, sive coram Ordinario, nec tantùm contra suum resignatarium, sed etiam contra resignatarii successorem* ** modo tamen, aiunt aliqui, morbi mentio facta fuerit in resignatione.

Sed hîc notandum 1mo. conditionem regressûs exprimi non debere, alioquin Beneficium vacabit per obitum; *quædam enim expressa nocent, licèt tacita non noceant*; 2do. resignanti non dari regressum, si recuperata valetudine resignationem probare visus sit; aut per annum totum non reclamaverit.

Ut regressus licitus sit, tria requirit Pontas, 1mo. ut resignans bona fide agat, & spem ac desiderium regressûs deponat; 2do. ut Beneficio suo ad victum indigeat; ut ejusdem Beneficii munia implere possit.

# PARS SECUNDA.

## *DE SIMONIA.*

VIdendum 1mo. *** quid & quotuplex sit simonia 2do. quale peccatum, & à quibus committatur; 3tio. & 4to. dicendum de ejus causis & pœnis.

## CAPUT PRIMUM.

### *Quid & quotuplex sit Simonia.*

SImonia (sic dicta à Simone mago, qui primus in novâ lege Apostolis *obtulit pecuniam* **** ut ab eis acciperet potestatem communicandi, cuicumque vellet, dona Spiritûs sancti)

* Negant aliqui regredi posse eum, qui sibi sufficientem pensionem reservavit. ** *Cabassut.* *** *Ad Lib. V. Decretal. tit.* 3. *E S. Thom.* 2. 2. *q.* 100. **** *Act.* 8. 5.

ſancti) definiri ſolet, *Voluntas ſtudioſa emendi aut vendendi pretio temporali, aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum*, & melius fortè, Actus, quo quis vel mediante temporali, vel contra Eccleſiæ legem intendit pervenire, aut pervenit ad ſpirituale vel ſpirituali annexum. Primam definitionem, ut quæ magis recepta ſit, exponimus. Itaque ſimonia.

Dicitur 1mo. *voluntas*, id eſt volitio: tum quia ſimonia, utpotè peccatum, debet eſſe actus voluntatis, tum quia ſimonia committi poteſt, etiamſi opus non ſubſequatur, alioqui ipſe Simon non fuiſſet ſimoniæ condemnandus.

Dicitur 2do. *ſtudioſa*, id eſt, deliberata. Unde ſi quis ex inculpatâ juris vel facti ignorantia, venderet aut emeret aliquid ſpirituale, non eſſet ſimoniacus formaliter, ſed materialiter tantùm; ſicut aliquis in caſu difficiliori materialiter ſolùm uſurarius eſſe poteſt.

Dicitur 3tio. *vendendi, vel emendi*, hîc verò per emptionem intelligitur contractus quilibet oneroſus: ſicut enim ſimoniacus eſt qui dicit, Do tibi Beneficium ut des mihi equum, ità ſimoniacus eſt qui dicit, Facio ut Decanus eligaris, ut facias me in Præcentorem eligi.

Dicitur 4to. *pretio temporali*, quia ſimonia ut plurimùm committitur cùm aliquid pretio æſtimabile datur pro re ſpirituali; quamquam ſimonia committi poteſt quolibet contractu minimè gratuito, ut ſtatim dictum eſt.

Dicitur 5to. *ſpirituale*, quo nomine intelligitur id quod eſt ſupernaturale, ſeu id omne quod ad cultum DEI, aut ad animæ ſalutem ordinatur, ut gratia gratis data, aut gratum faciens, oratio, Sacramenta, reliquiæ ſanctorum; item omnis poteſtas ſupernaturalis ejuſque uſus, ut actus ordinis vel juriſdictionis eccleſiaſticæ. Hinc Conciones, & Catecheſes ſacræ, quæ prout in Eccleſia fiunt à Clericis, ordinantur ad audientium ſalutem, ſunt materia ſimoniæ.

Dicitur 6to. *vel annexum ſpirituali*: quia quædam ſunt temporalia adeò ſpirituali connexa, ut hæc vendi non poſſint, quin illud vendatur. Sic vendi nequit id quod in Beneficio temporale eſt, quin etiam vendatur quod eſt ſpirituale; ſed de his infrà.

* Obj. 1mo. Ea definitio, non eſt legitima, quæ non convenit omni ſimoniæ: atqui talis eſt allata definitio. Nam 1mo. qui Beneficium precibus obtinet, illud profectò non emit: atqui tamen eſt ſimoniacus ex S. Thoma * 2do. pariter ſimoniacus eſt qui pretium accipit pro omiſſione actionis ſanctæ, v. g. qui propter *emolumentum quodlibet temporale*, non denuntiat

* 2. 2. q. 100.

nuntiat Episcopo publicum peccatum; prout habetur c. 14. *De simon.* atqui nulla hic reperitur venditio spiritualis; 3tio. permutationes & resignationes sine Superioris authoritate factæ, simoniacæ sunt: atqui tamen fiunt sine pretio temporali.

R. ad 1. neg. & dico definitionem nostram competere omni simoniæ prohibitæ jure naturali, quæ sola simoniæ rigorosæ rationem habet, nihil ergo mirum est, si non conveniat permutationibus & resignationibus propriâ authoritate factis, cùm in his solâ occurrat simonia ecclesiastica: his tamen facilè conveniet secunda nostra definitio.

Ad 1. confirmat. dist. maj. Beneficium non emit, qui illud obtinet precibus nudè spectatis, & prout meræ sunt petitiones, C. qui illud obtinet precibus prout habent rationem adulationis, & favoris humani, N. Itaque si preces spectentur ut nuda petitio: non inducunt simoniam, quia non impediunt nè id quod confertur, gratis conferatur; sic dives qui mendico efflagitanti stipem largitur, gratis tribuit. Verum si preces spectentur ut quidam blandiendi modus, quo Beneficii collatorem demulcere conamur, haud dubium est, quin eæ sint pretium quoddam, quod Beneficiorum distributor sæpe pluris quàm aurum æstimat, quòdque à S. Gregorio * *favoris nummus* vocatur. In his ergo cautè pensanda est tum orantium, tum Collatorum intentio, ex quâ fit, ut quod in uno vacat à culpâ, in alio mortiferum sit.

Ad 2. confirm. dist. Simoniacus est qui pretium accipit pro omissione actionis sanctæ, cùm omissio hæc est formaliter aut æquivalenter venditio & emptio rei vel actûs spiritualis, C. semper & in aliis casibus, N. Itaque si omissio actûs æquivalet actui positivo qui sine simonia vendi non possit, aut moraliter proveniat ab eâdem potestate à quâ procedit actus oppositus aut viam paret ad spirituale; jam simoniæ materia erit. Sic 1mo. qui pecuniâ corruptus negaret alicui absolutionem à peccatis in foro interiori, reipsâ simoniæ reum se constitueret: quia talis omissio est usus quidam & exercitium potestatis spiritualis, quod non magis pretio æstimari potest quàm ipsa absolutio; 2do. qui ante obtentum Beneficium dat pecuniam alicui, v. g. antiquiori Graduato vel peritiori, ut non contradicat; item qui, ut recipiat Ordines, pretio dato obtinet, ut qui ejus flagitia novit eadem Episcopo non detegat, est etiam simoniacus: quia tunc emit Ordines & Beneficium, si non in se, saltèm in viâ & dispositivè. Verùm multi sunt alii casus in quibus emi potest omissio actûs spiritualis absque simonia. Sic qui

* *Hom. 4. in Evang.*

qui daret alicui pecuniam ut abstineret à Missâ malè celebrandâ, aut à conferendo simoniacè Beneficio, simoniacus non esset, ut conveniunt omnes.

† Ergo, inquies, simoniaci sunt contractus, in quibus pro tali summâ, tot Missæ celebrantur.

R. neg. seq. quia summæ, quæ pro Missis dantur, non dantur in pretium Missæ, sed in stipendium necessitatis, quia * *Dominus ordinavit iis; qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Et verò unde viverent tot Sacerdotes, quorum tempus omne divino ministerio exhauritur. Hic tamen notandum cum Sylvio, sustentationem sacris Ministris debitam nunquam exigendam esse per spiritualium subtractionem, quia *expressiùs exprimit venditionis speciem, qui prius recipit pretium, quam rem conferat pretiosam.* c. 36. *De simon.*

Simonia dividitur saltem analogè; 1mo. in mentalem, conventionalem, & realem.

Simonia mentalis hîc, non ea est, quæ in solâ mente sistit, nec transit ad opus, quod cautè notandum; sed ea quâ quis dat temporale pro spirituali, aut spirituale pro temporali, sine ullo quidem pacto, tacito vel expresso exteriùs manifestato, sed hâc tamen internâ mentis intentione, ut alium moveat ad dandum sibi spirituale pro suo temporali aut vicissim. Hæc simoniæ species quandoque ab uno solùm, quandoque à duobus committitur. Ab uno quidem, ut si quis Episcopo, Patrono eorumve amicis pro nullâ aut levi mercede serviat, sed eâ mentali prorsus intentione, ut ab iis Canonicatum accipiat. Ab utroque verò, ut si Prælatus Beneficium quod exterius gratis conferre videtur, eâ intentione Titio conferat, ut is Secretarii, aut Capellani partes apud se agat; & is eodem interiori animo acceptet. Quòd si eorum unus quidpiam exteriùs agat aut dicat, unde alter in notitiam perversæ hujus intentionis deveniat, jam quæ initio mentalis erat simonia, transibit in conventionalem, quin & in realem effectu utrinque subsecuto.

Simonia *conventionalis*, est venditio vel emptio rei spiritualis cum pacto tacito, vel expresso, sed reali executione nondum utrinque completa. Si conventio solùm peracta sit, nihilque prorsus traditum aut receptum, simonia dicitur *purè conventionalis;* si verò ex una parte aliquid datum sit, putà si traditum sit pretium temporale, sed nondum tradita res spiritualis; aut vicissim, dicitur simonia *conventionalis mixta*, vel *semirealis.* Neque hæc vera esse simonia desinet, etiamsi promissor habeat intentionem nunquam solvendi; quia qui promittit

* 1. *Cor.* 9.

mittit etiam fictè, mediante temporali, promissione scilicet, pervenit ad spirituale; quod simoniacum est. Haud tamen erit simonia verè realis donec utrinque conventio peracta, aut inchoata fuerit.

Simonia *realis*, est pactum pretii temporalis utrinque completum saltèm ex parte, ut si datum sit Beneficium pro centum nummis, sive ex toto, sive ex parte persolutis: persolutis, inquam, realiter, non autem sola chirographi traditione. Chirographum enim spondet rem pretio æstimabilem, quæ non magìs actu datur scripto quàm verbis: imò verba etiam apud viros mundanæ probitatis asseclas pro scriptis habentur; ergo traditio chirographi non inducit simoniam in sensu Canonum realem, seu quæ canonicis pœnis subjaceat. Et verò si duo sibi scripto promisissent, ille pecuniam, iste Beneficium, & neuter pactum executus esset, quis hic nisi simoniam purè conventionalem agnoscat?

Dividitur 2do. In eam quæ prohibita est, quia mala, seu quæ pugnat contra jus naturale & divinum; & eam quæ mala non est, nisi quia prohibita, & hæc pugnat duntaxat contra jus Ecclesiasticum. Prima, ipsa est venditio rei spiritualis qua talis, ut si chrisma cariùs venderetur, quia consecratum est. Secunda est quævis ratio comparandi spirituale solius Ecclesiæ legibus reprobata, propter reverentiam rei sacræ: ut cùm quis vel permutat Beneficium propria sua authoritate; vel vendit chrisma consideratum ratione solius materiæ. Hæc autem post Ecclesiæ prohibitionem venditio, non obedientiæ solùm, sed & religioni adversatur: sicut sacra communio post jentaculum.

Dividitur 3tio. in simoniam simpliciter, de quâ hactenus, & simoniam confidentialem. Hæc porrò definitur simonia conventionalis mixta, qua quis procurat Beneficium alteri cum pacto tacito vel expresso, quòd iste, illud idem posteà resignaturus sit, seu ipsimet procuranti, seu alteri cuilibet ad nutum procurantis, aut ex eo vel fructus, vel pensionem aliquam sine legitimâ authoritate constitutam soluturus sit.

Dicitur 1mo. *simonia*, quia per confidentiam datur vel spirituale pro temporali, ut cùm confertur Beneficium sub onere pensionis ex eodem persolvendæ; vel datur spirituale pro spirituali, sed contra Ecclesiæ leges; ut cùm datur Beneficium sub conditione futuræ retrocessionis.

Dicitur 2do. simonia *conventionalis*, quia ut confidentia subjaceat canonicis pœnis, prærequitur partium conventio saltèm tacita.

Dicitur 3tio. *mixta*, pura enim conventio nullâ ex parte impleta,

impleta, non induceret juris pœnas. Conventio igitur ex parte impleri debet, nempe Beneficii traditione; & ex tunc incurruntur pœnæ.

Dicitur 4to. *quâ quis procurat Beneficium*: quæ verba ostendunt 1mo. confidentiam posse reperiri non in præsentationibus solùm aut collationibus, sed & in resignationibus & electionibus, 2do. eandem non habere locum nisi in Beneficiis; unde confidentiarius non est, qui vel pensionem recipit sub pacto futuræ retrocessionis; vel consentit, ut Beneficio quod olim canonicè accepit, pensio imponatur, præmisso pacto quod pensionarius post aliquot annos, v. g. absoluto studiorum cursu, illam transferat in tertium. Ratio est, quia pensio non intelligitur nomine Beneficii in materiâ confidentiariâ, ut definiit Rota. Qui tamen, ut Beneficium recipiant, pensionem spondent; qui itèm Beneficium dando pensionem exigunt, sunt confidentiarii, & confidentiæ pœnis subjacent, ut dicam cap. 4.

Dicitur 5to. *cum pacto*: sublato enim eo pacto, vel nulla occurreret simonia, vel non occurreret confidentialis. Hinc confidentiæ reus non est, qui sine ullo pacto dat Beneficium Titio, confidens Titium eidem Beneficio in favorem tertii renuntiaturum esse, si fortè ad Episcopatum promoveatur. Pariter à confidentiâ, imò & à peccatis immunis est, qui Beneficium quod ante possidebat abdicat in manu præsentatoris, quem precatur ut illud nepoti suo conferat; quia preces si bonâ fide fiant, pactum nullum involvunt, & plenam patrono relinquunt libertatem conferendi Beneficium, cui voluerit.

Sed quid, si Petrus Beneficium resignet Mævio, impositâ ei obligatione, ut idem conferat Joanni, & Mævius resignationem acceptet cum verâ intentione conditionem hanc non implendi?

R. quidquid dicant viri graves veram hîc reperiri confidentiam, aut saltèm magnum ejus periculum: 1mo. quia resignatarius dum tacet consentire videtur, præsertim in casu citato, in quo contra propositionem adeò malam insurgere tenetur; 2do. quia Pius V. in Bullâ 85. docet *confidentiæ crimen, alterius tantùm partis conscientiâ* admitti: quæ verba naturaliter intellecta, ostendunt ad confidentiam sufficere malam unius partis intentionem alteri parti cognitam, ejusque silentio quasi approbatam.

Dicitur 6to. ut qui Beneficium accipit. *idem resignet*; quia confidentia non committitur: nisi in duobus casibus: 1mo. cùm procuratur alicui Beneficium, eo pacto, ut *illud ipsum* vel pro-

curanti vel alteri aliquando renuntiet: 2do. cum procuratur Beneficium cum reservatione pensionis aut fructuum ex eodem percipiendorum, sive ab ipso procurante, sive ab alio quem designat. Hinc docent Canonistæ, confidentiam quatuor modis committi; accessu nimirum, ingressu, regressu, & stipulatione pensionis.

Confidentia committitur *accessu*, quando is, qui ad Beneficii provisionem concurrit, confidit ex inito pacto idem Beneficium sibi vel alteri resignatum iri, cùm sublata fuerint impedimenta, propter quæ Beneficium illud, actu & de facto à me, vel ab alio possideri nequit; & ideò confidentia hæc dicitur fieri per accessum, quia per eam accedo ad Beneficium, de quo nunquam provisus fui.

Confidentia committitur *ingressu*, cùm quis Beneficium sibi collatum, sed cujus possessionem nondum cepit, resignat alteri, servato sibi jure ingrediendi possessionem illius, positâ quâdam conditione; puta si resignatarius præmoriatur, aut pinguius Beneficium recipiat.

Confidentia committitur *regressu* cùm quis eo pacto resignat Beneficium cujus jam possessionem iniit, ut jus habeat in illud regrediendi, si, v. g. resignatarius aliud recipiat incompatibile, aut si pensionèm non solvat. Regressum aliquem in Galliâ licitum esse diximus suprà.

Denique confidentia committitur *stipulatione pensionis*, cùm quis ut Beneficium recipiat, spondet se ex ejusdem fructibus soluturum esse pensionem conferenti, resignanti, aut alii ex eorum voluntate.

Ex his colliges simoniam non esse confidentialem, sed conventionalem tantùm, 1mo. quando quis resignat aut permutat Beneficium eâ conditione, ut resignatarius, aut compermutatarius, *aliud* Beneficium quod possidet, dimissurus sit in favorem tertii; quia ad confidentiam requiritur, ut accessus, ingressus, & regressus sint in idem Beneficium: tunc autem non est accessus in idem, sed in aliud.

2do. cùm præsentans, eligens, aut conferens exigunt ut promovendus, promissum aliquod temporale refundat in remunerationem, nisi per illud temporale intelligantur fructus Beneficii, ad cujus provisionem concurrerent; aliàs omnis simonia foret confidentialis, quod tamen falsum est, cùm Pius IV. & Pius V. omnem confidentiam ad quatuor casus recensitos restringant. Et hoc maximè notandum est, quia pœnæ in confidentiarios, sancitæ graviores sunt quàm quæ in simoniacorum species decernuntur; eò quòd confidentia, licèt malum simoniâ minus, plures in Ecclesiam abusus invehat.

Quæres

Quæres an Titius, qui Canonicatum ſuo pinguiorem poſtulat à Capitulo, hunc acceptare poſſit cum pacto ſuum remittendi in manus Capituli.

Affirmant Sambovius, Pontas, & alii communiter ſaltèm in praxi; voluntque nullam hîc occurrere confidentiæ aut alterius ſimoniæ ſpeciem. Non confidentiæ, quia non ſpondetur *idem* Beneficium; non ſimoniæ alterius, quia Titius id ſolùm ſpondet ad quod jam tenebatur, cùm duos Canonicatus ſimul tenere nequeat. Sicut ergo, inquiunt, Capitulum citra ſimoniam exigere poteſt, ut Titius omnibus officiis interſit, quia id jam debet; ſic & in propoſito. Hæc opinio quam ob communem praxim impugnare non audeo, ſupponit Titio moraliter conſtare, Beneficium quo ſe exuit, non niſi digno collatum iri.

---

# CAPUT SECUNDUM.

## *Quale peccatum Simonia, & à quo committatur.*

DUo hic quæruntur: 1mo. quale peccatum ſit ſimonia; 2do. an hujuſce peccati reus ſit qui dat munus temporale, non ut pretium rei ſpiritualis, ſed ut motivum, & quaſi incitamentum, quo, v. g. Beneficii Collator moveatur ad ejus collationem; aut qui ſe obligat ad dandum temporale pro ſpirituali, non quidem ex juſtitiâ, ſed ex gratitudine. Sit

Conclusio I. Simonia peccatum eſt grave.

Prob. 1mo. quia ſtatim ac Simon ſuam de comparando pecuniâ Spiritu ſancto intentionem Apoſtolis expoſuit, his quaſi fulgure, S. Petri verbis perculſus eſt: * *Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri ... in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe*: atqui verba hæc grande ſcelus ſupponunt; ergo.

Prob. 2do. ex Canonibus. Gelaſius Papa relatus 1. q. 1. c. 6. *Dantem*, inquit, *& accipientem damnatio Simonis involvit*. Paſchalis relatus 1. q. 7. cap. ult. *Omnia*, inquit, *crimina ad comparationem ſimoniacæ hæreſis quaſi pro nihilo reputantur*. Idem eſt ſtylus aliorum Canonum, â quibus ſimonia vocatur *execrabile flagitium, flagitium piaculare; &c.*

Prob. 3tio. Vitium juri naturali, divino, humano, religionique oppoſitum, pro grandi crimine haberi debet: atqui ſimonia adverſatur

* *Act.* 8.

adversatur 1mo. juri naturali, jus enim naturæ vetat nè ea vendantur quæ sunt invendibilia, qualia sanè sunt spiritualia & spiritualibus annexa; 2do. repugnat juri divino, & voluntati DEI, qui Matth. 10. dixit: *Gratis accepistis, gratis date,* 3tio. repugnat juri humano, seu ecclesiastico, seu civili, ut patet tum ex titulis *De simoniâ* in Jure canonico contentis, tum ex Regum nostrorum edictis, ac præcipuè ex Pragmaticâ Sanctione S. Ludovici, & Caroli VII. 4to. denium idem scelus religioni oppositum est in ratione sacrilegii, cùm per ipsum sanctissima quæque profanè, & indignè tractentur.

Neque in hoc scelere datur materiæ parvitas, hæc enim repeteretur, vel ex parte rei spiritualis, vel ex parte pretii pro eâ dati. Non ex primo capite, quia res spiritualis quæcumque ea sit, tam alti est ordinis, ut indigna ejus contrectatio, gravis censeri debeat: non ex altero capite, qui econtra quò vilius offertur pro re spirituali pretium, eò magis contemni censetur; adeòque gravior est, quæ in eam committitur irreverentia.

CONCLUSIO II. Ut quis simoniæ reus sit, non requiritur ut det aut accipiat temporale tanquam pretium rei spiritualis, sed sufficit, ut det temporale tanquam motivum ejus obtinendæ.

Prob. 1mo. quia admissâ Casuistarum subtilitate, nè ipse quidem Simon simoniacus fuit. Quis enim putet eum eò usque delirasse, ut crederet pecuniam quam Apostolis offerebat, ejusdem esse pretii cum Spiritu sancto? Sanè hoc ei unum exprobravit S. Petrus, quòd existimaret *donum Dei pecuniâ possideri.* An non autem æquè possedisset, si pecuniam dedisset in motivum, quo Apostolos flecteret, quàm si eandem obtulisset instar pretii.

Prob. 2do. quia si valeat opinio Casuistarum, jam nemo, nisi rudis & omnino hebes, simoniam incidet, nemo in exteriori foro ut simoniacus condemnari poterit. Ecquis enim non fugiet simoniam, dum pecuniam, quâ Beneficia comparabit, non ut pretium Beneficiorum dabit, sed ut motivum, quo patronos aut alios ad eorum collationem inducat. Quis intentam sibi simoniæ accusationem non eludet in foro exteriori? Quis convincetur pecuniam dedisse ut rei sacræ pretium? Certè nè ipsa quidem Ecclesia de secretâ cordis intentione judicare potest.

* Prob. 3tio. quia * *Chalcedonense Concilium condemnat eos, qui Ecclesiæ Beneficium interventu pecuniæ acquirunt*: sed qui pecuniam dant ut motivum, Beneficia indubiè acquirunt pecuniæ

* *Can.* 9. I. q. 3.

cuniæ interventu. Meritò igitur Innocentius XI. & Clerus Gallicanus anno 1700. damnarunt hanc propositionem, *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.*

Prob. 4to. Qui dat munus Judici ut motivum ad obtinendam sententiam iniquam, dicitur emere justitiam, & Judex qui propter hæc munera jus dicit, dicitur vendere justitiam, quia nempè dat unum loco alterius; ergo à pari in proposito.

† Hinc simoniæ reus est: 1mo. qui Magnatis domum ingreditur principaliter ut Abbatiam obtineat.

2do. qui consanguineo Præbendam confert, *ut magnificetur per hoc, & nobilitetur domus sua.* Ità S. Thomas, in 4. dist. 25. q. 3. ad 3. Secùs, ait idem alibi * *si conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcumque carnalem affectionem; tunc* enim *est quidem illicita & carnalis affectio,* si minùs digno dederit, *non tamen simoniaca, quia nihil ibi accipitur.*

3tio. qui *dat Beneficium alicui hoc pacto, vel intentione ut exinde suis consanguineis* vel aliis pauperibus *provideat; id* enim *est manifesta simonia,* ait S. Thomas.

4to. & id etiam dicendum de iis, qui Tonsuram recipiunt, ut consequantur Beneficium, cujus temporale præcipuè intendunt; ii enim simoniam committunt saltèm mentalem.

5to. *Clericus qui vadit ad Ecclesiam principaliter propter retributiones, quas recipit tanquam finem sui operis, (principaliter intentum) committit simoniam.* ità S. Thomas Quodlib. 5. q. 8. a. 12.

6to. hinc & reus est simoniæ, qui in aliquâ Diœcesi spiritualia munia exercet, ut Canonicatum, ut aliquam dignitatem assequi possit: *Qui* enim, ait S. Bernardus, Lib. *De vitâ & morib. Clericorum,* cap. 5. *evangelisat ut manducet, perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur,* qui tamen habet *principalem finem Deum in tali actu, ad ejusmodi autem retributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id quod est necessarium ad suam sustentationem, constat quòd non vendit actum spiritualem, & ità simoniam non committit, nec peccat.* S. Thomas Ibid.

Hæ propositiones, *Memor ero Beneficii, quod mihi confers, ergo gratus, suo tempore gratias agam,* nisi determinentur ad piam



* 2. 2. q. 100. a. 8.

coram Deo gratitudinem, quæ naturali jure debita est, periculi plenæ sunt, & ab iis penitus est abstinendum; nè intelligantur temporali sensu, & moveant Collatorem.

Obj. 1mo. Qui pauperibus stipem erogat, ut ipsorum preces impetret, si non intendat preces emere, sed duntaxat pauperum animos ad eas fundendas per beneficium gratuitum commovere; simoniæ reus dici nequit ex S. Thomâ;* ergo à pari.

R. neg. conseq. 1mo. quia dans pauperi stipem ut ejus precibus adjuvetur, earum excellentiæ, non derogat, & sequitur ordinem divinæ providentiæ, quæ vult ut peuperes spiritualem eleemosynam iis impendant, à quibus corporalem recipiunt qui verò muneribus Beneficium comparant, divinæ providentiæ ordinem abjiciunt, & Beneficii spiritualis excellentiæ derogant, cùm in hoc Beneficio nonnisi honorem aut emolumentum considerent; 2do. quia Pauper non aliâ quàm precum via, gratum se & memorem exhibere potest; unde necessum est, ut vel oret pro benefactoribus, vel contra Dei legem ingrati animi notam sustineat: ostendatur tale quidpiam in eo qui pecuniam danti Beneficium rependit.

Obj. 2do. ex c. 30. *De simon. Illud gratanter recipi poterit, quod fuerit sinè taxatione pretii gratis oblatum;* ergo tunc solùm committitur simonia, cùm datur vel accipitur aliquid per modum pretii.

R. neg. conseq. etsi enim illud quod omnino gratis datur, simoniam non continet, illud tamen censeri debet simoniacum, quod datur vel accipitur titulo non penitus gratuito: atqui quod datur eo fine & conditione, ut Beneficium ab alio obtineatur, usque adeò non datur gratis, ut seclusâ Beneficii expectatione non daretur; ergo gratis non datur.

---

# CAPUT TERTIUM.

## *De causis Simoniæ.*

Duplex est simoniæ causa, de quâ lis moveri possit, efficiens scilicet, & materialis. Causa efficiens, est subjectum committendæ simoniæ capax. Causa materialis; seu materia *circa quam*; vel est *proxima*, venditio scilicet & emptio; vel *remota*, eaque vel est pretium *quo* emitur, vel ipsa res spiritualis *quæ* emitur; & hæc rursus, vel ex rei naturâ, vel solùm ob Ecclesiæ prohibitionem vendi, aut commutari non potest.

Quod

* *q.* 100. *a.* 3.

Quod spectat ad subjectum simoniæ, certum est eam committi: 1mo. ab iis, qui *cujuscumque status, gradûs, ordinis, conditionis vel præeminentiæ fuerint*, dant vel accipiunt temporale pro spirituali; 2do. ab eorum mediatoribus, qui idcirco excommunicatione feriuntur, *à quâ nisi à Romano Pontifice non possint absolvi præter quam in mortis articulo.* Utrumque habetur Extravag. 2. commun. *De simonia.* 3tio. & utcumque ab iis qui *pro officii sui loco contra simoniacam hæresim vehementer non exarserint*, cap. 5. 1. q. 1.

Hinc summus ipse Pontifex incurrere potest simoniam jure naturali & divino prohibitam. Ratio est quia Papa, sicut ceteri, juri naturali, & divino subditus est; ergo si contra jus illud ageret, ut agere potest quatenus homo: si, v. g. Ordines, vel Grana benedicta majori venderet pretio quàm valeant ratione materiæ, & solùm propter consecrationem, non minùs simoniacus foret quàm *quilibet alius homo*, ut docet S. Thomas hîc art. 1. ad 7.

Quin & censent plures Papam incurrere posse simoniam juris humani, exigendo, v. g. pecuniam pro Officiis per Ecclesiæ leges vendi prohibitis. Ratio est 1mo. quia princeps jure naturali tenetur sequi legem quam aliis imposuit, cùm ratio legis parem in utrisque locum habet; ergo peccabit Papa, si leges ab Ecclesiâ latas transgrediatur; nec peccabit peccato solùm scandali, ut aliqui censent, sed vero simoniæ peccato: quemadmodum si præceptum Ecclesiæ de servando per Quadragesimam jejunio violaret, non scandali solùm, sed etiam intemperantiæ reum se constitueret.

2do. quia Papa non est nisi dispensator in legibus sapienter constitutis; ergo si sine rationabili causâ secum dispenset, dispensatio hæc non impedit, quominùs verè censeri debeat legum Ecclesiæ transgressor, ac proinde simoniacus, si eas contemnat quibus prohibetur simonia.

Ex quibus à fortiori sequitur à Ministris Papæ, non secus ac ab aliis committi posse simoniam jure divino & ecclesiastico prohibitam. De priori nulla est difficultas, de eâ verò quæ jure solùm positivo proscribitur, dubitant aliqui si sciente & dissimulante Pontifice exerceatur, quia tunc videtur tacitè dispensare: ea tamen taciturnitas, juxta plures alios, non est sufficiens Pontificiæ dispensationis argumentum, tum quia fieri potest ut Papæ silentium sit negligentiæ effectus, non approbationis; tum quia non semper expedit, ut Superior pœnas omnes lege suâ inclusas, ejusdem transgressoribus inferat; ergo ex Pontificis taciturnitate, dispensatio colligi nequit, nisi diuturno tempore silentium servet; quia lex, quæ sciente & diu dis-

 simulan-

ſimulante legiſlatore infringitur, cenſetur per deſuetudinem abrogari. His poſitis, ſit

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De materiâ proximâ Simoniæ, ubi de cauſis à Simoniâ excuſantibus.*

FAtentur omnes materiam proximam ſimoniæ eſſe venditionem vel emptionem, per quas intelligitur contractus quilibet, ſive nominatus, ſive innominatus, quo datur temporale pro ſpirituali. Hîc autem, ut alibi, dat temporale, qui ipſum remittit; & dat ſpirituale, qui ſpirituali renuntiat: unde accedente pacto ſimoniacus eſt. Sex tamen ſunt caſus in quibus poteſt temporale quid recipi ſine ſimoniâ: ii verò ſunt 1mo. liberalitas ſeu gratitudo; 2do. ſtipendium & debita ſuſtentatio; 3tio. labor: 4to. amiſſio commodi temporalis, quo quis ſe privat faciendo opus ſpirituale: 5to. conſvetudo legitima: 6to. redemptio vexationis iniquæ.

1mo. quidem gratuita donatio à ſimoniâ excuſat: quia quod omnino gratis datur nec datur per modum pretii, nec eâ intentione, ut is cui fit donum temporale, ad alterius doni refuſionem accendatur. Fatendum tamen ſub hoc gratuitæ donationis titulo ſæpius latitare ſimoniam, dum id quod gratis dari dicitur, plerumque vix aliâ quàm obtinendi Beneficii intentione datur, aut datur ex pacto; cùm tamen pactum ex naturâ ſuâ obligationem fidelitatis & juſtitiæ importet, ac proinde gratuitæ donationis naturam evertat. Adde quod ſæpe contingat ut obligatio autidoralis per pactum reſtringatur; hæc autem reſtrictio ad aliquod determinatum, eſt æſtimabilis pretio, tollitque gratitudinem quæ eſt generalis. Ex quibus ſequitur, ſimoniacas eſſe has conventiones quas excuſat Bonacina: Do tibi gratis pecuniam, ut ex gratitudine mihi conferas Beneficium, & viciſſim. Neque verò tam expreſſa conventio requiritur, ſed ſufficit tacita; quam ſemper adfuiſſe præſumet Confeſſarius, cùm pœnitens dans Beneficium, & ſperans pretium, exigit, vel etiam verbis, aut nutibus alterum hortatur, ut ſuo tempore memorem ſe præbeat. Faciliùs tamen præſumitur ſimoniaca intentio: 1mo. ſi quid diviti aut Superiori ſpondeatur, aut detur à paupere, vel inferiore, vel actu neceſſitatem patiente, ii enim non tam liberales eſſe ſolent; 2do. ſi res data vel promiſſa talis ſit momenti, ut communiter dari non ſoleat gratuitò.

2do. excusat titulus stipendii & legitimæ sustentationis. *Quis enim militat suis stipendiis unquam* * Hinc culpâ carent, sive fideles qui Ecclesiæ ministris temporalia bona largiuntur; sive Ministri qui Christi exemplo pias oblationes, vel alia stipendia ex consuetudine, vel Ecclesiæ legibus accipiunt. Hic tamen sub stipendii prætextu sæpe latet simonia, vel aliquid instar simoniæ prohibitum. Unde 2do. juxta multos, qui plùs exigit stipendii quàm sibi verè debitum sit, non injustitiæ solùm, sed & simoniæ reus est; quia quod stipendii locum non habet, non alio excipi videtur titulo quam in pretium spiritualis ministerii. Idem dicendum de iis qui novo stipendio paciscuntur pro functionibus ad quas jam ex officio tenentur.

3tio. excusat labor; sed labor duplex est, alius actioni spirituali intrinsecus, ut fatigatio necessaria ad concionem, aut celebrationem Missæ; alius extrinsecus; sine quo opus fieri potest, ut celebratio vel concio facienda in loco admodum remoto. Labor intrinsecus, nunquam vendi potest sine simoniâ; quia labor ad actionem necessarius, in unum cum eâ opus coalescit, & sic ejusdem fit cum ipsâ conditionis: quid enim aliud est labor in celebrandâ Missâ intrinsecè necessarius quàm recitatio orationum, oblatio, consecratio; & alia ejusdem generis quæ sunt ipsa Missa; ergo cùm Missa sine immani sacrilegio vendi non possit; nec labor eidem intrinsecè necessarius vendi potest. Aliud est de labore extrinseco is enim seorsim pretio æstimari & vendi potest: Sic Sacerdos qui ut Missam celebret, longius iter peragere debet, pœnam hanc compensare potest; idem de eo dicendum qui adstringit se ad celebrandum hora graviter incommoda.

4to. Excusat à simonia sicut ab usura lucrum cessans & damnum emergens: hinc simoniæ labem non contrahit, qui accipit pecuniam, non quidem ut alteri Beneficium procuret, sed ut suum compenset laborem in scribendo, iter agendo, &c. hæc enim pretio sunt æstimabilia. In his tamen laboris solius non autem Beneficii habenda est ratio, nec pensandus laboris successus, aut Beneficii pinguedo; quia tunc pretium pro Beneficio traderetur, quatenus labor non in se, sed ratione Beneficii æstimaretur, quod simoniacum est; unde fatentur Doctores, simoniam committi ab eo, qui tradit alteri pecuniam, eumve promissis, aut muneribus impellit, ut pro se Beneficium à Rege, aliove Collatore postulet; quia tunc *muneris interventu spiritualia assequitur*, ** quod nunquam licet.

5to. Excusat consuetudo legitima & laudabilis qualis reputatur non ea quæ ab exactione, aliisve similibus principiis

 originem

* 1. *Cor*. 9. ** *S. Thom. hic. a. 6.*

originem duxit, ſed quæ ex pietate & liberalitate populorum nata eſt; quod enim ex tali conſuetudine datur; non in pretium rei ſpiritualis datur, ſed permodum oblationis & ſtipendii. Ubi tamen quædam vigent conſuetudines quæ ſimoniam ſapiunt, videndum quid ſentiant Confeſſarii, Doctores, Prælati, & præſertim quid ferat Curiæ Romanæ ſtylus.

Quæres. quid ſentiendum de conſuetudine juxta quam quædam capitula à novis Canonicis exigunt vel munuſcula, ut chirotecas, vel certam pecuniæ ſummam, vernaculè *Droit de Chape*.

R. conſuetudinem exigendi pecuniam à novis Canonicis, ſeverè à Tridentino * prohibitam fuiſſe, ut quæ ſuſpicionem habeat *ſimoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ*; ibique præceptum Epiſcopis, ut exactiones illas vetent nisi *pios in uſus* ſint convertendæ. Quod ſpectat ad chirotecas, & alia id genus venia, ſacra congregatio Cardinalium declaravit fas non eſſe ea recipere aut diſtribuere. Addunt aliqui Canonicum non poſſe in conſcientiâ dona hæc largiri, ne peccatis alienis communicet; ſed recurrere debere ad Epiſcopum aut ſaltèm Magiſtratum, qui non patietur Rempublicam iniquis iis vexationibus turbari.

6to. Excuſat redemptio injuſtæ vexationis, quam pecuniâ, aut muneribus arcere poſſunt, qui injuſtè nec ad Superiorem recurrere valentes, impediuntur à conſecutione boni ſpiritualis *in quo* jus habent. Ratio eſt, quia non tradunt temporale pro ſpirituali, quod jam verè ipſorum eſt: ſed pro liberatione ab injuria & ceſſatione vexationis, quæ eſt aliquid temporale.

Sed hîc cavendum 1mo. nè res quæ ad inique vexationis redemptionem traditur, ſit ſpiritualis, ſi quis enim in pingui Beneficio vexetur, & tenue vexatori tradat aut promittat, ſimoniacus eſt, quia dat ſpirituale pro temporali.

2do. Nè vexatio quæ redimitur, juſta ſit, aut ſaltèm probabilis, tunc enim pecunia non tam datur pro ceſſatione vexationis, (cùm non vexet, qui jus ſuum proſequitur,) quàm pro re ſpirituali, ad quam moraliter loquendo mediante pecuniâ pervenitur. Et verò non licet pecuniæ ope facere, ut jus adhuc infirmum, firmum evadat.

3tio. nè redemptio ab iis fiat qui non habent *jus in re*, ſed ſolùm *jus ad rem*; quæ conditio graviter eſt ponderanda: inde enim ſequitur, eum qui à Patrono nominatus eſt ad Beneficium, cujus inſtitutio ſibi iniquè denegatur, ſimoniacum eſſe, ſi

vexationem

* *Seſſ.* 24. & 14.

vexationem hanc pecuniâ redimat, quia sola institutio canonica tribuit jus in re.

Idem de eo credimus, qui ut Collatoris consanguineum sibi ex infenso amicum reddat, eidem munera offert, nè diutiùs Collatorem à conferendo sibi Beneficio avertat. Ità docent S. Thomas, S. Antoninus, Rebuffus, Caballut. lib. 5. cap. 3. 8. Pontas hic casib. 29. & 30.

4to. Cavendum, nè ablatio vexationis sit collatio boni spiritualis, quia ut hæc emi non potest, sic nec illa tunc redimi posset. Hinc electus ad Beneficium, cujus Episcopus injustè confirmationem denegat, vexationem hanc redimere nequit; quia in hoc casu remotio vexationis nihil aliud est quàm confirmatio, quæ cùm sit actus spiritualis emi non potest.

Unde contra quosdam infero, non licere largiri pecuniam Sacerdoti qui alicui in extremâ necessitate constituto Baptismum gratis conferre non vult: nam pecuniam dare pro removendâ hâc injustitiâ, est eam dare pro ipsâ Baptismi collatione. Posset tamen licitè emi aqua à Sacerdote, quia aqua merum est elementum; posset etiam, ut opinor, emi cognitio verborum quæ in Baptismatis administratione proferri debent, sicut pretio emi potest Theologiæ cognitio, quia hæc omnia docere non est functio per se spiritualis.

5to. In re tam periculosâ recurrendum est ad Superiorem, si ad eum pateat accessus. Ità statuerat S. Carolus Borrom. prohibens nè quis ipso inconsulto redimeret injustam vexationem: tum quia sæpe injusta videtur quæ justa est; tum quia Superior ut pater communis poterit litem componere, & sic omnem simoniæ suspicionem removere.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Munere Simoniaco.*

PRetium, seu munus simoniacum, quod pro re spirituali traditur triplex est ex S. Gregorio Hom. 4. in Evang. Nam *aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à linguâ.*

Munus ab obsequio, est quodlibet opus indebitum & temporale præstitum aut præstandum in commodum aut utilitatem alterius, sub pacto expresso vel implicito, aut cum intentione acquirendæ alicujus rei spiritualis. Hinc simoniaci sunt, 1mo. qui Magnatum negotia gerunt, aut pueros ad literas infor-

mant, ut eorum favore Beneficium consequantur; 2do. qui alicui Beneficium donant, ut extinguatur stipendium quod alioqui solvere tenerentur; 3tio. qui præsentant aliquem ad Beneficium cum pacto, ut vel tot Missas pro iisdem dicat, vel quæ in fundatione præscribuntur certo die, & tali horâ celebret, cùm ex Beneficii titulo locus & tempus celebrandi, Beneficiarii libertati permittuntur. Ratio est, quia in his omnibus promittitur, datur, aut exigitur aliquid pretio æstimabile; aut obligatur libertas, cujus obligatio pretium habet. Et verò qui hæc exigeret in materiâ mutui, censeretur usurarius; ergo in materiâ præsenti censeri debet simoniacus.

Dixi 1mo. *opus quodlibet*, ut comprehenderem tum illud quod honestum est, tum etiam turpe.

Dixi 2do. opus *indebitum*; quia si obsequium temporale quod exigitur ab eo, cui confertur Beneficium aut res spiritualis, annexum sit Beneficio aut rei spirituali, putà quòd Canonicus psallat in Choro, exigi potest sine simoniâ. An autem possit Episcopus conferre Beneficium alicui cum pacto ut sibi solvatur summa debita, controvertunt Theologi. Certè multò tutius est, ob errandi periculum; abstinere ab iisce pactis; cùm pactum omne à jure reprobetur.

Dixi 3tio. opus *Temporale*, quia permutare spirituale pro spirituali extra Beneficiorum materiam nullo jure prohibitum est. Unde simoniæ expertes sunt, laicus aut alius quilibet qui pro reliquiis Reliquias donat; Sacerdos qui pro alio celebrat cum onere, ut is pro se aliâ die celebret; Episcopus qui Beneficium alicui confert, ut zelum ejus & officia populis præstita compenset juxtà id Apost. I. ad Tim. 3. *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent.*

*Munus à manu pecunia est*: porrò *per pecuniam intelligitur* quælibet externa, *cujus pretium potest pecuniâ æstimari*; sive sit res mobilis; sive immobilis, sive corporalis, sive incorporalis, atque etiam ejus privatio, vel promissio & obligatio. Hinc munus à manu dare vel polliceri censetur 1mo. qui Patrono aut Collatori pensionem remittit, aut debitum præsens vel futurum; qui enim remittit, moraliter donat. Imò non solùm qui debita sibi, sed etiam qui debita Ecclesiæ remittere promittit, simoniacus est, quia censetur aliena rapere ad donandum, & ità munus à manu confert, licèt de re alienâ. Pariter simoniacus est, tum qui bona tradit Ecclesiæ cum pacto ut in ipsâ recipiatur in Canonicum; tum qui Capellam fundat eâ intentione ut ipsa sibi conferatur; tum Episcopus aliquem ordinans sub promissione quod nihil ab eo in locum tituli petiturus sit. Et id extendunt Suarez & Navarrus ad eos

qui

qui ex bonis suis titulum alicui constituunt recepta nihil unquam exigendi promissione; atque hinc est quod Episcopus & præsentator in hoc casu censuris subjaceant, ut patet ex cap. 45. tit. 3. Lib. 5. Decretal. qui cùm sit de simoniâ, eosdem simoniæ reos supponere videtur.

2do. Munus à manu dare vel spondere censendi sunt, qui Beneficium accipiunt sub conditione locandi domum suam pretio minori, desistendi à lite justè impactâ, pecuniæ mutuo dandæ, &c.

3tio. Ejusdem sceleris rei sunt, qui solvunt expensas à resignante factas in consecutione Beneficii; qui suscipiunt in se onus restaurandi domum pastoralem: qui ex pacto emunt domum & suppellectilem resignantis utpotè inquiunt, eijam inutilem; qui debita ejus ex eodem pacto solvunt. Ratio est, quia hæc omnia pretio sunt æstimabilia; adeòque si ex pacto fiant, à simoniacâ labe excusari non possunt.

4to. Per munus à manu, intelligi potest donum omne, quod jus positivum dari vetat pro re spirituali; & sic Beneficium pro alio Beneficio sine Superioris authoritate datum, est munus à manu.

*Munus à linguâ est favor*, id est laus, commendatio, adulatio, preces & similia, quæ ex vi pacti expressi vel taciti linguâ exerceri solent in favorem illius, qui rem spiritualem confert. Hinc simoniaci sunt, 1mo. qui dat Beneficium alteri, ut ejus pater Regi de se bene loquatur; 2do. qui in Concionibus & in Pœnitentiæ tribunali Magnatibus adulatur, ut inde aliquid temporalis commodi reportet; 3tio. qui conciones sacras habet, ut hominum laudes promereatur; 4to. qui ad Potentum preces Beneficium conferunt, ut eos sibi devinctos habeant, nam humanum favorem & gratiam habere apud Magnates, est pretio æstimabile. In his tamen ob pacti defectum non alia vulgò erit simonia quàm mentalis: imò vitia hic quidem multa agnoscit Suarez cap. 40. n. 14. non tamen simoniam.

Ut quædam solvantur difficultates.

Quæres. 1mo. an qui precibus pro alio porrectis motus Beneficium confert, sit simoniacus.

R. 1mo. Collator ille simoniacus est, si intendens aliquem sibi obligare, promittat se Beneficium ad ejus preces collaturum esse. Ratio est, quia Collator ille per hujus Beneficii promissionem negotiatur favorem temporalem alterius, quærítque eum sibi obligatum habere: qui verò Beneficium desiderat, efficit ut alter se Collatori submittat eum precando, quod ex omni parte est pretio æstimabile.

R. 2do. seclusa hac aut simili intentione, non esse simoniacum, qui ad alicujus preces Beneficium concedit, potissimùm si digno & capaci concedat: 1mo. quia, ut alibi diximus, preces sumptæ ut nuda petitio, non impediunt nè res gratis detur nec ex se ordinantur ad honorem ejus, qui rogatur, sed potiùs in utilitatem rogantis; 2do. quia exaudire petentem Beneficium pro eo, qui de Ecclesiá bene merebitur, per se bonum est; 3tio. quia in id conspirat totius Ecclesiæ praxis, idque à jure satis approbatum est, ut patet ex cap. 34. *De simonia*, & ex cap. 121. & 122. 1. q. 1.

Quòd si preces fiant pro indigno, tunc juxta S. Thomam, *factum est simoniacum*; quia cùm Collator non moveatur ex dignitate personæ cui Beneficium confert, indicium est eum moveri favore humano, & receptione vel spe rei alicujus pretio æstimabilis. Fatendum tamen S. Thomam loqui potiùs de Simonia præsumpta, quam de simoniá quæ semper & necessariò occurrat: si enim preces pro indigno fusæ simoniam constituant, eædem pro digno fusæ simoniam constituent; sicut munus à manu non minùs pro digno quàm pro indigno simoniam facit.

Quæres. 2do. an qui confert spirituale ex metu, seu ex precibus armatis, simoniacus sit.

R. negat. 1mo. quia qui bonum spirituale confert ex metu, etsi minùs voluntariè illud conferat, nihil tamen temporale recipit ab eo qui sibi metum incutit; 2do. si quis ex timore oret, confiteatur, celebret, absolvat, non est simoniacus; ergo nec simoniacus erit si ex eodem metu conferat spirituale.

Si tamen timor mali reservatur in commodum temporale, v. g. si Princeps comminetur Episcopo, futurum nunquam ut ad ampliorem fortunam deveniat, nisi Titio Presbyteratum conferat; tunc conferendo simoniacus esset, quia non solùm iram Principis tollere, sed etiam ejus favorem venari conaretur.

Quæres 3tio. quid dicendum de eo, qui pecunia vel obsequiis agit apud familiares Episcopi, ut ii pro se apud Episcopum agant. R. videndum quid intendat. Si id solùm ut liberior sibi ad Episcopum pateat accessus, nihil hic est simoniæ. Si ut eorum commendationibus Beneficium obtineat, utique simoniacus erit. Si demum ut ii simpliciter scientiam & merita orationis aperiant Episcopo, potest id quidem absolutè vacare à simoniâ, sed ob periculum vix & fortè nunquam in praxi tolerari debet; tum quia vix fieri potest, ut homo bonæ frugis non alia viâ Episcopo innotescere possit: tum quia adhuc rariùs evenit, ut

non intendat orator expositioni rerum preces jungi & commendationem.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De materiâ spirituali Simoniæ,*

PEr spiritualem simoniæ materiam, intelligimus spirituale ipsum, & annexum spirituali. Spirituale hic idem est cum supernaturali. Supernaturale, autem est tale, vel *formaliter* seu *per essentiam*, ut gratia, character & similia; vel *causaliter*, ratione spiritualis effectûs quem producit, quo sensu Sacramenta, sacramentalia, sacræ conciones, & alia quæ gratiam pariunt, supernaturalia dicuntur; vel *effectivè*, prout est effectus à causâ supernaturali proveniens: sic actus prophetandi spiritualis est, quia nascitur ex causa spirituali, & ad salutem vel fidem Ecclesiæ ordinatur: tales etiam sunt benedictiones, usus Jurisdictionis Ecclesiasticæ, dispensationes, facultates excommunicandi, aut absolvendi à censuris, collationes Beneficiorum, &c.

Annexum spirituali est illud quod licèt in se sacrum non sit, fit tamen aliquatenùs sacrum per suam cum rebus sacris connexionem. Annexum hoc triplex distinguitur: aliud est enim annexum *antecedenter*, quod scilicet prius est in se quàm spirituale fiat per suam cum spirituali connexionem, talis est fundus cui advenit jus patronatûs quod est spirituale; itèm vas, lapis, ædes, Balsamum, vestes, quæ posteà consecrari aut benedici contingit. Aliud est annexum *concomitanter*; quod nec antecedit, nec sequitur, sed comitatur ipsum spirituale, ut labor corporis in celebrandâ Missa: & is quidem labor, vel annectitur extrinsecè, ut si Missa in loco remoto aut arduo celebranda sit, vel intrinsecè, ut labor qui missam communem comitatur. Aliud est annexum *consequenter*, quod præsupponit rem sacram; & per suam ab eâ dependentiam spirituale reputatur: sic temporales Beneficii reditus, spirituale quid censentur, quia pendent à causâ spirituali, nempe à spiritualibus officiis propter quæ instituta sunt, & retribuuntur. Etsi porrò explicata superiùs principia penè satis detegant quandonam in hisce materiis committatur simonia, satius tamen judicavi de his sigillatim disserere cum periculo nimiæ prolixitatis; quàm ab iisdem abstinere cum periculo omittendi aliquid quod iis inservire possit quibus in itinere tam lubrico gradiendum est. Sit igitur

SECTIO

## SECTIO PRIMA.

### *De Simonia in Sacramentis & sacramentalibus.*

UT hic quædam statuantur regulæ, quæ utpotè generales, faciliùs retineantur, sit

CONCLUSIO I. Accipere aliquid pro Sacramentis prout constant ex materiâ & forma, vera est simonia. Ratio est, quia Sacramenta sic sumpta, sunt res valdè sacra & supernaturalis: sed dare temporale pro re sacrâ aut spirituali est simonia, ergo. Hinc non licet dare pecuniam pro matrimonio ut est Sacramentum; tametsi hæc dari possit pro eodem quatenus est contractus cui sua sunt onera, commoda sua, suæ in contrahentibus inæqualitates.

CONCLUSIO. II. Non est simoniacum vendere id quod in Sacramentis materiæ remotæ locum habere debet.

Prob. Quia hæc materia secundùm se, & ut antecedit actionem sacram, res est temporalis, & æstimabilis pretio, ut patet in pane, vino, aquâ, chrismate, oleo.

CONCLUSIO. III. Nihil accipi potest pro materiâ proxima Sacramentorum, v. g. pro ablutione in Baptismo, pro consignatione in Confirmatione, pro speciebus consecratis in Eucharistiâ, &c.

Prob. 1. quia in jure simoniacus dicitur non is tantùm qui Sacramenta, sed & qui Sacramentorum actiones vendit; * 2do. quia hæ actiones eatenus solùm vendi possunt, quatenùs sunt sacræ, cùm nullam aliam habeant utilitatem quàm spiritualem: porrò qui actionem ut sacram vendit, simoniæ reus est.

Idem eâdem ex causâ dicendum de forma Sacramentorum, Hinc sæpè prohibitum est nè quid pro Baptismi collatione accipiatur. Ubi tamen invaluit usus ut gratis offerantur cerei cum auro vel argento, hæc recipi possunt sive in ministri sustentationem, sive ut pios in usus impendantur; prout docet S. Antonin. 2. p. tit. 1. c. 5. Fatendum tamen ut longe melius esse & dignius, ut nulla unquam dona recipiantur.

Quæres an vendi possit locus sepulchri.

Certum est 1mo. quòd emi possit locus communis in quo emptor sepeliatur; tam enim id potest quàm emi possit fundus in quo ædificetur templum: sic Abraham emit speluncam duplicem in sepulturam Saræ. Genes. 23.

Certum est 2do. quòd etsi stando in jure naturali vendi sinè

* 1. q. 1. cap. 99. & c. 9. De simon.

sinè simoniâ possit pars cœmeterii aut templi pro sepultura, quia tunc non censeretur vendi nisi materiale templi, hæc tamen venditio, tum Ecclesiæ, tum Imperii legibus prohibita sit, de quo vid. c. 41. *De simoniâ*; & L. 2. & 9. Cod. *De relig. com.*

3tio. Si quis sibi suisque hæredibus velit sepulturæ locum ità proprium acquirere, ut deinceps aliorum Fidelium corpora eò inferri nequeant, tunc ratio prohibitionis à legibus factæ cessat, ideòque aliquid ab eo exigi potest: tum quia obligatio quâ se obstringunt qui Ecclesiæ gerunt curam, ad non sepeliendum alium in hoc loco, pretio æstimabilis est: tum quia usus ubique receptus ità obtinet. Et certè Fideles jus quidem habent, ut in loco sacro sepeliantur; sed jus illud non involvit perpetuam servitutem, vi cujus Ecclesia non ampliùs de tali loco in aliorum sepulturam disponere possit.

Sed estne simonia si pro sepulturâ in honoratiori Ecclesiæ loco plus exigatur; itèm si plus exigatur cùm major crux argentea defertur?

Censent multi utramque praxim simoniacam esse. Ità S. Antoninus, Suarez, Sylvester & alii; quia inquiunt, locus honoratior non est talis nisi quia sanctior est, v. g. propior altari, &c. Alii verò qui simoniam hic nullam esse putant fatentur tamen optandum esse, ut mutetur hæc Clericorum agendi ratio, ut quæ redoleat avaritiam, quæ procul ab Ecclesiasticis personis abesse debet, & quæ in populo tum scandala, tum graviora obloquia procurare consuevit. Idem dicunt aliqui de more secundùm quem, cùm quis apud nos peregrinus moriens, in patriâ sepeliri cupit, non potest eò cadaver hujus transferri, nisi omnibus Ecclesiis Parochialibus per quas transit, solvantur jura parochialia: *Hujus quidem consuetudinis*, ait doctissimus P. Lupus, *justitiam non video usque huc, & cupio edoceri.*

Quod spectat ad S. chrisma, communis est assertio non posse aliquid pro eo exigi sine simoniâ. Ità expressè definitum est cap. 16. & 37. *De Simonia.* Atque hic non simoniæ solùm, sed & injustitiæ crimen agnoscit Suarez, quia, inquit, Episcopi ex Ecclesiæ dispositione tenentur gratis de hâc materiâ suis Ecclesiis providere. Quòd si fur subripiat chrisma, illudque tanti duntaxat vendat quanti valet ratione materiæ; non committit simoniam, quia non vendit nisi materiam; cujus venditio solis Episcopis prohibita est.

Etsi verò vasa sacra, altaria, sacræ vestes, vendi possint, haud tamen vendi possunt Ecclesiæ, tum quia altaria portatilia, coronæ vel imagines benedictæ quibus annexa est indulgentia,

ad privatorum dominium pertinere possunt, non autem Ecclesiæ, quæ semel DEO dicatæ publici juris sunt; tum quia jus canonicum specialiter decernere videtur, templa nè quidem ratione materiæ vendi posse. Vide cap. 15. *De simonia*, & cap. 7. 1. q. 3.

Quod attinet ad Reliquias, certum est esse simoniam si vendantur, si non deferantur, aut Fidelium cultui non exponantur nisi dato pretio. Capsulæ tamen in quibus custodiri solent, vendi possunt, modo propter Reliquias ipsas nihil exigatur.

## SECTIO SECUNDA.

### *De simonia in collatione & exercitio Ordinum.*

ORdinum collationi cooperantur ordinans, ordinandus, examinatores, Notarii, &c.

Certum est 1mo. quòd simoniacum sit Ordines conferre aut accipere mediante pecuniâ; quia per ordinationem confertur gratia Spiritûs sancti, cujus ministri, sunt, non autem venditores Episcopi. Rarum quidem est, ut pro ordinatione accipiatur munus à manu; sed summoperè vigilandum, nè hic irrepat munus à linguâ & ab obsequio: dum sæpe ad Ordines admittuntur, seu ob amicorum preces, seu intuitu servitii præstiti aut præstandi, homines alioquin inepti.

Simoniaci etiam sunt, * tum *is qui* præsentat, cum is qui ordinat aliquem, *promissionem, vel juramentum ab illo recipiens quod super* alimentis quæ Episcopus debet ei quem sine titulo ordinat, *non inquietet eum*, & nihl ab eo postulet: tuncque *ordinator à collatione, præsentator verò ab executione Ordinum per triennium, & ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos.*

Certum est 3tio. Episcopos & eorum ministros gravis culpæ reos fieri, si munera quamvis exigua etiam sponte oblata, non solùm ante, sed & post ordinationem recipiant. Ità cautè & severè sanxit Synodus Trid. Sess. 21. cap. 1. *De reform.* cujus salutare Decretum amplexa sunt & promulgarunt Concilia pleraque post Tridentinum, ut Mediolanense I. Burdigalense I. Tolosanum, &c.

*Notarii verò*, ait ibidem Tridentinum, *in iis tantùm locis in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis literis dimissoriis aut testimonialibus* collationis Ordinis,

* *Cap.* 45. De simon.

nis, *decimam tantùm unius aurei partem.* id est, julium unum, seu septem aut octo esses * *accipere possint; dummodo nullum eis salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopis ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus directè vel indirectè provenire possit ... Qui secùs fecerint, tam dantes quàm accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à jure inflictas ipso facto incurrant.*

Circa hoc Decretum nota cum Fagnano: 1mo. adhuc licitum esse recipere candelas quæ ab ordinatis offeruntur, non tamen forcipes, pectines, & mappas, si quæ ut olim à tonsurandis præsententur: atque id declaravit Congregatio Concilii; ** 2do. Notarium cui aliquid salarii quantumvis modici ab Episcopo constitutum est, nihil recipere posse: quia Synodus Tridentina iis tantùm aliquid recipere permittit, quibus *nullum* salarium sit constitutum; de iis porrò qui modicum salarium recipiunt, dici non potest quòd *nullum* accipiant; 3tio. citatum Tridentini locum, licèt non loquatur expressè nisi de collatione Ordinum, extendi debere, ità ut locum habeat in collatione Beneficiorum. Et id multò magis locum habet in Galliâ ob Sanctionem Blesensem anni 1579. quâ præcipitur, ut Officiarii Episcoporum qui nullam ab iis mercedem percipiunt, nihil prorsus ultrà decimam nummi partem exigant; pœnis adversùm simoniacos constitutis alioquin plectendi.

Examinatores verò cavere debent, *** *nè quidquam prorsùs occasione hujus examinis, nec ante, nec post, accipiant, alioquin simoniæ vitium tam ipsi quam dantes incurrunt.*

Quod spectat ad Ordinum functiones, ex dictis sequitur simoniacum esse, si quid pro iis accipiatur aut tradatur; & id verum est, non solùm de functionibus Ordinum majorum, sed de exercitio etiam minorum. Unde simonia est si Acolythus, imò & Laicus ob pecuniam serviat Missæ, quia cooperatur actioni sacræ. Idem dicendum de Ostiario, qui ex officio fores claudit, aut custodit Ecclesiam. Si quis verò id ut purus Laicus faciat, negant plures eum simoniæ reum fieri: haud tamen à simoniâ excusandi videntur Musici & Cantores, qui solum lucrum intendunt: tum quia cantus ille adhibetur in cultum DEI, estque actus verè spiritualis, & ex naturâ suâ exigens religiosè fieri; tum quia sæpè contingit ut Musici soli potiorem officii partem decantent, v. g. in Vesperis solemnioribus. Ergo, ait Wiggers, *monendi sunt hujusmodi Cantores, ut accipiant temporale titulo sustentationis,*

* *Pirrhing. ad lib.* 5. *tit.* 3. *n.* 18. ** *Fagnan. ibid.* *** *Trid. Sess.* 24. *c.* 18.

*nis, aut faciant gratis religionis causâ, vel potiùs ut abstineant.*

Quærunt hic aliqui, quid sentiendum de praxi, quâ juvenes in die Commemorationis Fidelium defunctorum, obambulant Ecclesias & cœmeteria cum libello, rogantes ut Pœnitentiæ Psalmos accepto pretio legant.

R. consuetudinem hanc approbandam non esse, sed potiùs extirpandam: quia licèt absit simonia, si non intendatur venditio orationis, non deest tamen species mali. Adde quod si juvenes sine attentione legere soleant, vixque aliud quærant quàm pecuniam. Idem rectè statuunt alii de abjecto eo usu, quo alicubi Sacerdotes in Ecclesiis a populo Missas mendicant * quibus libentiùs porrigi deberet pecunia, ut abstinerent à celebrando.

Sed quoniam hic de Missæ sacrificio sermo recurrit, hæc imprimis corde & animo tenenda sunt: 1mo. *Non potest Sacerdos illâ intentione celebrare vel officiare, ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter*, licèt simoniæ realis conscius non esset, sed mentalis tantùm. Ità S. Thomas, Opusc. *De offic. Sacerd.*

2do. *Facere pactionem de Missa celebranda, est simoniacum semper*, ait idem S. Doctor in 4. dist. 25. quæst. 3. a. 2. Unde Concilium Toletanum an. 1324. Can. 6. prohibet *nè Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem*; licèt gratè accipere possit id *quod charitativè sibi oblatum fuerit absque pacto vel conventione quacumque.*

3tio. Sacerdos qui *pro pluribus Missis plura stipendia quantumcumque incongrua*, & stipendio ab Episcopis taxato minora recipit, tot Missas celebrare debet quot sibi *præscriptæ* sunt. Ità Urbanus VIII. in Bullâ 45.

» 4to. Ibidem prohibetur Sacerdoti qui Missam suscepit
» celebrandam cum certâ eleemosynâ, ne eandem Missam al-
» teri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ celebrandam
» committat, ità ut administratores Ecclesiæ ex eleemosynis
» Missarum celebrandarum, nullam utcumque minimam por-
» tionem retinere possint ratione expensarum, quas subeunt in
» Missarum celebratione pro paramentis, luminibus, vino, ho-
» stiâ & similibus: nisi cùm Ecclesiæ & loca ipsa alios non
» habent reditus quos in usus earumdem expensarum erogare
» possint: *tunc autem portio quam retinebunt*, nullatenus debet
» excedere valorem expensarum quæ pro sacrificio Missæ ne-
» cessariò subeundæ sunt; & nihilominùs eo etiam casu curan-
» dum est, ut tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint
» ab offerentibus eleemosynam. »

SECTIO

* *Decoq. pag.* 751.

## SECTIO TERTIA.

### *De Simonia in ingressu Religionis.*

QUæritur an â simoniâ excusari possit praxis, quæ plurimis in Monasteriis invaluit, ut ab ingredientibus non solum pecuniam recipiant, sed etiam de eadem prævié stipulentur. Sit

Conclusio I. Nihil temporale exigi potest pro ingressu Religionis in ordine ad vestitionem aut professionem, sine simoniâ jure naturali prohibitâ.

Prob. quia status Religionis est res spiritualis; porrò exigere aliquid pro spirituali, pura est simonia. Hinc Urbanus IV. authoritate Apostolicâ omnibus quarumcumque communitatum Superioribus severè inhibet, * *nè ante aut post* receptionem, *quoscumque pastus, prandia seu cænas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda, directè vel indirectè petere, vel exigere aliquando præsumant ... illa duntaxat quæ personæ ipsæ ingredientes purè & spontè, & plena liberalitate, omnique pactione cessante dare vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, domibus & locis hujusmodi voluerint, cùm gratiarum actione licitè recepturi.* Idem statuerunt Episcopi 412. in Concilio IV. Lateranensi. **

Conclusio II. Licet tamen aliquid in ingressu aut professione exigere ratione sustentationis: 1mo. si Monasterium sit verè egenum; 2do. si adsit legitima intentio; 3tio. si non plùs exigatur quàm ad competentem Religiosi sustentationem necessarium sit. Ità SS. Thomas, Bonaventura, &c.

Prob. 1mo. quia in eo casu non datur temporale, dos nempè vel pensio pro spirituali, sed pro temporali, nempè pro sustentatione quam Communitas egena non debet: atqui in hoc nulla est simonia; 2do. Sicut in Sacramento Matrimonii licitum est pacisci de dote ad ferenda matrimonii onera, absque eo quòd Sacramentum vendi censeatur; ità in matrimonio spirituali quod Religionem inter & Religiosum contrahitur, licitum est ad ferenda sustentationis onera pacisci de dote, & quidem eo majori, quo persona recipienda debilior est, aut Religioni onerosior futura, ut si penè cæca sit, morbida, &c.

Dixi 1mo. *Si Monasterium sit verè indigens* relativè ad eum qui admitti debet: si enim non indigeat, jam pecunia



* *Extravag.* v. De simonia. ** Vide *Cap.* 40. de Simonia.

pro ingressu datur, adeòque simoniacè. Vel enim pecunia hæc datur pro admissione ad statum Religionis; & est aperta simonia; vel solùm pro sustentatione, & tunc est simonia palliata: quia cùm omnia Monasteriorum bona, undecumque proveniant, primariò ordinentur ad congruam Religiosorum sustentationem, juxta leges Ordinis, & numerum eorum qui admitti debent, hinc fit, ut qui qualitates habet necessarias ut admittatur, nihil debeat secum afferre Monasterio, quod ipsi de necessariis omnibus potest & debet providere.

Quandonam verò Monasterium satis dives censeri debeat ut nihil ab ingredientibus recipere possit, non ità præcisè determinari potest. Sunt qui extra arctam necessitatem nihil exigi posse putent; sed æquiùs providit Synodus Tridentina, Sess. 25. cap. 3. *De Regularib.* cùm sanxit *in temporalibus Monasteriorum facultatibus eam ineundam esse rationem, ut Monialium numerus commodè sustentari possit.* Et verò S. Bonaventura vir singulari in providentiam fiduciâ commendandus, inter alias causas cur Religio in spiritu deficiat, allegat paupertatem nimiam: *ex quâ*, inquit *Religiosi coguntur fieri proprietarii, dum sibimet videtur quisque providere, quia ob nimiam inopiam non providetur eis in commune.*

Verùm dissimulari non potest, sæpius evenire, ut Monasteria necessitatem prætendant ubi non est necessitas; ut contingit in illis quæ ex avaritiâ nihil pro sufficienti habent; quæ ex nimiâ terrenarum rerum sollicitudine reformidant ut propinqua, ea quæ vix unquam eventura sunt; quæ Religiosæ paupertatis ac modestiæ limites transgrediendo, superfluitatem pro necessitate habent.

Dixi 2do. *Si adsit debita intentio*, ex parte tum eorum qui dant, tum eorum qui recipiunt pecuniam, qui sic dispositi esse debent, ut si locus inops non esset, nullam exigerent dotem. Hinc potest sine simoniâ Communitas etiam dives accipere munera quæ spontè & gratis offeruntur à postulantibus, modo purè offerantur, non autem ut Superiores ad receptionem alacriores fiant; quod valdè cavendum est; ut ex circumstantiis definiri debet.

Dixi 3tio. *si non plùs exigatur quàm necessarium sit* congruæ sustentationi; quidquid enim ultra, id solo exigeretur titulo Religionis, quod est simoniacum. Hinc colliges quid dicendum sit de exactione conviviorum, prandiorum, donorum quæ Superioribus offeruntur; hæcquippe & similia interveniente pacto expresso vel tacito, à gravi culpâ excusari nequeunt.

Quæres

Quæres an pro victu Novitiorum & Novitiarum possit congrua pensio recipi per totum probationis annum.

R. affirmat. quia Novitii non habent jus, ut alantur ex communibus Monasterii bonis, nisi fiant Communitatis membra; porrò non fiunt membra Communitatis, nisi cùm eidem se professione solemni alligant. Idem docet Tridentinum Sess. 25. cap. 16. *De Regularib.*

## SECTIO QUARTA.

### *De Simoniâ in Beneficiis, permutationibus, &c.*

CONCLUSIO I. Beneficia, etiam ratione temporalis emolumenti spectata, sunt materia simoniæ; undè simoniaci sunt, qui pro adipiscendo, vel conferendo Beneficio dant aliquid temporale.

Prob. Quod pendet à spirituali, tanquam accessorium à principali, vendi non potest quin una vendatur spirituale: atqui Beneficium, prout etiam in fructibus temporaneis consistit, pendet à spirituali, &c. fructus enim non dantur nisi propter officium; ergo Beneficium prout etiam aliquid temporale importat, vendi non potest quin simul vendatur spirituale; ergo vendi non potest sine simoniâ; & ità docet titulus totus *De simoniâ.*

CONCLUSIO. II. Permutare Beneficium cum alio, si fiat propriâ authoritate, simoniacum est simoniâ jure ecclesiastico prohibitâ.

Prob. 1. pars, quia * *in spiritualibus*, qualia sunt Beneficia, *omnis pactio, omnisque conventio debet omnino cessare*: atqui permutatio non fit sine pacto, cùm permutatio sit quidam contractus *do ut des.* Ratio autem cur Ecclesia omnes in Beneficiis pactiones prohibuerit, fuit periculum, suspicio & occasio simoniæ, aliaque incommoda, quæ secuta fuissent facilitatem permutandi propriâ authoritate.

Prob. 2. pars: quia ad simoniam contra jus divinum, requiritur traditio temporalis pro spirituali: atqui id locum non habet ubi spirituale simpliciter traditur pro spirituali.

Hinc inferes simoniam committi in commutationibus actionum quæ ad Beneficiorum provisiones pertinent, ut si quis dicat: Tu elige, aut confirma hunc, & ego eligam illum; Tu huic Beneficium confer, & ego hunc confirmabo. &c.

Ceterùm Superior coram quo facienda est permutatio, est Episcopus loci in quo situm est Beneficium. Sed notandum eam

 solùm

* Cap. 8. De pacto.

solùm permutationem ab Episcopo admitti posse, quæ est Beneficii cum Beneficio, & quæ purè fit: unde permutatio Beneficii cum pensione, vel cum pacto ut alter permutantium solus omnes solvat expensas quæ ad utrumque pertinent, non valet n si fiat coram Papâ.

CONCLUSIO III. Pensio clericalis est materia simoniæ. Idem dicendum de præstimoniis, & commendis spiritualibus.

Prob. 1. pars: res spiritualis, & quæ confertur cum onere & titulo spirituali, est materia simoniæ, ut ex dictis patet: atqui pensio res est spiritualis ... cùm ei saltèm à Pii V. temporibus, annexum sit onus recitandi parvum B. Mariæ Officium; ergo qui eam emit, iisve acquirit mediis, quæ in Beneficiorum acquisitione simoniam inducunt, simoniacus est; ac proinde pensio est materia simoniæ: ex quo tamen non sequitur, vel pensionem esse materiam confidentiæ, de quo suprà, vel simoniacum in pensione, iisdem omnibus obnoxium esse pœnis, quibus subjacet simoniacus in Beneficio, de quo infrà cap. 5. art. 2. & 4.

Prob. 2. pars, quia præstimoniæ sunt res spirituales, & de jure communi ad Beneficia accedunt. Idem est de iis commendis, vi quarum Clerico commendatur Ecclesiæ alicujus administratio, assignatâ eidem certâ fructuum portione in stipendium.

Hinc pensio sine authoritate Papæ redimi nequit: si tamen pensio valida non esset, & Beneficiarius ejus invaliditatem in exteriori foro probare non posset, aut id non posset sine incommodo, posset eam propria authoritate redimere; quia cùm pensio invalida non tam sit pensio, quàm injusta vexatio, dubio procul redimi potest.

Pensionis validæ redemptio fit cùm Beneficiarius numerat pensionario reditus trium, quatuor aut ampliùs annorum, habitâ ætatis ratione, & jam obtento Papæ consensu. Sed cavendum 1mo. nè antè resignationem Beneficii præcesserit pactum etiam implicitum de redimenda pensione; tale enim pactum aperta esset simonia sub nomine pensionis; 2do. nè quid executioni mandetur, v. g. nè quid solvatur ante obtentum Papæ consensum; & nè privatim adjiciantur onera à pensione distincta, quæ Papæ incognita sint, & ab eo non approbata, ut v. g. quòd pensionarius hypothecam aut cautionem det in securitatem solutionis, vel quòd teneatur ad anticipandam solutionem, &c. Hæc enim, nisi à Papâ approbentur, simoniaca sunt.

CONCLUSIO IV. Resignatio Beneficii purà, in manibus Episcopi facta, legitima est: si verò non sit pura & simplex, & fiat

fiat coram Prælato inferiore Papæ, simoniam continet, ratione pacti, quod in spiritualibus prohibitum est, ut sæpiùs dixi.

Hinc committit simoniam. 1mo. qui coram alio quàm Papâ, præterquam in raris casibus alibi expressis resignat sub conditione pensionis sibi solvendæ; 2do. qui facit resignationem *reciprocam* dicendo, v. g. Resigno Beneficium meum fratri tuo, ut tu tuum mihi vel nepoti meo resignes; 3tio. qui resignationem *triangularem*; facit; ut si Joannes Beneficium suum resignet Jacobo, ut Jacobus suum resignet Petro & Petrus suum resignet Joanni; 4to. qui Beneficium litigiosum non sine pluribus expensis acquisitum, & tandem pacificè possessum, resignat cum pacto, ut resignatarius solvat expensas. Hæ enim expensæ exigi non possunt ab alio, quia non factæ sunt in ejus gratiam.

Conclusio V. Simoniaca est omnis transactio, quâ remittitur vel retinetur spirituale pro temporali.

Prob. Simoniaca est transactio quâ permutatur aut venditur jus spirituale pro re temporali, atqui hoc contingit cùm quis pro temporali remitit jus suum spirituale, vel dat temporale ut idem jus penes se retineat. Et id expresè habetur cap 9. & 10. *De transact.*

Hinc simoniam committunt; qui acceptâ vel traditâ re pretio æstimabili transigunt circa litem præsentandi ad Beneficium; vel circa possessionem Beneficii ad quod duo vel plures nominati fuêre; vel circa jurisdictionem spiritualem, à quâ dato pretio eximi volunt; vel circa Reliquias quæ, v. g. ubi Ecclesiæ ceduntur eâ lege ut aliquid alteri Ecclesiæ solvat singulis annis.

Quod si in transactione detur spirituale pro spirituali, non erit id ex naturâ rei illicitum; unde qui disputant circa Reliquias, convenire possunt vel ut Reliquiæ dividantur, vel si id fieri nequit, ut eas unus servet, sed alias similes alteri donare teneatur. Non tamen pacisci possent, ut una pars haberet reliquias, altera mediam oblationum partem: esset enim quædam Reliquiarum venditio; quæ sine simoniâ non fit; unde in hoc casu recurrendum est ad Episcopum.

Etsi verò spirituale pro spirituali transigendo dare licitum sit ex natura rei, id tamen per Canones * in materiâ Beneficiali prohibetur. Unde qui litigat de pingui Beneficio, non potest cum adversario pacisci, ut ipse servet pingue Beneficium, & tenue tradat collitiganti: sic enim permutaret tenue Beneficium cum jure quod habet alter ad pinguius, quod privatâ authoritate fieri nequit: neque etiam pacisci potest,



* *Vid. c.* 8. De Transact.

ut ipſe retineat Beneficium, ſed ſolvat penſionem alteri; aut ſi de pluribus Beneficiis litigatur, ut ipſe hoc poſſideat, alter verò illud, Ratio toties decantata, hæc eſt, quòd pactio omnis in materiâ beneficiali ſimoniaca ſit, ſi privatâ authoritate fiat. Hic ergo recurrendum eſt ad Epiſcopum cujus authoritate tranſactio iſta fieri poteſt juxta Suarem, &c.

# CAPUT QUARTUM.

## *De canonicis Simoniacorum pœnis.*

CErtum eſt 1mo. ex communi Doctorum conſenſu, nullam ſimoniam, quantumvis completam & realem, inducere ipſo facto pœnas in jure contentas, præter quæ eſt in Ordine, in Beneficiis, & in Religionis ingreſſu: unde graviter quidem peccat, qui committit ſimoniam in aliis præter Ordinem Sacramentis conferendis vel accipiendis, in conſecrationibus, diſpenſationibus, benedictionibus, Vicariâ temporali, & ſimilibus; non tamen ſubjacet pœnis ab Ecclesia in ſimoniacos conſtitutis.

Certum eſt 2do. nullas ipſo facto incurri ejuſdem juris eccleſiaſtici pœnas ob ſimoniam mentalem, aut purè conventionalem; imò probabilius nobis videtur, eas non incurri ob ſimoniam ſolum ſemirealem, 1mo. quia Navarrus docet hanc eſſe praxim Curiæ Romanæ & Rotæ, ut Beneficium ſimoniacè acceptum ipſo jure non vacet; nec ità proviſus, ſit excommunicatus, neque ſi in ſacris celebraverit, ſit irregularis, nisi pretium aut ſaltèm pars pretii ſoluta fuerint. Filliucius * quoque, qui tot annos Romæ docuit & ſcripsit, affirmat hanc eſſe Romanæ Pœnitentiariæ praxim.

2do. quia, in materiâ pœnali benignior interpretatio fieri debet; ergo textus Juris qui ſimoniam pœnis ſubjiciunt, intelligi debent de reali, cùm clarè & diſtinctè non loquantur de ſemireali.

Hinc ſi quis pro Beneficio quod accepit, ſeriò promiſerit centum aureos, & pœnitentiâ ductus non ſolvat, pœnarum juris reus non erit; ſi verò poſt menſem duos aut tres aureos ſolvat, ex tunc & non antè, tanquam ſimoniacus realis in omnes juris pœnas incidet. Imò quantumcumque exiguum ſit, id quod ſolvere incipiet, non effugiet cenſuram, quia jam verum erit eundem ſimoniæ realis ſemperque mortalis conſcium

* *Obiit. an.* 1622.

conſcium evaſiſſe. Confidentiarios ſeveriùs plecti probabimus infrà.

Certum eſt 3tio. triplex eſſe genus pœnarum quas ſimoniacis infligunt Canones. Prima eſt pœna cenſuræ; ſecunda eſt invaliditas actûs ſimoniacè facti, tertia eſt reſtituendi obligatio; & hæ quidem pœnæ multùm inter ſe diſcrepant: cenſuræ enim non incurruntur, niſi vel in Canonibus expreſſæ ſint, vel ab homine decernantur; actus verò ſimoniacè facti, ex naturâ rei invalidi eſſe poſſunt: ân autem reipsâ invalidi ſint, quæſtio eſt ſuo loco pertractanda: ſed ântè explicandæ ſunt ſigillatim pœnæ in ſimoniacos Jure canonico conſtitutæ.

---

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De pœnis contra Simoniam in Ordine & ingreſſu Religionis.*

IN collatione Ordinum potiſſimùm interveniunt Epiſcopus qui confert; ordinandus qui recipit; & miniſtri, quales ſunt examinatores promovendorum, Secretarii, aut Notarii qui literas ſcribunt, & ſimiles, de quibus hæc tenenda.

1mo. Qui ſimoniacè conferunt aut ſimoniacè accipiunt Ordines ipſamvè tonſuram, uno verbo *qui quomodolibet dando vel recipiendo, ſimoniam in* quibuſvis Ordinibus *commiſerint, aut quòd illa fiat, mediatores extiterint, ſeu procuraverint, ſententiam excommunicationis incurrunt, à quâ niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente non poſſint abſolvi, præterquam in articulo mortis.* Ità Paulus II. * Extravag. 2. *De ſimonia.*

Ordinans à collatione, *quorumcumque Ordinum, atque adeò ipſius primæ tonſuræ & ab executione omnium munerum pontificalium*, v. g. à conſecratione altarium, benedictione veſtium ſacrarum, &c. tum ex citatâ Extravagante, tum ex Bullâ Sixti V. ** quæ incipit *Sanctum & ſalutare*, ubi etiam Epiſcopus *ab ingreſſu Eccleſiæ* interdicitur. Quòd autem triplicis hujus cenſuræ etſi occultæ abſolutiò reſervatur Papæ, non eſt receptum præſertim in Galliis.

3tio. Ordinatus eſt *ſuſpenſus ipſo jure*, *** non ſolùm ab executione Ordinis quem ſimoniacè ſuſcepit, ſed & ab eorum etiam exercitio quos antè ſine ſimonia ſuſcepiſſet: unde ſi alicujus Ordinis functiones exerceat, fiet irregularis. In Galliâ poteſt Epiſcopus abſolvere ab omnibus cenſuris ſimoniacos, quorum



* *an.* 1546. ** *an.* 1588. *** *S. Thom.*

quorum crimen occultum est; eosque proinde ad Ordinum executionem rehabilitare.

Quæres an etiam suspensus sit ab Ordinum executione, qui simoniam ignoravit.

R. negat. 1mo. quia suspensio pœnalis, qualis ea est de qua hic agitur, non potest incurri sine culpa: porrò non est in culpa qui nesciens ordinatur simoniacè; 2do. quia Paulus II. eos tantum suspensos esse declarat, *qui simoniacè ordinati fuerint*: atqui is solùm simoniacè ordinatur, qui ordinatur committendo simoniam, sicut is solùm ordinat simoniacè, qui committendo simoniam ordinat, 3tio. quia leges odiosæ & pœnales restringi potiùs debent quàm ampliari.

Censent etiam Theologi plerique à prædictis pœnis immunes esse eos, qui in ceteris ad Ordines spectantibus simoniam committunt, v. g. qui aliquid dant aut exigunt pro literis seu dimissorialibus, seu testimonialibus quibus publica fides sit aliquem ordinatum esse Clericum. Si quis tamen aliquid donet pro dimissoriis, vel pro sigillo ante consecutionem Ordinum, vel etiam post, ex prævio tamen pacto, excommunicationem incurret, quia hæc actio includit simoniam saltèm Juri canonico contrariam, & quæ cùm ad Ordines referatur, meritò punitur censuris contra simoniacos in Ordine constitutis.

Quod spectat ad ingressum Religionis, Urbanus IV. aliàs V. Extravag. *Sanè* 1. *De simon.* sanxit ut *tam dantes quàm accipientes* aliquid pro Religionis ingressu, *si sint singulares personæ, excommunicationis, si verò sit Capitulum, vel conventus, suspensionis sententiis eo ipso* subjaceant: *à quibus præterquam in mortis articulo, absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentiâ speciali.* Concedit ibidem prædictus Pontifex, ut persona Monasterium pretio ingressa in eodem permaneat, & quod ab ea exactum fuerat, retineatur à Monasterio, modò impendatur in communem Monasterii usum, non verò in particularem Superiorum.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De pœnis contra Simoniam in Beneficiis, & earum relaxatione.*

1mo. QUi dat simoniacè Beneficium, præsentando, eligendo, postulando, conferendo, &c. ipso facto excommunicationem incurrit, à qua non nisi à Papa præterquam in

articulo mortis absolvi potest. Ità Paulus II. cit. cap. 2. *De Simoniâ.* Idem dicendum de mediatoribus, & de iis qui Beneficium hac arte comparaverunt.

Aliud est de pensione; unde qui eam dant aut accipiunt simoniacè, etsi graviter peccant contra religionem, non incurrunt tamen hanc Censuram, quia pensio non est Beneficium; & pœnæ non sunt ultra casus jure expressos ampliandæ. Idem dicendum de Vicariâ temporali, quia nec ipsa Beneficium est propriè dictum. Peccat tamen qui pretio constituit Vicarium, quandiu contractum non rescindit.

Quod spectat ad Prælaturas Regularium v. g. Abbatum, Guardianorum. &c. quæ non consistunt in commissione ad nutum revocabili, sed per electionem aliamve providendi rationem, alicui tanquam munus ordinarium deferuntur, probabilius est eas inducere simoniam sub excommunicatione vetitam, nullitatem actûs, & obligationem dimittendæ superioritatis, tum quia eæ Prælaturæ non immeritò inter Beneficia recensentur; tum quia Extravagans Pauli II. hasce superioritates perspicuè recenset inter ea, quæ si simoniacè tractentur, simoniæ pœnas inducunt.

2do. Provisio simoniaci est nulla, saltèm in casibus qui censuram inducunt: unde beneficiarius simoniacè provisus, nequidem post 20. & ampliùs possessionis annos Beneficium resignare potest, cùm illud reverâ non sit suum. Patet id tum ex eâdem Extravag. tum ex S. Thomâ, qui sic loquitur hîc art. 6. ad 3. *si aliquis scienter & propria sponte simoniacè accipiat Ordinem, vel Ecclesiasticum Beneficium, non solùm privatur eo, quod accipit, ut scilicet careat executione Ordinis, & Beneficium resignet cum fructibus inde perceptis; sed etiam ulteriùs punitur, quia notatur infamiâ, & tenetur ad restituendos fructus non solùm perceptos; sed etiam eos qui percipi potuerunt à possessore diligenti [Quod tamen intelligendum est de fructibus qui supersunt deductis expensis factis causâ fructuum,) exceptis fructibus illis qui aliás expensi sunt in utilitatem Ecclesiæ. Si verò eo nec volente, nec sciente, per alios alicujus promotio simoniacè* procurata sit..... *tenetur resignare Beneficium, quod est consecutus cum fructibus extantibus, non autem tenetur restituere fructus consumptos,* nisi ditior factus sit, *quia bonâ fide possedit.*

Porrò nomine fructuum probabilius est comprehendi distributiones quotidianas quæ propter assistentiam in Choro percipiuntur, quia eæ percipiuntur ratione tituli qui nullus est: aliud est de iis distributionibus quæ proveniunt tantùm *occasione* tituli, ut stipendia pro Missarum celebratione, pro concio-

nibus,

nibus, aliisque functionibus ad quas simoniacus non tenebatur ratione tituli; quia hæc non à titulo ipso derivantur.

3tio. Simoniacè provisus, inhabilis est, ad idem Beneficium denuò obtinendum, ex c. 27. *De Simon.*

Sed ambigitur an simonia privet etiam aliis Beneficiis anteà ritè obtentis; 2do. an reddat incapacem ad alia in futurum obtinenda.

R. Ad 1. Beneficia legitimè prius obtenta, non vacare per simoniam supervenientem, tum quia pœna hæc nullibi in jure exprimitur; & pœnœ extendi non debent ab una delicti specie in alteram; tum quia satis est, ut in quo quis peccavit, hoc puniatur, nisi aliud in jure expressum sit.

R. Ad 2. omnia quæ post excommunicationem simoniâ invectam acquiruntur, Beneficia, necdum obtentâ ejusdem excommunicationis absolutione, invalidè acquiri. Ratio desumitur, ex incapacitate quam parit præcedens censura.

Eâ tamen censurâ remissâ per absolutionem ipsius etiam Episcopi, si res occulta sit, simoniacus pristinam ad futura Beneficia capacitatem resumit, Ità viri graves à me eâ de re consulti, juxta quos Bulla Pii V. declarat simoniacos *perpetuò inhabiles ad quæcumque alia Beneficia* deinceps *obtinenda*, quæ quoad hanc perpetuæ inhabilitatis pœnam, nec in Gallia recepta est, nec in multis locis ultra montes.

Ut autem non vacant per subsequentem simoniam Beneficia, priùs ritè acquisita, sic nec per eam irriti fient actus ante ipsam legitimè facti, ut præsentatio, electio, &c. adeoque satis erit si actus posterior, qui invalidus fuit, reparetur. Quòd si actus primus invalidus esset; ceteri subsequentes, etiam ex se validi & sine simonia facti, invalidi fuerint.

4to. Regula de triennali possessione quæ fert: ut *si qui quæcumque Beneficia qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu......per triennium pacifice possederint, super iisdem Beneficiis sic possessis molestari nequeant,* tam in petitorio quàm in possessorio; hæc, inquam, regula ut ex terminis patet, simoniacis non prodest. Aliud esset, meo quidem & plurium judicio, de simoniacis bonæ fidei; iis scilicet qui toto triennio simoniæ in sui gratiam factæ nullam prorsus cognitionem habuissent; 1mo. quia a regula de triennali possessione ii solum excipiuntur, qui simoniacè ingressi sunt Beneficia: porrò non ingreditur simoniacè Beneficium, nisi qui ipsum ingrediendo simoniam committit; 2do. caput 26. *De simoniâ*, quo nituntur adversarii, non supponit possessionem triennalem, adeoque est extra rem. Idem dicendum puto cùm ipse Beneficiarius simoniam commisit, sed ex ignorantiâ invincibili.

Quæ-

Quæres, an non ſint aliqui caſus in quibus valida ſit Beneficii ſimoniacè collati proviſio.

R. duos eſſe. Primus eſt cùm verſutus Beneficiarii hoſtis aliquid collatori dedit, ut collationem irritam faceret, faciendo eam ſimoniacam c. 27. *de ſimoniâ.* Secundus eſt cùm providendus expreſsè contradixit, & quantùm in ſe erat prohibuit nè pro nominatione ſuâ aliquid tribueretur, cap. 33. eodem tit.

Sed quid juris ſi Titius poſt contradictionem, acceptet proviſionem ſimoniacam, aut ſi ſolvat pecuniam ab aliis promiſſam?

R. ad 1. Vel Titius antequam accceptaret Beneficium, novit ſimoniam, & tunc ex communi ſententiâ acceptare nequit, quia ceſſavit bona ejus fides priùs quàm proviſus eſſet; vel non cognovit ſimoniam, niſi poſt completam ſui inſtitutionem, & tunc Beneficium ſervare poteſt, ob bonam ſuam fidem.

R. ad 2. Vel Titius pecuniam ab aliis promiſſam ſolvit iis quibus promiſſa eſt in pretium ſimoniæ, & tunc complendo ſimoniam ſimoniacus efficitur, adeoque ſubjacet omnibus ſimoniacorum pœnis: vel ſolùm refundit pecuniam hanc iis qui eam in ſuî ipſius gratiam jam perſolverant; & tunc vel non conſentit in eorum ſcelus, tantumque optat ut amici quorum facinus execratur, nihil propter ſe patiantur damni; vel eorum nundinationem ratam habet & approbat. Si primum, nec ſimoniacus eſt, nec peccat, ſicut non peccat pater qui debita à filio per ſcelus contracta ſolvit, nè filius infamis habeatur. Si ſecundum, id eſt, *ſi fortè poſtmodum pacto conſenſerit ſolvendo quod fuit promiſſum, tenetur ad renuntiandum,* ex S. Thomâ, cujus opinio ut tutior tenenda eſt in praxi.

Quæres, quis poſſit tollere pœnas quas ſimoniaci incurrunt; & quæ ut diximus, ſunt tres, cenſura, inhabilitas ad Beneficium, & obligatio reſtituendi fructus injuſtè receptos.

R. 1mo. Cenſura ſi occulta ſit, tolli poteſt ab Epiſcopis in Galliâ.* Ratio eſt, quia præſules noſtri firmiter perſtitêre in poteſtate ſibi à Tridentino conceſsâ ab occultis hujuſmodi pœnis abſolvendi.

R. 2do. Inhabilitas ad Beneficium ſimoniacè acquiſitum, (& à fortiori fructuum condonatio) ſummo Pontifici reſervata eſt, ſi ſciente proviſo commiſſa ſit ſimonia: 1mo. quia nullibi conceſſum eſt Epiſcopis, ut prædictam inhabilitatem relaxent, neque enim eis permiſit Tridentinum ut in omnibus pœnis, ſed ſolùm ut in cenſuris & irregularitatibus diſpenſarent: inhabilitas autem nec cenſura eſt, nec irregularitas quæ-dam

* *Idem forte dicendum de Polonia.*

dam, sed pœna iisdem superaddita; 2do. quia id definit Congregatio Concilii his verbis: *Episcopus etsi à simoniâ occultâ absolvere possit, non potest tamen simoniacum rehabilitare ad Beneficia quæ per simoniam occultam retinet;* 3tio. quia statuit expresse Celestinus III. cap. 27. *De Simoniâ,* quòd simoniacè provisus, *ab Episcopo suo dispensationem aliquam obtinere de jure non potest.*

R. 3tio. Si provisus simoniacam pactionem ignoravit, & ratam non habuit, distinguendum est: vel enim Beneficium de quo agitur duplex est, nempe Curatum aut Prælatura; vel simplex: si *simplex*, dispensare potest Episcopus, dummodò provisus detectâ simoniâ, & ante Judicis sententiam *liberam* & absolutam faciat *resignationem* in manibus Episcopi. * *Si duplex*, non potest Episcopus dispensare, ubi saltèm publica evasit simonia. An autem cùm eadem occulta est dispensare valeat, controvertitur. Affirmant Habert & Canonistæ multi, quorum opinionem, nisi repugnet usus locorum, practicè teneri posse existimo.

Quod spectat ad eos qui rei sunt confidentiæ, ii juxta Bullas Pii IV. & V. incurrunt 1mo. excommunicationem, quæ si occulta non sit, Papæ reservata est; 2do. Privantur Beneficio per confidentiam obtento, & ad illud posteà obtinendum fiunt inhabiles; 3tio. declarantur etiam inhabiles ad alia Beneficia deinceps acquirenda; 4to. privantur quoque Beneficiis & pensionibus anteà legitimè obtentis: hæc tamen pœna non incurritur ante sententiam Judicis.

Sed hîc cautè notandum 1mo. excommunicationem aliasque pœnas incurri etiam per confidentiam, quæ ex una solùm parte executioni mandata sit, in quo confidentia graviùs punitur quàm alia quævis simonia in Beneficiis; 2do. iisdem subjici pœnis eum qui ex Beneficio confidentiariè dato pensionem exigit, aut sibi solvi consentit, quibus subjacet confidentiariè Beneficium recipiens; prout patet ex Bullâ Pii IV. 3tio. prædictas pœnas incurri ante captam pacificam Beneficii possessionem, quia recepto Beneficio compleri videtur scelus, sub iisdem pœnis prohibitum.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De obligatione restituendi accepta simoniacè.*

SEnsus quæstionis est, an restitui debeat id omne quod acquisitum est per simoniam, non solùm realem sed etiam mentalem, de quo sit CONCLU-

* C. 50. De elect.

Conclusio I. Qui pretium pro re spirituali jam datâ accepit, illud restituere tenetur.

Prob. 1mo. quia pretium pro data re spirituali receptum, possideretur sine justo titulo: possidetur enim vi pactionis simoniacæ, quæ est nulla jure saltèm Ecclesiastico.

Prob. 2do. ex c. 11. *De simon.* ubi dicitur temporalia recepta pro dando assensu electioni simoniacæ restituenda sunt, *cùm ea sine gravi salutis periculo retineri non possunt*: sed quæ retineri non possunt sine salutis periculo restituenda sunt etiam ante omnem Judicis sententiam; ergo.

Porrò pretium simoniacè acceptum semper est ei qui dedit restituendum, præterquam in materiâ benficiali. Ratio est quia jure naturali unicuique quod suum est reddi debet, nisi obstet lex aut sententia Judicis: atqui nulla lex prohibet nè simoniaco reddatur id quod sacrilegè dedit, nisi simonia realis fuerit in materiâ beneficiali, quam idcirco excepit: sic enim habetur c. 11. *De simon. Regem & Principes ejus debet inducere, aut si qua receperint à præfato Episcopo, ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesiæ.....restituant.* Ex eo autem quòd simoniacus in Beneficio non possit recipere id quod illicitè dedit, non statim sequitur quòd quivis alius simoniacus teneatur ad id perdendum quòd dedit, ut universaliter sentire videtur S. Thomas: pœna enim utpotè odiosa, non debet ad eos extendi, qui in lege non exprimuntur.

Quòd si quis bonâ fide & ex ignorantiâ probabili pecuniam dedisset, teneretur quidem Beneficium dimittere, sed sua pecunia privandus non esset; hæc enim privatio est pœna supponens culpam; nulla autem est culpa, ubi est bona fides.

Conclusio II. Res spiritualis simoniacè accepta non est obnoxia restitutioni jure canonico ante sententiam Judicis, exceptis Beneficiis & rebus Ecclesiasticis.

Prob. 1. pars: tum quia afferri non potest textus in quo pœna hæc ipso facto imponatur; tum quia constat res alias spirituales, ut Sacramenta, Ordines sacros, Religiosam professionem, consecrationes Altarium, Ecclesiarum, Virginum, validè conferri, licèt simoniacè conferantur.

Prob. 2. pars ex citata toties Extravag. 2. *De simoniâ.* ubi Paulus II. prohibet nè per simoniacam cujuscumque Beneficii provisionem *jus cuiquam acquiratur*, vultque eam *viribus omnino* carere: sed illud restitui debet, cujus possessio nullum jus tribuit, sed è contra viribus omnino caret; ergo.

Obj. contra primam partem. Res acquisita per contractum invalidum, non potest retineri, alioqui sine titulo retineretur: atqui res spiritualis, quæcumque ea sit; eo ipso per

contra-

contractum irritum acquiritur, quo acquiritur per simoniam. Et hac de causa paulò ante dicebamus, pretium simoniacè acceptum, utpotè invalidè acceptum ei, qui dedit restituendum esse.

R. dist. min. res spiritualis acquiritur per contractum invalidum, ex parte illius qui pretium exigit, & recipit, esto, ex parte illius qui rem spiritualem recipit, N. ut solutio intelligatur, unum sufficit; nempe ut verum sit rem aliquam validè retineri posse, tametsi pretium pro eâ datum retineri non possit: atqui istud verum est & evidens: sic mutuum validè recipitur à mutuatario, tametsi pretium pro mutuo non validè recipiatur ab usurario; sic qui ex vi testamenti tenetur certis puellis dotem gratis dare, & eam absque pretio tradere noluit, tenetur ad pretii restitutionem, & nihilominùs datio dotis valida est; ergo à pari,

Adde cum Lessio dub. 30. quòd nullitas contractûs efficiat quidem, ut qui v. g. Reliquias simoniacè accepit, debeat easdem reddere, si repetantur, non autem ut eas reddere teneatur, etiam altero non repetente, aut nolente pretium refundere.

Ex dictis sequitur, fructus Beneficii, simoniacè acquisiti restituendos esse ante sententiam Judicis, cùm sic provisus eosdem non possit facere suos, ut decernit Paulus II. cit. extravag. & S. Thomas suprà. Sed tria hâc occasione quæruntur: 1mo. cui restitutio hæc fieri debeat; 2do. an simoniæ mediatores ad eam teneantur in defectum Beneficiarii; 3tio. an pensio simoniacè acquisita perinde ac Beneficium dimitti debeat.

R. ad 1. restitutionem hanc fieri debere Ecclesiæ, quæ præcipuè læsa fuit, aut si id permittat consuetudo, pios in usus qui saltèm indirectè Ecclesiæ prosint. Licitum tamen est, recurrere ad Papam, & ab eo fructuum, qui nondum consumpti sunt, condonationem obtinere.

R. ad 2. mediatores simoniæ commissæ in Beneficio non solùm ad accepti pretii restitutionem teneri ut per se patet, sed etiam ad restitutionem fructuum quos Beneficiarius accepit, vel culpâ suâ non percepit, si is restituendo impar sit. Mediatores enim sunt & cooperatores damni: porrò cooperatores ad restitutionem tenentur in defectum causæ principalis.

R. ad 3. pensionem simoniacè acquisitam, dimitti debere. Prob. ex cap. 5. 1. q. 3. ubi Urbanus II. loquitur: *quidquid ergo vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel datâ vel promissâ pecuniâ acquisitum est, nos irritum esse, &*

*nullas*

*nullas unquam vires habere censemus*: atqui pensio est è numero rerum Ecclesiasticarum; ergo.

Nec nocet quòd qui pensionem simoniacè accepit, non incurrat excommunicationem: 1mo. quia simonia in pensionibus plecti potuit pœnâ nullitatis, absque eo quòd plecteretur pœnâ censuræ; 2do. quia excommunicatio lata est contra simoniam in Beneficiis, & pensiones non sunt Beneficia: nullitas verò lata est contra simoniam *in rebus Ecclesiasticis*; & pensiones, hodie præsertim, sunt res Ecclesiasticæ. Unde innumeri authores qui docent redemptionem, emptionem & translationem pensionis esse simoniacam & nullam, si fiat sine authoritate Papæ, docent simul nullam tunc incurri excommunicationem.

Idem videtur mihi sentiendum, 1mo. de præstimoniis, quæ res sunt Ecclesiasticæ; 2do. de jure patronatûs, tum quia ità sentiunt plures magni nominis Canonistæ, tum quia id docet Tridentinum Sess. 15. cap. 9. *De reform.*

Præcipua quæ hîc exurgit quæstio, ea est, an ad restituendum tenentur qui simoniam solùm mentalem commiserunt, id est qui spirituale pro temporali accéperunt, aut vicissim, sed absque ullo pacto implicito vel explicito.

Imprimis certum est ea, quæ simoniacè simul & injustè comparantur, jure naturali restituenda esse; cùm dubio procul justitiæ commutativæ violatio inducat onus restituendi, nisi quædam interveniat dispensatio. Unde ad restituendum tenentur, 1mo. qui pretium accepêre ad desistendum ab injustâ vexatione in causâ spirituali: quia acceptum est ab invito & injustè; 2do. qui ex justitiâ obligati ad functiones spirituales gratis exhibendas, ut Parochus ad ministranda Sacramenta, Episcopus ad concedendas dispensationes, vel consecrationes, gratìs hæc præstare nolunt; 3tio. Idem dicendum tum de Prælato qui vendit Ecclesiæ beneficia, quia vendit id quod ex officio gratis dare tenetur: tum de iis qui pecuniam accipiunt ut rejecto indigno dignum eligant; 4to. Idem censent multi de iis, qui pretium acciperent pro Reliquiis, quæ secundùm se pretio æstimabiles non sunt, aut qui aliquid exigerent pro calice, chrismate, oleo sancto, granis benedictis, ratione consecrationis eorum; quia hæc consecratio & benedictio vendi non potest.

Superest expendendum, an omnis actio simoniaca, eo ipso quo talis est, sit injusta, aut saltèm an non aliquam toleret Ecclesia, quo malis gravioribus occurrat. Alioqui enim simoniacus omnis etiam mentalis ad restituendum tenebitur, quam difficultatem hîc investigamus.

CONCLUSIO III. Probabilis & fundata videtur opinio, quæ

docet

docet eos qui per simoniam mentalem, sine aliâ injustitiâ, consecuti sunt rem spiritualem, v. g. Beneficia, non teneri ad restituendum. Idem propter rationes superiùs allatas * dicendum de Simoniâ semireali.

Prob. 1mo. ex cap. ult. *De simon.* quod totum refero: sic in eo loquitur Gregorius IX. *Dicimus resignationes spiritualium & temporalium, quæ nullo pacto; sed affectu animi præcedente utrinque taliter acquiruntur, (in quo casu delinquentibus sufficit per solam pænitentiam suo satisfacere Creatori) eos pro simonia hujusmodi non teneri.* Unde sic: Ii de quibus loquitur Pontifex, rei sunt simoniæ mentalis, ut fatentur omnes: atqui tamen non tenentur iidem ad restituendam rem sic acquisitam; cùm iis sufficiat ut *pænitentiam* agant, quam & quidem *solam* agendo suo satisfaciunt creatori; ergo ut cum Glossâ concludam, hæc simoniæ species, *sola pænitentiâ purgatur sine renuntiatione.*

Respondent aliqui, simoniacos mentales non quidem teneri ad restitutionem vi juris Ecclesiastici: teneri tamen vi juris naturalis quod violaverunt injustè accipiendo id quod acceperunt: sed malè, quia textus Gregorii de conscientiæ foro loquitur: si enim satis sit simoniacis mentalibus Deo per pœnitentiam satisfacere, jam ut Deo satisfaciant, non tenentur ad aliud quidpiam, v. g. ad restituendum, aut resignandum; & si ad restituendum adhuc tenentur jure naturali, jam falsum est quòd iis sufficiat *solam* agere *pænitentiam*; ergo vel fictitia est hæc juris naturalis obligatio, vel sublata per generalem quandam Ecclesiæ indulgentiam.

Prob. 2do. ex S. Thomâ hîc art. 6. ad 6. *Quoad Deum*, inquit, *sola voluntas facit simaniacum; sed quoad pænam Ecclesiasticam exteriorem non punitur ut simoniacus, ut abrenuntiare teneatur; sed debet de mala intentione pænitere.* Præscribit hic S. Doctor quid faciendum sit in foro conscientiæ: atqui solummodo dicit pœnitendum esse; de restituendi verò necessitate nè verbum quidem habet; ergo minùs apta videtur responsio Sylvii dicentis, S. Doctorem supponere hominem hunc vi juris naturalis, restitutioni obnoxium remanere. Si enim res ità sit, quare in re tam gravi hoc unum requirit S. Doctor, ut simoniacum pœniteat *de mala sua intentione.*

Probationes à ratione petitas quas fusè alibi prosecutus sum post Suarem non adducam in præsenti: sed duo annotari velim, 1mo. nullam ab adversariis proponi objectionem quæ verè probet Gregorium IX. non tolerasse ut simoniaci mentales vel semireales sua servent Beneficia, *de mala sua intentione* pœnitendo; 2do. iis, qui in hoc casu constituti oppositam nostræ opinionem, quæ tutior est, sequi volent ut conscientiæ suæ provideant, sufficere ut ad Episcopum recurrant: quia in dubio quale hîc occurrit, sufficit dispensatio Episcopalis.

TRA-

* *Supra pag.* 406.

# TRACTATUS DE CENSURIS

QUI leges Ecclesiæ violant, ab Ecclesiâ plecti convenit: quod præcipuè fit per censuras de quibus hic tùm in genere, tùm in specie dicendum.

## PARS PRIMA.

### DE CENSURIS IN GENERE.

EXpendam in hâc parte, quid,* & quotuplex sit censura; à quo, & in quem ferri possit; quæ in eâ ferendâ servandæ formalitates, &c.

### CAPUT PRIMUM.

*Quid, & quotuplex Censura.*

CEnsura definiri potest, Pœna spiritualis quâ homini baptisato, delinquenti ac contumaci, quorumdam spiritualium bonorum usus aufertur ab Ecclesiâ, donec à contumaciâ recedat.

Dicitur 1mo. *pœna spiritualis*, quia animam privat magno bono; 2do. pœna quâ *aufertur usus*; censura enim suspendit usum rei, donec delinquens à contumaciâ recedat, sed rem ipsam, v. g. titulum Beneficii non tollit; in quo differt a depositione & degradatione, quæ de se in perpetuum privant vel re ipsâ, vel ejus usu, v. g. exercitio sacrarum functionum; 3tio. *quorumdam bonorum spiritualium*: bona enim spiritualia, alia sunt propria, ut fides; alia sunt omnibus communia & externa quorum dispensatio Ecclesiæ credita est, ut suffragia publica, hæc ab Ecclesiâ auferri possunt non illa; 4to. *donec à contumaciâ*



* *Ad tit. 30. Lib. V. Decretal.*

*maciâ recedat;* id enim in censuris spectat Ecclesia, ut per eas frangat contumaciam rebellium, eosque ad obsequium cogat: unde censura dicitur *medicinalis* * adeoque, perpetua non est, cùm contumax statim ac resipuit, absolvi debeat; & sic adhuc distinguitur censura à depositione & degradatione, quæ de se perpetuæ sunt.

Censura dividitur 1mo. ut genus in species, in excómunicationem, suspensionem & interdictum. Unde, quidquid aliqui velint, cessatio à divinis, depositio, degradatio, & irregularitas ex crimine, non sunt censuræ. Et id patet, 1mo. ex his Innoc. III. verbis: ** *Quærenti quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, respondemus quòd per eam non solùm interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi:* porrò si aliæ essent censuræ species præter tres modo recensitas, jam manca foret Innocen. III. responsio, ejusque responsioni similis, qui consultus quid nomine Sacramenti intelligatur, responderet eo intelligi Baptismum, Pœnitentiam & Ordinem, quæ sanè responsio incongrua foret & insufficiens. Et verò propositio dogmatica & doctrinalis in Jure posita, æquivalet universali; ergo cùm tres censuræ species recenset Innocentius, idem est ac si diceret, *Omnis censura his tribus continetur.*

Patet 2do. quia censuræ non feruntur nisi in contumaces ut ad Ecclesiæ obsequium revertantur: atqui depositio & degradatio feruntur in perpetuum, neque auferuntur post resipiscentiam; ergo depositio & degradatio totam censuræ definitionem non suscipiunt, nec proinde sunt censuræ.

Idem est de cessatione à divinis; hæc enim primariò decernitur ad manifestandum Ecclesiæ dolorem, & licèt Ecclesia tunc intendat, ut reus exteriori hoc doloris apparatu commotus resipiscat, reipsâ tamen nullam in eum exercet vindictam, neque eum singulariter ferit: secùs ac contingit in interdicto etiam locali, quod semper directè & specialiter afficit personas quæ interdicto causam dederunt, ideoque illas ubique arcet à divinis.

Idem denique dicendum de irregularitate etiam ex delicto. Nam 1mo. irregularitas omnis primariò constituitur ut indecentia & inhabilitas; censura autem primariò constituitur ut pœna; 2do. censura primariò etiam decernitur ad corrigendos Fideles, non itèm irregularitas, in quâ quis modò peccatorum suorum pœnitentiam agat, humiliter permanere posset; 3tio. censuræ per *absolutionem*, irregularitates per *dispensationem* tolluntur; 4to. is est Romanæ Curiæ stylus, ut cui conceditur facultas absolvendi à censuris, ei non censeatur concessa

* *Cap. 1. De sent. excom. in 6.* ** *Cap. 20. De verbór. signif.*

concessa facultas dispensandi ab irregularitatibus, ergo cùm stylus Curiæ Jus faciat, consequens est irregularitatem distingui à censurâ.

Dividitur, 2do. in eam quæ est ab *homine*, & eam quæ est *à jure*. Censura à jure ea est quæ per legem vel statutum fertur generaliter in omnes qui legem fuerint transgressi: talis est quæ decernitur in Can. *Omnis utriusque sexûs*, adversùs eos qui Paschali officio defuerint. Censura ab homine ea est, quæ fertur ex causâ & facto particulari in certam ac determinatam personam, sive hæc Judici cognita sit, ut cùm nominatim excommunicatur Petrus, nisi intra mensem satisfaciat; sive sit incognita, ut cùm dicitur, Excommunicatus esto qui talem incendiarium cognovit, nisi post ultimam monitorii promulgationem, eundem declaret. Alia fuit olim species censuræ ab homine quam generalem vocabant: sed hæc obsolevit.

Differunt eæ censuræ: 1mò. quòd censura à jure semper liget transgressores, donec lex illam decernens abrogetur; censura verò ab homine eos quos necdum ligavit, ligare jam non possit, statim ac Superior qui eam tulit potestate suâ volens, vel nolens spoliatus est: unde si quis excommunicatus sit sub conditione: *nisi intra sex dies revelaverit*, & Judex ante terminum elapsum moriatur, non incurrit censuram etsi non revelet; quia Superior censuram ab homine fert non ut legislator sed ut Judex; porrò Judicis authoritas eodem mortuo vel amoto aufertur; 2do. quòd censura ab homine, semper reservata sit, non autem quæ est à jure, nisi reservatio exprimatur, de quo infrà; 3tio. quòd censura à jure eos etiam ligare possit, qui legislatori subjecti non erant, quo tempore censura primùm lata est; censura verò ab homine, eos solùm afficiat qui legislatori subjecti erant cùm censuram tulit: quia censura ab homine fertur per modum imperii, imperium autem ad præsentes solùm dirigitur.

Dividitur 3tio. censura in eam quæ est *latæ*, & eam quæ est *ferendæ sententiæ*. Prior ea est quæ contrahitur ipso facto, seu solâ criminis admissione, absque aliâ Judicis sententiâ. Posterior, quæ etiam dicitur *comminatoria*, ea est quam Superior comminatur infligendam, sed quæ non incurritur, nisi nova accedat Judicis sententia.

Signa censuræ *latæ sententiæ* sunt 1mo. particulæ istæ vel similes, *ipso jure, eo ipso, statim, mox, illicò, latæ sententiæ*; verba præsentis aut præteriti temporis, v. g. *excommunicatur suspendimus, suspensus est; noverit se excommunicatum*; 3tio. verba temporis imperativi, ut, *excommunicationi subjaceat*; ni-

si mandatum hoc ad inferiorem Judicem dirigatur, cui committatur officium aliquem censurâ percutiendi. In dubio an verbum sit imperativi vel optativi modi, habendum est pro imperativo, quia ex jure lex imperat, non optat; unde hæc forma, *anathema sit*, videtur esse latæ sententiæ, quia vox *anathema sit*, in Conciliis, ac præsertim in Tridentino tam frequens, usurpari solet contra Hæreticos, quorum errores ipso facto censuræ subjici voluit Ecclesia. Certum tamen est in his spectandum esse usum, & intentionem legislatoris.

Censura *ferendæ sententiæ*: est 1mo. cùm exprimitur verbis futurum indicantibus, v. g. *excommunicabitur*; 2do. cùm legislator hâc utitur formulâ, *sub interminatione anathematis*; 3uo. cùm alicui præcipi videtur ut censuram ferat, his aut similibus verbis, *jubemus, volumus suspendi*. In dubio judicandum est censuram non esse nisi ferendæ sententiæ, quia ex Reg. 49. in 6. *in pœnis benignior interpretatio facienda est*.

Dividitur 4to. censura in justam, & injustam; validam, & invalidam, seu nullam, quæ divisio respicit solùm censuras ab homine; cùm omnis censura à jure seu à canone, semper justa sit, utpotè quæ sit vera lex. Censura *justa* ea est, quæ undequaque legitimè lata est, ità ut nihil ei qui ipsam tulit exprobrari possit. Talis est quæ fertur 1mo. ab habente potestatem: 2do. in hominem subditum; 3tio. ex causâ sufficienter probatâ; 4to. servato juris ordine substantiali & accidentali. Hæc censura semper valida est in foro exteriori, sed aliquando potest invalida esse coram Deo, ut si feratur adversùs eum, qui juridicè convictus fuit de crimine quod reipsâ non admisit.

Censura *injusta*, ea est cui deest aliqua ex quatuor conditionibus mox enumeratis; & hæc duplex est, injusta valida, & injusta invalida. *Injusta valida*, ea est cui deest aliquid accidentale, nihil verò eorum quæ essentialiter requiruntur: talis ea est quæ fertur ab habente potestatem, ob sufficientem causam, sed ex malo motivo, aut neglecto juris ordine accidentali, ut si non præcesserit trina monitio canonica, vel una pro tribus. *Injusta* & simul *nulla*, ea est cui deest aliquid essentiale, sive ex parte Judicis qui careat jurisdictione, sive ex parte subjecti, cujus culpa vel evidenter nulla sit, vel non sufficienter probata: sive ex parte juris, cujus ordo substantialis neglectus fuerit, ut si nulla præmissa sit monitio.

Circa divisionem hanc, hæc in praxi tenenda.

1mo. censura simpliciter injusta, seu, ut loquitur S. Thomas, * *injusta ex parte excommunicantis, qui, v. g. ex ira vel*

* *In* 4. *dist.* 1. *a.* 1.

*odio excommunicat*, aut formalitates accidentales omittit, *nihilominus habet effectum suum*, & verè ligat, unde qui in tali statu celebrat, *pœnas Canonum incurrit, & irregularis efficitur,* * *ut communis omnium consensus testatur, nec de hâc re dubium esse potest.* Et verò id expresſè docuerunt S. Gregorius Magnus Hom. 26. in Evang. ubi sic: *Is qui sub manu Pastoris est, ligari timeat, vel injustè.* Et Urbanus I. his verbis: *Valde timenda est sententia Episcopi, licèt injustè liget aliquem, quod tamen summopere prævidere debet:* unde manavit hoc juris axioma: *Sententia Pastoris,* ** *sive justa, sive injusta fuerit timenda est.*

2do. Censura injusta defectu causæ sufficientis ex parte excommunicati, quæ sic injusta est, ut verè sit nulla, aut est evidenter nulla, *** ut quando *lata est post appellationem legitimam, continetve errorem intolerabilem, ut si diceretur, Excommunico te quia credis in Deum; & in his duobus casibus,* censura nec coram Deo ligat, ut evidens est, nec coram hominibus, quia nullitas ejus à nemine in dubium revocari potest, utpotè vel jam demonstrata ab accusato, vel aliunde notoria. Vel hæc censura licèt à parte rei nulla, non est tamen evidenter nulla, & tunc is in quem lata fuit, tenetur sub peccató quærere alia juris remedia; putà ad Superiorem, recurrere; aliàs peccat, non præcisè quia non paret sententiæ invalidæ, sed quia non paret Ecclesiæ, quæ præcipit ut sic censuratus utatur remediis jure præscriptis.

Quòd si remedia invenire non possit, quia juridicè probatur nocens, tunc debet 1mo. humiliter sustinere censuram, **** ut *humilitatis meritum compenset excommunicationis damnum;* cavendumque nè tumidè insurgat in Superiores, quia alioqui justâ mereretur ob contemptum suum censurâ percelli, qui *injustè nonnunquam* ligatus erat, prout fusè ostendit Nicolaus I. in Epist. 10. Debet 2do. in foro exteriori abstinere ab iis omnibus quæ verè excommunicatis prohibita sunt, quia, ut docet Cabassut. ***** *verè ac justè puniri posset etiam apud Deum, propter peccatum scandali* quod *palàm* exhiberet resistendo Superioribus, quorum sententia vel habetur pro justa, vel nondum iniquitatis juridicè convicta est.

Censeo tamen hominem contra quem censura materialiter injusta lata est, posse privatim, vel coram iis qui innocentiam ejus perspectam habent, & secluso scandalo functio-

 nes

* *Sayr. lib. 1. c. 17. n. 5.* ** *Can.* 1. IX. *q.* 3. *** *S. Bonav. l. 4. part. 2. dub. 1.* **** *S. Thom. ibid.* ***** *L. 5. Theor. v. 10. n. 12.*

nes suas obire, Missam celebrare, atque adhibita eadem cautione excipere confessiones, si Pastor sit: 1mo. quia talis condemnatus, verè & coram Deo innocens est; ergo in eodem est statu coram Deo, ac si non fuisset ab hominibus per malitiam aut errorem notatus; 2do. quia non magìs tenetur homo ille sententiâ contra se latâ, quàm teneatur quis ad solvendam alteri pecuniam, quam ipsi in rei veritate non debet, licèt ad solutionem hanc in judicio ex falsorum testium depositione condemnatus fuerit: atqui is non tenetur; ergo nec ille. Hinc inferes per hanc excommunicationem non privari hominem communibus Ecclesiæ suffragiis: tùm quia non est verisimile potestatem hanc quæ in destructionem esset, à Deo Ecclesiæ fuisse concessam; tùm quia hoc revera non intendit Ecclesia; utpotè quod nec ad bonum commune, nec ad bonum illius qui condemnatur, utile sit.

Dividitur 5to. censura in reservatam, & non reservatam, gravem, & minùs gravem, de quibus infra.

---

# CAPUT SECUNDUM.

## *De causa efficiente Censurarum.*

SUppono 1mo. Christum nullam pe se instituisse censuram: 1mo. quia instituere censuras est determinare quando, & quibus bonis spoliari debeant hi aut illi peccatores: nullus porrò assignari potest Scripturæ locus qui Christum id præstitisse dicat; 2do. quia in censuris nihil est quod ab Ecclesia mutari non possit, unde multa olim fuerunt in usu quæ nunc non sunt, & vicissim: porrò quæ jure divino constituta sunt, vel mutari nequeunt, vel non nisi in casu aliquo admodum singulari.

Nec nocet id Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.* Quia si Christus eo loci veram excommunicationem instituisset, omnes prorsùs qui Ecclesiæ præceptis rebelles sunt, essent jure divino excommunicati; nec magìs liceret cum peccatoribus qui Ecclesiam spernunt, communicare in divinis, quàm cum ethnicis: atqui hæc prorsùs absurda sunt; ergo. Itaque cùm addat Christus, *quæcumque alligaveritis super terram, &c.* innuit, se potiùs dare facultatem censuras instituendi, quàm eas à se institui: unde præcipit non in particulari, sed in generali solùm, ut, qui Ecclesiam non audierint, vitentur ab aliis juxta gradum & modum separatio-

nis ab Ecclesia faciendæ; ergo ipse separationem hanc in tali gradu & modo per se non facit; ergo nec instituit censuras in specie.

Jubet quidem S. Paulus, * *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem* devitari. Sed nihil inde: quia is Pauli textus intelligi potest de obligatione naturali vitandi eos qui nobis damni causa esse possunt, quales sunt præsertim Hæretici, quorum *sermo ut cancer serpit* * Hinc idem I. Cor 5. non minùs acriter præcipit ut vitetur Christianus quisquis *est fornicator, aut avarus, aut ebriosus,* & *cum ejusmodi nec cibum sumere* permittit; & tamen nemo dixerit peccatores penè omnes à S. Paulo excommunicatos fuisse. Adde id quod est institutionis Apostolicæ, non ideo esse institutionis divinæ; Apostoli enim multa fecerunt ut Prælati & Judices, quæ Christus per se & speciatim non instituerat. Sic S. Paulus I. ad Timot. 3. bigamos vult esse irregulares, non quia irregularitatem hanc instituerit Christus, sed quia ejus instituendæ facultatem Apostolis concesserit.

Suppono 2do. posse Ecclesiam instituere & ferre censuras; prout ipsa definiit contra Wiclef. Hus, & Lutherum. Patet id ex his Christi verbis, *** *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis;* & Matth. 18. *Amen dico vobis; quæcumque alligaveritis, &c.* Unde sic: Censuræ pœnæ quædam sunt quæ decernuntur in foro exteriori, & spiritualiter ligant: atqui Christus citatis verbis Ecclesiæ potestatem dedit tales ferendi pœnas. Ad id enim sufficit ut in his textibus agatur & de pœnis, & de pœnis fori contentiosi, & de pœnis quæ animam ligent: atqui hæc omnia constant. Nam 1mo. agitur de pœnis, agitur enim de vinculo quo quis ligatur; 2do. agitur de pœnis exterioris fori: de iis enim agitur pœnis quæ sequuntur denuntiationem Ecclesiæ factam, & quæ ità publicæ sunt, ut qui eas incurrit, habendus sit ut *publicanus.* 3tio. agitur de pœnis quæ animam ligant: pœnæ enim merè exteriores non ligarent in cœlo, ut ligant pœnæ de quibus agitur in citatis locis. Hinc S. Augustinus *Spiritualis pœna est,* inquit *quâ fit quod scriptum est; Quæcumque ligaveritis in terrâ &c.*

Confirm. Respublica Christiana eam habet potestatem, quæ civili etiam Reipublicæ non deest: atqui potestas privandi subditos bonis Reipublicæ communibus, nulli politicæ Reipublicæ deest; ergo nec Ecclesiæ: jam verò talis potestas per censuras exercetur.

Dices, Ecclesia nihil habet potestatis ad destructionem: atqui

* *Ad Tit. c.* 3. ** *II. Cor.* 2. *** *Matt.* 16.

qui potestas ferendi censuras quæ consistant in privatione bonorum spiritualium, est in destructionem; sic enim anima diabolicis incursibus aperta foret.

R. neg. min. Hæc enim potestas, neque est in destructionem Fidelium, cùm ab iis sequestretur graviter lapsus, nè modicum fermentum totam massam corrumpat; neque in destructionem ipsius excommunicati, quià punitur ad coercendam ejus contumaciam, & ut *spiritus salvus fiat*: sic pœnitenti adhuc fluctuanti negatur absolutio, ut gratiæ impedimenta removeat.

Suppono 3tio. potestatem instituendi censuras residere in S. Pontifice, & in Concilio generali. Ratio est, quia censuræ sunt veluti generales quidam Ecclesiæ universæ ritus, quibus singuli Pastores contra contumaces subditos uti debent: atqui ritus tam generales non ab alio quàm à Romano Pontifice, aut Concilio generali institui possunt; sicut leges quæ in toto Regno obligent, à solo Rege condi possunt. Et verò in Ecclesia Dei, quæ est *Castrorum acies ordinata*, nulla esse debet confusio: quanta verò foret, si singuli Pastores novas pro nutu & arbitrio censuras instituere possent? Quo ex jure earum cognitio haberi posset? Quid certi de iis posset statui?

Jam videndum, quis censuras ferre possit, quod ut fiat, notandum potestatem jurisdictionis, quæ judicia respicit, & in actuales subditos exercetur, aliam esse *fori interni*, quæ primariò versatur circa solvenda quoad culpam peccata; aliam *fori externi*, quæ cùm exercetur in invitos, aut inter partes contradicentes, vocatur *contentiosa*. Utraque vel est *ordinaria*, quæ alicui ratione officii ipsius competit, & ab eo exercetur nomine proprio: vel *delegata*, quæ confertur alicui ab habente ordinariam; vel *subdelegata*, quæ committitur alicui ab habente delegatam cum jure subdelegandi. Jurisdictio sive ordinaria, sive delegata, vel est in aliquo *de lege communi*, scilicet secundùm quod fieri solet & expedit; vel *de lege speciali*, secundùm speciale privilegium, & absolutam Ecclesiæ potestatem. His positis,

Dico 1mo. Potestas ordinaria ferendi censuras, de jure communi residet 1mo. in summo Pontifice, quia Ordinarius est super omnes mundi Christianos.

2do. In Episcopis, quo nomine intelliguntur Archi Episcopi & Patriarchæ; ut passim habetur tit. *De officio Judicis ordinarii*. Porrò, ut Episcopus censuras ferat, satis est ut electus sit, & à Papâ confirmatus, quia ferre censuras actus est jurisdictionis qui à simplici Clerico exerceri potest. Idem dicen-

dum

dum de Vicario generali & de Abbate, qui licèt necdum sint in sacris, censuras decernere possunt.

3tio. In Vicario Episcopi, quia unum est Episcopi & Vicarii tribunal, ex c. 2. *De consuetud.* in 6. Porrò Vicarii generales cùm censuras ferunt, non agunt ut delegati, sed ut Judices ordinarii.

4to. In Vicariis aut Officialibus Capituli, cùm Sedes vacat: hæc potestas in instrumento eorumdem nominationis specialiter exprimi debet.

5to. In Prælatis Religionum, ut sunt Abbates, Provinciales, Priores, Guardiani: sed hoc procedit de jure communi; de facto enim, videndum est quid ferant specialia Monasterii Statuta.

6to. In Conciliis generalibus erga totam Ecclesiam, & Provincialibus erga provinciam suam.

7mo. In iis qui jura habent Episcopalia, ut Cardinales in propriis suis Titulis. Ratio est: tùm quia jura his omnibus permittunt ut censuras ferant; tùm quia postulat eorum dignitas, ut subditos suos adigere possint ad ea quæ officii sui sunt adimplenda, quod aliquando sine censuris fieri non potest.

Parochi verò de jure communi censuras ferre non possunt, ut docent SS. Thomas & Bonaventura, &c. quia censuras ferre pertinet ad jurisdictionem fori contentiosi; unde & ad eas requiritur strepitus judicialis; porrò simplices Curati forum contentiosum de jure communi non habent. An autem aliquando potestatem hanc habuerunt Curati, aliis relinquimus expendendum.

Dico 2do. ut quis de lege communi potestatem ferendæ censuræ ordinariam aut delegatam habeat, sufficit & requiritur ut sit rationis compos, viator, & Clericus. Ratio est, quia ferre censuras, est actus jurisdictionis spiritualis, & quidem fori externi: atqui ut talis actus exerceri legitimè possit, sufficiunt & requiruntur tres prædictæ conditiones; quilibet enim Clericus capax est jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ forte Apostolis Matth. 18. concessa est, quo tempore nondum erant Sacerdotes. Imò sunt qui velint facultatem ferendi censuras posse committi Monialibus: sed quidquid sit de jure extraordinario, quod quidem Abbatissæ Fontis Ebraldi à Clemente VII. concessum fuisse existimant; neque conveniens neque decens esset, ut censurarum dispositio feminis committeretur.

Facultas censuras ferendi, acquiri potest 1mo. præscriptione, ab iis scilicet qui aliis aliquâ ratione præsunt, ut populis Parochi, Canonicis Præpositi. Porrò qui facultatem excommunicandi præscripsisset; non ideo alias censuras ferre poss et

quia in præscriptione non valet argumentum à simili. Ad hanc verò præscriptionem requiritur tempus 40. annorum cum titulo colorato, ut patet ex c. 15. *De Præscript.* Sine titulo autem tempus immemoriale, juxta cap. 1. hoc tit. in 6.

2do. Consuetudine, quia consuetudine acquiritur jurisdictio: unde olim Archidiaconi quidam per se aut per officiales suos censuras ferebant.

3tio Privilegio, quale olim Canonicis Carnotensibus concessum erat, * ut nemini liceret eos quos excommunicatione vel interdicto feriissent, absque præmissâ ab iisdem congruâ satisfactione absolvere. Ceterùm nil mirum, si hisce modis comparetur potestas decernendi censuras, hæc enim reipsâ tunc emanat à S. Pontifice vel Ecclesiâ, quæ permittit ut qui diù censuras tulit, aut easdem ferre consuevit, in hoc usu perseveret, ut firma & certa sit jurisdictio Ecclesiastica.

Quæres an possit quis finitâ suâ delegatione ferre censuram, & an delegatio expiret morte delegantis.

R. ad 1. non valet censura ab eo lata ad quem pervenit delegationis suæ revocatio, quia jam caret jurisdictione. Quòd si censuram ferat antequam revocationis notitiam habere potuerit, valebit censura, nisi delegans expressè contrarium intendat; quod nisi apertè constet, nunquam præsumi debet.

R. ad 2. delegationem finiri per mortem naturalem aut civilem delegantis, qualis est ejus captivitas, nisi res sit inchoata per citationem legitimam.

---

# CAPUT TERTIUM.

## *De conditionibus ad Censuram requisitis.*

EX his conditionibus aliæ requiruntur, ut censura licita sit aliæ, ut valida. Rursus aliæ se tenent ex parte ferentis censuram; aliæ ex parte tùm causæ, tùm illius in quem fertur; aliæ ex parte formalitatum quæ in censurâ ferendâ servari debent.

Fatentur omnes, ut quis licitè censuram ferat, requiri: 1mo. ut ab omni pravo affectu liber sit; 2do. ut immunis sit à censuris, iisve impedimentis quæ licèt censuram non irritent, efficiunt tamen ut illegitimè feratur; 3tio. ut servet formalitates, quæ licèt essentiales non sint, Jure tamen præscribuntur, de quibus infrà. 4to. ut peccato non ità gravi graviorem

* C. 23. *De verb. sign.*

rem censuram non irroget: multa enim in rigore licent, quæ tamen non expediunt.

Certum est etiam ut quis censuram, validè ferat, præcipuè desiderari, 1mo. ut jurisdictionem habeat, eamque minimè impeditam seu appellatione legitima; seu voluntate Superioris; seu excommunicatione majori, de quâ infrâ.

2do. Ut qui fert censuram, non ferat eam in propriâ causa; * tùm quia id *sacris regulis prohibetur;* tùm quia *nullus unquam potest accusator simul esse & Judex vel testis*, ex c. 1 IV. q. 4. tum quia magna hîc esset inæqualitas, magnaque aliis inureretur injuria, si quis pro se contra alterum statueret quidquid vellet. Licet tamen propria in causa censuris uti: 1mo. si id fiat per modum defensionis in eum, qui violentiam infert, quia vim vi repellere licet; 2do. ubi causa tam publica est ac manifesta, ut nec negari possit, nec ullo examine indigeat.

Quæres an valeat censura lata ex metu gravi; qui libertatem non tollat. R. affirm. quia actus ex metu gravi factus, jure naturali validus est, utpotè qui simpliciter voluntarius sit; ergo validus manet, nisi jure positivo irritetur: atqui nullum est jus positivum, quod irritet censuras à Judice per metum coacto latas. Irritavit quidem Ecclesia absolutiones censurarum metu extortas, sed nullibi irritavit censuras ex metu prodeuntes: sive quia sæpiùs vis infertur ad obtinendam censuræ absolutionem, quàm ad ejus irrogationem; sive quia irritatio absolutionis ex metu datæ, vergit in favorem Ecclesiasticæ potestatis, cujus vis enervatur, si Judex censuram quam justè tulit, per vim auferre cogatur; non autem enervatur Ecclesiastica potestas ex eo quòd Judex, suppositâ causæ gravitate, cogatur ferre censuras, sed magis roboratur. His præmissis, sit

---

## ARTICULUS PRIMUS.

### *Quam ob causam ferri possit Censura.*

Circa causam censuræ quatuor quærentur: 1mo. an grave ad eam requiratur peccatum; 2do. an debeat esse exterius; 3tio. an consummatum: 4to. an proprium.

Dico 1mo. Ad censuram prærequiritur peccatum, grave ad gravem, veniale ad leviorem.

Prob. 1. pars: censura est pœna ecclesiastica: atqui talis pœna, ut justa sit, supponit culpam: ergo. Prob.

* *Cap.* 17. XXIII. *q.* 4.

Prob. 2. pars. Censura pœna est & medicina: atqui pœna culpæ, & medicina morbo proportionari debent. Unde c. 41. xi. q. 3. dicitur: *Quia anathema est æternæ mortis damnatio, non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi.*

Objiciuntur duo: 1mo. Excommunicatio minor gravissimum est malum, cùm excludat à Sacramentorum participatione: atqui tamen ea incurritur ob peccatum veniale; 2do. si pro levi culpâ non posset gravis decerni censura, peccarent Prælati qui rem indifferentem, v. g. nè quis comam nutriat, aut tabernam ingrediatur, sub excommunicationis pœnâ prohibent; falsum consequens.

R. ad 1. excommunicationem minorem pro pœnâ levi haberi; tùm quia facilè, & ab omni Sacerdote approbato auferri potest; tùm quia raró admodum contrahitur, & tunc solùm, cùm quis communicat cum excommunicato denuntiato.

Ad 2. dico non posse Superiores rem quæ tùm in se, tùm inspectis omnibus circumstantiis levis sit, præcipere aut prohibere sub gravi censura: secùs si res ea licèt alioqui in se levis, gravis fiat ob circumstantias, v. g. ratione scandali, aut periculi nè culpa levis viam sternat ad culpam graviorem. Sic porrò se habent nutritio comæ & popinarum ingressus; quarum fuga multùm conducit ad sanctiorem Cleri disciplinam, qui finis est ab Episcopis intentus.

Ex his sequitur, quoties aliquid à lege vel ab homine vetatur aut præcipitur sub gravioris censuræ pœnâ, hanc legislatoris aut superioris esse intentionem, ut transgressores obliget ad mortale, etiamsi aliàs res de se mortaliter mala non sit. Unde peccat mortaliter qui facit aliquid prohibitum sub pœna censuræ etiam simpliciter comminatoriæ. Quis enim putet legislatorem pro re quam ad bonum commune quasi indifferentem judicat, gravem censuram comminari?

Quæres 1mo. an multi qui vineam devastassent, irà ut tamen eorum nemo tot uvas abstulisset, quot ad peccatum mortale sufficerent, subjacere possint gravi censuræ, contra eos qui non restituerent latæ. R. affirm. idque etiamsi non uno consilio, sed independenter à se invicem, grave illud damnum intulerint; modò gravitatis ejus notitiam habeant. Ratio est, quia etsi singuli venialiter peccaverint, uvas furando, verum tamen est grave illatum fuisse damnum proximo quod quidem reparari nequit, nisi singuli restituant.

Quæres 2do. an Titius qui acum abstulit sartori qui indè grave damnum passus est, incidat in censuram contra fures

latam.

atam. R. In hac materia, in qua termini rigidi sumuntur, aliud est fur, aliud iniquus damnificator: Undè si censura solùm lata sit in fures, Titius cujus furtum non est nisi veniale, gravi censuræ non subjacebit; cui profectò subjaceret, si in damnificatores iniquos lata esset; quia gravis est & iniquus damnificator.

Dico 2do. Probabilius est peccatum internum ut tale, non esse censuræ materiam. Ratio est 1mo. quia ea tantùm peccata censuris subjici possunt, de quibus Ecclesia judicare potest: atqui de internis judicare non potest Ecclesia. *Nobis*, ait Innocentius III. * *datum est de manifestis tantùmmodò judicare*; de internis verò judicat *qui scrutator est cordium*. Atque hinc fluxerunt hæc juris axiomata: *Non habent latentia peccata vindictam*, c. 23. 32. q. 5. &, *Cogitationis pænam nemo patitur*, c. 14. dist. 1. *De pænit.* 2do. quia pœna exterioris fori, pro culpâ solùm exteriori decerni potest: atqui censura est pœna exterioris fori; 3tio. quia censura ad eum debet modum ferri quem indicavit Christus, cùm ipsius ferendæ potestatem Ecclesiæ concessit: atqui indicavit Christus censuram pro exteriori solùm culpâ ferri debere; pro culpâ nempe quæ Ecclesiæ delata fuisset, aut saltem deferri posset, quamque qui ejus reus esset, detestari nolens, ut ethnicus haberetur.

Obj. 1mo. qui hæreticè sentiunt de aliquo fidei articulo, variis in Conciliis excommunicati sunt. Sic in Concilio Gangrensi: ** *Si quis jejunia Ecclesiæ putaverit esse contemnenda, perfectam in suâ conscientiâ judicans esse rationem, anathema sit.* In Concilio Toletano I. *** *Si quis dixerit, vel crediderit Christum innascibilem esse, anathema sit*; ubi actus interior credendi, contra exteriorem expressè distinguitur, & utrique decernitur anathema.

R. neg. ant. & verò in Concilio Gangrensi non agitur dè existimatione purè interiori, quam nunquam cognovisset Ecclesia, sed de eâ prout in actum exteriorem prodibat. Ibi nempe sermo est de Eustathianis Hæreticis, qui jejuniis ab Ecclesia imperatis certa quædam à se inventa jejunia præferebant; quod sinè actu exteriori non fiebat. Quod spectat ad Synodum Toletanam, 1mo. dici potest particulam *vel*, sumi pro conjunctiva *atque*, quæ in aliis ejusdem Concilii anathematismis legitur. Certè sicut ad incurrendum anathema non satis est ut quis dicat, nisi credendo dicat, ità non satis est ut interiùs credat, nisi aliquo modo credulitatem ostendat; 2do. dici potest hic damnari non eos solùm qui verbis, sed & eos etiam qui

* 34. *De Conc.* ** *Circa an.* 324. *** *An.* 400.

qui factis docent & ritibus; hoc enim est *credere* in foro & facie Ecclesiæ. Eo sensu ibi damnantur *qui astrologiæ existimant esse credendum.*

Obj. 2do. Omissio pura est actus interior: atqui quædam sunt omissiones quas sub pœna censuræ prohibet Ecclesia. Sic qui non revelat fulminatô monitoriô anathemati subjacet; ergo.

R. in omissione actûs debiti duo reperiri, nempe actum interiorem qui omissionis causa est, & ipsam omissionem quæ exteriùs manifestatur. Omissio in se sumpta non punitur, sed prout exteriùs innotescit: unde si quis omittere vellet, & tamen non omitteret de facto, nullam pro mala hac voluntate censuram incurreret.

Obj. 3tio. Ideo non posset Ecclesia contra actus merè internos censuram decernere, quia in ipsos nullam habet jurisdictionem: atqui hoc ad minus dubium est, ut patet ex dictis, ubi de Legibus c. 5.

R. dist. min. Ecclesia habet jurisdictionem directivam in actus interiores, C. jurisdictionem coactivam, N. actus enim interiores sunt extra objectum potestatis vindicativæ, quæ cùm à Christo societati sensibili tradita fuerit, non alio quàm sensibili modo exerceri potest, adeòque in res purè insensibiles cadere nequit.

Ex his principiis quidam possunt casus resolvi: 1mo. itaque censuras incurrit, qui exteriùs licèt occultè, crimen sub censura prohibitum committit, v. g. clàm legendo libros prohibitos; hoc enim peccatum non nisi per accidens occultum est, & ex naturâ sua habet, quòd manifestum fieri possit; 2do. easdem censuras non incurrit qui ponit actum quidem exteriùs malum, sed tamen ea carentem malitiâ quæ sub censura prohibetur. Unde qui ex necessitate laborat die festa, quòd vetitum est in eo loco sub censura, à censura liber est: sic quoque qui exteriùs, sive metu, sive aliter profert hæresim, quam corde non tenet, non subjacet censuræ contra Hæreticos latæ; 3tio. nec incurritur censura si actus exterior ab actu interiori malo procedat, modò eum non plenè, sed ambiguè significet. Hinc qui manducat carnes die Veneris, quia hæreticè judicat abstinentiam ab Ecclesia præcipi non potuisse, non subjacet censuræ contra Hæreticos latæ, nisi aliunde errorem suum manifestet: comestio enim carnis in die jejunii non est sufficiens hæreseos signum.

Dico 3tio. Ad incurrendam censuram requiritur effectus completus, quem legislator intendit prohibere.

Prob. Tùm quia lex non ligat, nec operatur ultra intentio-

nem

nem legiſlatoris, de quá ex verbis conſtare ſolet; tùm quia odia reſtringi decet.

Hinc 1mo. ſi lata ſit cenſura contra homicidas, qui homicidium attentavit, ſed non perfecit ob impedimentum quodcumque, cenſuram non incurrit. Hinc 2do. cenſura ſub conditione lata, v. g. in eos qui domum deprædati ſunt, nisi reſtituant intra menſem, non nisi finito termino incurritur: incurretur tamen hoc tempore, etiamſi reus forum mutet, quia per Judicis ſententiam præventus eſt. Hinc 3tio. ſi non ſolùm actio, ſed & conatus ejus ſub cenſurâ prohibeatur, incurretur cenſura, quia actio jam completa eſt; quantùm lex requirit. Sic Pariſiis reſervata eſt ſodomia & beſtialitas, *actu per ſe, ad id ducente tentata*; unde etiam qui ad duellum provocant, illudve acceptant, ſunt ipſo facto excommunicati, etiamſi non ſequatur conflictus. Hinc 4to. non omnis cenſura ob quodlibet voluntarium etiam ad mortale ſufficiens incurritur: plus enim requiritur voluntarii, cùm lex ait, *Qui temerè hoc fecerit; qui hoc auſus fuerit; qui ſcienter, vel ex contemptu hoc egerit, anathemate obſtrictus eſto*, quàm cùm lex iis verbis non utitur.

Dico 4to. ad excommunicationem majorem requiritur peccatum proprium; vel committendum, ſi cenſura ſit à jure; vel jam commiſſum, & perſeverans, ſi cenſura ſit ab homine.

Prob. 1. pars, quia excommunicatio eſt pœna admodum gravis, & quidem de ſe medicinalis; ergo in innocentem & bene volentem ferri non poteſt.

Prob. 2. pars, quia lex futura dirigit; ergo cenſura à jure fertur pro peccatis quæ in poſterum committi poſſent, ut caveantur.

Prob. 3. pars, quia cenſura ab homine nunquam ferri poteſt, niſi in contumacem: atqui non eſt contumax, nisi qui in peccato perſeverat, id eſt, qui præceptum ſibi à Superiore factum contemnit; unde, ut dicemus infrà, hujuſmodi cenſura ſine præviâ monitione decerni non poteſt. Hinc qui officio Paſchali defuit, excommunicari nequit, nisi ſe emendare, vel condignam ſatisfactionem præſtare recuſet.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.
### *De ſubjecto Cenſuræ.*

CErtum eſt 1mo. non poſſe ſubjici cenſuris, nisi qui viator, baptiſatus & doli capax fuerit. Ratio eſt, quia ille ſolùm cenſuris affici poteſt, in quem Eccleſia juriſdictionem habet,

& quem à contumaciâ retrahere potest: porrò talis est solus viator: mortui enim nec secundùm animam subsunt Ecclesiæ foro, nec secundùm corpus capaces sunt emendationis. Aliunde verò non judicat Ecclesia *de iis qui foris sunt*, * quales sunt Catechumeni, & magis Judæi & Infideles. Aliud est de Hæreticis, qui propter acceptum Baptismum pendent ab Ecclesia.

Quòd autem solus viator doli capax censuris subjici possit, patet, quia solus ille capax est delicti & obligationis. Hinc absolutè loquendo possunt impuberes ligari censurâ non solùm *à jure*, ut fatentur omnes, sed etiam *ab homine*. Communiter tamen eximuntur ab excommunicatione, & à reservatione.

Certum est 2do. eos solùm censuras incurrere posse, qui subjecti sunt ei à quo illæ feruntur: quia ubi non est subjectio, ibi nec jurisdictio esse potest; & tamen censura sine jurisdictione ferri nequit. Unde qui exempti sunt ab Ordinarii jurisdictione per privilegium sibi à Papâ concessum, quales esse solent Reges & Reginæ, ejusdem Ordinarii censuris non subjacent. Idem dicendum de Religiosis exemptis, qui in iis casibus in quibus exempti sunt, non contrahunt censuras, etiamsi Superior, qui eorum privilegia nescit, eos ferire intendat: in aliis verò casibus non minùs quàm ceteri censuris obnoxii sunt; quapropter si absque Episcopi licentiâ prædicare, secularium Confessiones excipere, absolvere à casibus reservatis præsumant, &c. censuris Episcopi subjacebunt.

Quæres an Superioris sui censura ligetur subditus, qui alieno in territorio, vel in loco exempto versatur.

R. 1mo. Subditus qui in proprio Episcopi sui territorio deliquit, censuris ejusdem ligatur, etiamsi in alienum territorium fugerit. Ratio est, quia si homo ille plecti non posset in territorio in quo peccavit, crimen ejus maneret impunitum; cùm plecti non possit in alieno territorio ad quod confugit, & ubi nihil admisit quòd censurâ puniri possit, ut nunc supponimus; sicque jurisdictio ecclesiastica sæpiùs eluderetur. Hinc si Parisiis ipso facto incurreretur excommunicatio ab homicidâ, qui vulnus letale infligeret Titio, & statim in Diœcesim Carnotensem avolaret, censuram contraheret, quo instanti mors ex vulnere sequeretur. Et id verùm est etiamsi letaliter vulneratus Parisiis in aliam transferatur Diœcesim, ibique moriatur ex vulnere: quia homicidium, non quidem quoad effectum, sed quoad actionem externam consummatum est in loco ubi sub censurâ prohibitum erat. Eâdem de causâ

* *I. Cor.* 5.

causâ qui Petrum letaliter vulneravit in Ecclesia, incurrit censuram latam contra eos qui occidunt in Ecclesia, etiamsi Petrus in domo sua mortuus sit. A contrario qui in Ecclesiâ positus hominem extra ipsam explosâ catapulta interimit, non incurrit censuram contra eos latam qui in Ecclesia occidunt, quam incurreret si extra Ecclesiam positus eum occideret qui erat in Ecclesia. Ratio est, quia delictum prioris consummatur extra Ecclesiam, posterioris verò intra.

R. 2do. subditos qui extra territorium Episcopi sui delinquunt, censuris per ejus statuta latis non subjacere. Patet id ex c. 2. *De constitut.* in 6. ubi sic: *Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius Diœcesim committentes minimè ligari noscuntur, cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impune*, id est, cùm maneat impunitus qui non paret, seu qui legem transgreditur, &c.

Hæc secunda responsio non impedit, 1mo. quominus Religiosi, ubicumque contra Superiorum suorum Statuta deliquerint, censuras ab iis latas contrahant; quia Religiosi, licèt quoad missionem limites habeant, non habent tamen quoad jurisdictionem, cùm mundum habeant pro territorio; 2do. quominus qui in Beneficio non resident, censuris contra absentes latis ligentur: quia in proprio suo territorio sunt fictione juris, secundùm quam censetur quis peccare eo in loco, ubi non facit id quod ibidem facere debet.

Quæres. 2do. an extraneus qui in alieno territorio deliquit ibidem possit censuras incurrere.

R. 1mo. Extraneus in alieno territorio delinquens contra jus naturale aut commune, potest subjici censuræ, nisi satisfecerit. Ratio est, quia ex cap. ult. *De foro compet.* sortitur forum ratione delicti; ergo quandiu in illâ Diœcesi remanet, legitimè citari potest ab Episcopo loci, & compelli, ad satisfaciendum parti læsæ, & si contumax sit, etiam excommunicari.

R. 2do. Extranei, vagi etiam & errantes ligari videntur censurâ per loci statutum latâ: ità multi contra multos. Ratio est, 1mo. quia tutior est & probabilior opinio quæ docet, extraneos teneri legibus locorum in quibus vivunt: porrò qui tenentur legibus, subjacent censuris, quæ harumce legum violationi annexæ sunt, licet ob earumdem ignorantiam faciliùs quàm loci incolæ, à censura immunes judicari possint; 2do. quia statutum cui annexa non esset censura, haud tamen violari posset sine peccato; utique enim peccaret, qui in speciali loci alicujus jejunio, carnibus vesceretur; ergo statutum illud per se obligat,

adeòque si huic annexa sit censura, eam à transgressoribus incurri necessum erit.

Si tamen nolit Superior ut extranei qui in territorio suo versantur, sine animo ibidem per sex aut ampliùs menses commorandi, censuris à se latis subjaceant; ( quod quidem de iis constare videtur qui opinionem nostræ contrariam scientes & approbantes in Seminariis suis doceri permittunt) tunc dicendum extraneos hisce censuris non subjacere; quia censuræ non operantur ultra ferentis intentionem.

R. 3tio. Censura, si feratur per modum sententiæ, v. g. *Excommunicatus sit ipso facto, qui notitiam habet talis furti; nisi revelet*, non ligat eos qui territorium nondum ingressi erant, quo tempore lata est. Ratio est, quia talis sententia fertur per modum præcepti transeuntis: porrò præceptum transiens non cadit nisi in eos qui actu præsentes sunt.

Quod spectat ad extraneos qui jam in Diœcesi essent, cùm talis fertur sententia, credimus eos, si sat diu ibidem morentur ut commodè revelare possint, ad revelandum teneri sub censurâ: aliud esset de iis, qui quasi cursim transeunt, quia repugnat communis opinio, à quâ sine gravibus causis recedendum non est.

Quæres 3tio. an qui mandant aut consulunt crimen, subjaceant censuræ latæ contra ejusdem executores.

R. 1mo. eos non subjici huic censuræ, nisi explicitè vel implicitè in lege contineantur. Quia in pœnalibus, ut sunt censuræ, stricta debet interpretatio fieri, nec ab uno ad aliud valet illatio; ergo cùm is qui aliquid fieri mandat, aut consulit, non dicatur strictè & propriè illud exequi, pœna in unum lata, non statim ad alium extendenda est. Quòd si censura his aut similibus feratur verbis: *Quicumque fuerit causa talis delicti, qui mediatè vel immediatè, qui per se vel per alium fecerit, sit excommunicatus*; tunc satis exprimuntur mandans & consulens, ut censuram contraxisse judicentur.

R. 2do. Mandantes etiam in lege contenti, non incurrunt censuram cùm in effectum non influunt, nisi censura feratur adversùs mandantes independenter ab effectu. Ratio est, quia mandans qui in effectum non influit, non est causa operis prohibiti sub censurâ, ut patet ex terminis; ergo non incurrit censuram, nisi hæc lata sit primariò contra mandantes, ità ut ei vel solo mandato obnoxii fiant, sicut c. 1. *De homic.* in 6. excommunicatur *ipso facto* qui *quempiam Christianorum per assassinos non solùm interfici fecerit*, sed etiam *mandaverit, quanquam mors ex hoc forsitan non sequatur.*

Hinc liber est à censura, 1mo. qui mandatum revocavit,

modo sufficienter revocaverit, & revocatio innotuerit mandatario: si enim non innotuerit, communior opinio tenet mandantem ligari censurâ; 2do. qui bono animo consuluit aliquid mali, ut alium retraheret ab inferendo majori malo, putà qui volenti Clericum occidere, suasit ut solùm percuteret, talis enim non influit culpabiliter in effectum sub censura prohibitum. Contra verò obnoxius erit consulens qui malo consilio in effectum influxerit, ad quod sufficit ut hominis jam ad crimen determinati, voluntatem auxerit, eumque impulerit, ut citiùs, ardentiùs & immobiliùs crimen exequeretur. Et hoc quidem cognosci potest, tùm ex confesso illius qui consilium accepit, si tamen dignus sit fide; tùm ex conjecturis, ut si criminis patrator jam omnia ad delictum necessaria parasset, nec ejus esset indolis, ut verbis meis moveretur.

Quæres 4to. an, & quatenùs idem homo possit pluribus censuris ligari.

R. 1mo. posse eundem pluribus subjacere censuris, ejusdem, vel diversæ speciei. Ratio est, quia qui jam censurâ irretitus est, potest vel eandem, vel diversam transgredi legem cujus violationi alia annexa sit censura; ergo potest plures incurrere censuras. Unde si constet Titium * *ob duplicem causam excommunicatum fuisse, & expressisse tantùm unam in literis quas super absolutione suâ impetravit*, semper habendus est pro excommunicato, donec secundam ab alterâ censurâ absolutionem obtinuerit.

R. 2do. multiplicari censuras, prout moraliter multiplicantur numericè aut specificè transgressiones: quia unicuique transgressioni completæ sua alligatur censura.

Hinc 1mo. qui Clericum sæpiùs percutit sine interruptione morali, unicam incurrit censuram; quia percussio, ut & furtum, cùm certam & indefinitam extensionem non habeat, non censetur moraliter perfici uno aut altero actu, sed tandiu eadem numero reputatur, donec moraliter discontinuetur. Contra verò qui sæpius, etiam sine interruptione, fornicaretur cum eadem, plures contraheret censuras, quia fornicatio terminum habet definitum, in quo consummatur, & quiproinde pluries poni nequit, quin plura numero peccata ponantur.

Hinc 2do. qui uno ictu tres occidit Clericos, tres incurrit censuras; duas verò qui furatur in Ecclesia, si censura lata sit in fures & in sacrilegos. Ratio est, quia in occisione trium, triplex numero scelus, in furto autem rei sacræ duplex speciè crimen occurrit. Eâdem de causâ, percutiens eum qu

 simul

* C. 27. De sent exc.

simul Monachus est & Sacerdos, duabus irretitur censuris: quia duas violat leges, aliam quâ præcipitur reverentia debita statui clericali, aliam quâ præcipitur reverentia statui religioso debita; alia enim est Clerici aut Religiosi consecratio.

R. 3tio. Qui facit actum ab eodem, vel à pluribus Superioribus eandem habentibus potestatem pluriès prohibitum, non incurrit plures censuras. Ratio est, quia censuræ non multiplicantur, nisi multiplicetur contumacia: contumacia verò non multiplicatur: nisi multiplicentur actus, vel leges; leges verò non multiplicantur, nisi nova imponantur jura, porrò idem Superior, aut plures ejusdem ordinis Superiores nova non imponunt jura, sed unam eandemque legem constituere censentur.

Quæres 5to. an valeat censura in totam Communitatem, Collegium aut Civitatem indistinctè lata.

R. Censura gravis, qualis est excommunicatio *in Universitatem vel Collegium proferri* non potest; id enim vetuit Innocentius IV. quia *nonnunquam contingeret innoxios hâc sententiâ irretiri.* Quòd si objicias Communitatem totam ob alicujus delictum suspendi aut interdici posse; ergo etiam & excommunicari: Respondet S. Thomas, * *quòd suspensio non tanta pœna est, quanta excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati, unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut & totum Regnum ponitur sub interdicto pro peccato Regis; & ideo non est simile de excommunicatione & suspensione.* Imò suspensio hæc quædam est delinquentium pœna, quâ ad bonum revocantur, videntes etiam innoxios propter se gravari.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De formâ Censuræ.*

FOrma censuræ sunt ritus essentiales aut accidentales qui in ferendâ censurâ servari debent. Ex iis alii præcedunt censuram, ut monitiones; alii comitantur, ut signa, quæ censuram exprimunt; alii subsequuntur, ut denuntiatio. De iis seorsim agendum.

### SECTIO PRIMA.

#### *An ad Censuras prærequiratur monitio.*

MOnitio est declaratio à Superiore facta, quòd qui tali legi vel sententiæ non obedierit, talem pœnam incurrat

* *In addit.* q. 22. a. 3. *ad* 2.

currat vel incurrere mereatur. Si Superior moneat per ipsam legem, monitio vocatur *solemnis*. Si moneat per sententiam, seu nominatim, seu non expresso nomine, ut fit in Monitoriis, tunc vel omnes servat juris formalitates, & monitio vocatur *canonica*; vel easdem non servat, & monitio vocatur *non canonica*.

Certum est in censuris, quæ ipso facto à jure vel statuto decernuntur pro peccatis futuris, semper reperiri idoneam monitionem: quia jus ipsum satis admonet; lex enim semper clamat. In his ergo casibus nulla monitio ab ipsâ lege distincta requiritur, nisi lex novam monitionem præscribat, ut in Clem. unic. *De statu Monach.* excommunicantur ipso facto qui visitationes impedire præsumunt, nisi moniti resipiscant.

Tota ergo quæ hic movetur difficultas ad duo hæc reducitur: 1mo. an censura quæ fertur per modum sententiæ pro delicto præterito, decerni possit ipso facto incurrenda sine prævia admonitione; v. g. an valeat hæc sententia, *Excommunicamus eos qui habitum sexûs sui mutaverunt*; an verò dicendum sit, *Excommunicamus prædictos, nisi condignè satisfaciant*; 2do. an cùm lex censuram ipso facto non infligit, sed comminatur, possit censura ferri sine novâ monitione. Sit

Conclusio. I. Ad censuras, quæ pro delictis præteritis feruntur, essentialiter requiritur monitio; non tamen canonica.

Prob. 1. pars. Ille ritus in ferendis censuris servari debet, quem præcipiunt aut graviter insinuant Scripturæ sacræ: atqui talis est monitionum usus. Nam Matth. 18. ait Christus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus*, & ad Titum 3. ait S. Paulus: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita*: atqui ii textus clarè insinuant, eos solùm sicut ethnicos haberi debere, qui ab Ecclesia moniti, eidem parere detrectant; imò hic præceptum verum saltèm aliquo sensu agnovit antiquitas, ut patet ex Concilio Rothomagensi * an. 1118. ubi sic: *Statuimus: ut qui decimas dare recusant, secundùm Domini præceptum admoneantur semèl, secundò, & tertiò: qui non emendaverint, anathematis vinculo feriantur.*

Prob. 2do. ratione fundamentali quam præbet Concilium Meldense ** his verbis: *Anathema est æternæ mortis damnatio; & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi.* Unde sic; Ut quis censura feriatur, opor-



* C. 5. XVI. q. 7. ** C. 41. III. q. 3.

tet eum adeò contumacem esse, ut aliter non possit corrigi: atqui seclusâ monitione nemo potest censeri ità contumax & inemendabilis. Ille enim solùm, omnino contumax & aliter inemendabilis judicari potest, cujus ad sanationem Ecclesia, omnia quæ penès se habet remedia adhibuit; quique ità Ecclesiam spernit, ut ipsi obedire renuat: atqui cùm Ecclesia nondum aliquem monuit, nec omnia adhibuit remedia quæ penes se habet, nec ille ita Ecclesiam contemnit, ut eam audire renuat; unde sperari adhuc, & reipsâ fieri potest ut suaviter ac fortiter monitus ad obsequium revertatur, sicut tot aliis contigit; ergo. Quod hic dictum est de monitione anathemati prætermittendâ, valet pro aliis censuris: nam c. 26. *De appellat.* requiritur monitio ad suspensionem; ad interdictum verò eadem præcipitur c. 13. *De sent. excom.* in 6.

* Confirm. Censura est pœna medicinalis per se directa ad eruendum hominem è statu peccati; unde essentialiter discrepat à pœnis puris, quæ vindictæ rationem habent: atqui si valeret censura sine monitione, jam non esset pœna medicinalis eo quo exposuimus sensu, sed esset pœna ut aliæ pœnæ; imò primario esset in vindictam, & per accidens solùm tenderet ad eruendum hominem è statu suo; quandoquidem validè decerneretur contra eum qui jam resipuisset, ergo.

† Prob. 2. pars. Monitio canonica ea est quæ fit tribus vicibus distinctis, vel unâ saltèm, sed expresso quòd pro tribus valitura sit: atqui talis monitio necessaria quidem est, ut censura justè & licitè feratur, non autem ut validè: unde censura quæ aliter fertur, sæpiùs dicitur injusta, nullibi verò invalida; ergo.

Posset tamen invalida esse censura defectu canonicæ monitionis, si ità jure constitutum esset. Sic ex Decreto Bonifacii VIII. c. 43. eod. tit. in 6. nullæ sunt excommunicationis majoris, suspensionis & interdicti sententiæ latæ contra *participantes excommunicatis eâ participatione, quæ solùm minorem* excommunicationem *inducit*, si decernantur *monitione canonicâ non præmissâ*. Invalida etiam foret excommunicatio à delegato lata sine monitione canonicâ, si delegans eandem monitionem fieri imperasset, quia delegatus nihil potest ultra intentionem delegantis.

Obj. 1mo. Si ad censuræ validitatem requiratur monitio, vel jure divino, vel ecclesiastico: atqui neutrum dici potest. Non 1. stando enim juri divino, non magis requiritur una monitio quàm trina; quæ tamen non requiritur jure divino. Non 2. quia suffragia Ecclesiæ applicantur Fidelibus ex speciali Ecclesiæ dis-

dispositione; ergo si quem iis privari volet Ecclesia, is illico privatus erit.

R. ad 1. neg. min. ad. 2. neg. maj. & dico monitionem divino & ecclesiastico jure requiri, quia utroque requiritur contumacia: haud tamen requiri monitionem trinam, quia trinam non expressit Christus ut essentialem, quod satis patet ex Ecclesiæ interpretatione.

Ad id quod additur, dico Ecclesiam disponere quidem de suffragiis publicis, sed juxta formam à Christo, à Traditione, & à Canonibus præscriptam, unde fit, ut iis privare non possit nisi in casibus sibi concessis: porrò non concessum est Ecclesiæ, ut quemquam iis bonis privet, nisi contumacem.

Obj. 2do. Theodosius à S. Ambrosio ritè excommunicatus est, & tamen sinè præviis monitionibus.

R. 1mo. ex Ambrosii erga Theodosium agendi ratione nihil posse colligi, quandoquidem quòd eum à sacris abegit mysteriis, hoc DEO divinitus admonente fecit, ut ipse testatur Epist. 51. DEUS autem in legibus & humanis & divinis positivis dispensare potest.

R. 2do. Theodosium non subjacuisse excommunicationi prout nunc sumitur; sed partiali cuidam, cui obnoxii erant publici pœnitentes ( & huic quidem nec omnino subditus fuit. ) *Voluit Deus*, ait S. Augustinus Serm. 392. *ut Theodosius ageret pænitentiam publicam in conspectu populi.* Et lib. 5. de Civ. c. 26. *Ecclesiasticâ coercitus disciplinâ sic egit pænitentiam, ut ... pro illo populus orans fleret.*

De celebri & difficili cap. 26. *De appellat.* vide fusiorem nostram Theologiam, p. 69. Tom. IV.

Hic nota, magnum esse discrimen excommunicationem inter & alias censuras: excommunicatio enim nunquam ferri potest, nisi ut pœna medicinalis, adeòque semper supponit contumaciam: at verò suspensio & interdictum aliquando feruntur per modum pœnæ puræ, & tunc non requirunt contumaciam, quia pœna simplex non tam ordinatur ad resipiscentiam peccatoris, quàm ad punitionem peccati, unde & infligitur pro peccato absolutè præterito. Ratio discriminis sumitur ex gravitate excommunicationis, quæ ultimum est Ecclesiæ remedium, adeòque non nisi in contumaces adhiberi potest.

CONCLUSIO II. Probabilius videtur monitionem non esse necessariam, ut actù feratur censura contra eum qui violavit legem censuræ comminatoriam.

Prob. Ibi non requiritur nova monitio, ubi sufficiens reperitur

tur admonitio ex parte Judicis, & sufficiens contumacia ex parte delinquentis: atqui ubi præcedit lex quæ censuram comminatur: 1mo. reperitur monitio sufficiens ex parte Superioris: tùm quia sufficienter admonitus est, qui legem & pœnam lege statutam cognoscit; tùm quia secunda monitio nihil operari potest, quod non abundè præstiterit prima & continua legis comminatoriæ monitio; 2do. reperitur sufficiens contumacia; satis enim contumax est, qui à lege continuò monitu, eidem non obtemperat.

Obj. Censura quam lex minatur, de facto non fertur à lege, sed ab homine; ergo debet præviam habere monitionem ab homine. Prob. conseq. Non potest quis à lege excommunicari ipso facto, nisi ob spretam legis monitionem, unde oriatur contumacia contra legem; ergo nec potest quis excommunicari ab homine, nisi ob spretam hominis monitionem, unde oriatur contumacia contra hominem.

R. neg. utramque conseq. *Sicut* enim spretâ lege quæ censuram ipso facto incurrendam declarat, satis spernitur legislator, neque novâ opus est monitione, ut quis contra eum contumax esse intelligatur; ità spretâ lege quæ censuram comminatur, satis spernitur persona illius, qui legem tulit.

Fatendum tamen satius esse ut Judex in hoc casu monitionem saltèm unam præmittat; quia hæc agendi ratio suavior est, & charitati consentanea magis. Licet autem monitio possit tunc absolutè omitti, necessaria tamen est personæ delinquentis citatio, cui etiam aliquid temporis concedendum est, ut se defendere possit; neque enim puniri potest, nisi qui crimen confessus est, aut confiteri renuens, convictus fuit. Interim Judex citationem omittens, non subjacet pœnis impositis contra eos, qui monitiones emittunt, quia pœnæ non sunt ampliandæ.

Ceterùm necessitas monitiones præmittendi censuris pro præterito delicto, etiam locum habet: 1mo. in Prælatis Religiosis erga inferiores suos; & in Episcopis, qui nonnisi in sui defensionem censuram ferrent; 2do. cùm reus coram ipso Judice, antequam moneretur, declaravit se nunquam esse obediturum; quia seclusâ monitione esset quidem talis reus contra Superiorem contumax, non contra censuram; 3tio. cùm agitur de iterandâ censurâ. Hinc qui jam excommunicatus est à jure propter Clerici percussionem, non potest iterum propter idem scelus ab homine censurâ plecti, nisi antè fuerit monitus. Duplex enim pœna duplicem requirit culpam, & duplici censuræ duplex respondere debet contumacia.

Ut intelligantur cetera quæ huc referuntur,

Quæres 1mo. quomodo fieri debeat monitio.

R. eam, ut sit canonica, debere tribus vicibus vel unâ saltèm vice pro tribus fieri, expresso quòd hæc pro tribus valitura sit. Dixi, vel *unâ saltèm vice pro tribus*; nam. c. 9. *De sent. excom.* in 6. sic habetur: *Statuimus, ut inter monitiones quas statuunt jura præmitti, Judices sive monitionibus tribus utantur, sive unâ pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda.* Ex hoc capite patet aliquot, adeòque duorum saltèm dierum intervallo, monitiones censuram præcedere debere. Sic in monitoriis, quæ veræ sunt monitiones, non profertur excommunicatio, nisi aliquot ab ultimâ promulgatione dies effluxerint; hæc tamen pendent à circumstantiis; fieri enim potest nonnunquam, ut periculum sit in morâ etiam breviore, puta, si Clericus ad supplicium raperetur; vel excitatæ in Ecclesia turbæ statim coerceri deberent.

Quæres 2do. utrùm monitio debeat esse personalis.

R. Vel persona cui parantur censuræ; cognita est, vel non. Si cognita non sit, ut contingit in literis monitorialibus, satis, si ea monitio fiat in loco publico, unde ad delinquentium notitiam pervenire possit, v. g. in Pronao, ut fit in Galliâ. Si verò reus à Judice cognitus sit, tunc monitio persónaliter facienda est; nè in re gravissimâ innocens pro sonte, vel non contumax pro contumaci puniatur; fieri enim posset, ut monitio domicilio facta, ad aures nocentis non deveniret.

Excipe 1mo. si reus dolo latitet; quia tamen non præsumitur dolus nisi probetur, res tota seriò à Judice perpendi debet; 2do. si reus jam semel nominatim citatus fuerit; 3tio. si monitio ad domum facta, ab eo cognita fuerit; 4to. si denuo subjiciatur censuræ, quia malè absolutus est; 5to. *si propter appellati, aut suorum metum, vel potentiam, intimatio fieri nequeat*; tunc enim ex Clementinâ 3. *De elect.* satis est, ut monitio fiat in loco publico, vel Ecclesiâ, unde *ad appellati, seu procuratoris ejus notitiam possit verisimiliter pervenire.*

Quæres 3tio. an etiam exprimi debeat Superior, & pœna quam parat, & nomen illius contra quem agitur.

R. 1mo. monitionem fieri debere nomine Judicis: quia non censetur quis contumax, nisi cognoscat imperium Superioris, & Superiorem cui parendum est. Si monitio fiat in alicujus privati bonum, ut vulgo contingit in monitoriis, fieri quoque debet ad hujus privati instantiam; si verò fiat propter bonum

commune,

commune, tunc ut ex officio suo procedit Superior, sic nomine suo & monere & citare potest.

R. 2do. exprimi debere saltèm in genere censuram: neque enim alioqui foret vera contra censuram contumacia. Haud tamen necesse est, ut monitio hanc in specie censuram exprimat; cùm is sufficienter sit contumax, qui non paret post indictam sibi in genere censuram: tùm deinde Judicis erit eam decernere, quæ contumaciæ reprimendæ idonea magis videbitur.

R. eos qui monentur nominatim exprimi debere, ex c. 9. *De sent. excom*, in 6. nominatim verò monetur, cujus vel proprium nomen, vel certi, unde se agnoscere queat, characteres exprimuntur. Si agatur de Universitate quæ tota excommunicari nequit, singuli nominatim moneri debent. In interdicto, quod propter noxam unius in Universitatem totam cadere potest, satis est, ut ii moneantur, qui sunt contumaces, & interdicto causam præbuêre.

Quæres 4to. an monitio in scriptis, an cum testibus, & per quos fieri debeat.

R. ad 1. scripturam ad monitiones necessariam non esse; quia hoc nullâ lege requiritur.

R. ad 2. monitionem fieri debere *personis præsentibus idoneis per quas si necesse fuerit, possit probari monitio* * idque sub pœnâ interdicti ab ingressu *Ecclesiæ per mensem unum.* Et id verum est etiamsi monitio fiat in scriptis; quia jus sine exceptione loquitur.

R. ad 2. hunc esse apud nos usum, ut monitiones partibus monendis intimentur per Apparitorem regium, qui monitionis exemplar iisdem tradat. Aliquando etiam monitiones Episcopi nomine fiunt ab Ecclesiasticis: ii porrò partem monitam interpellare debent, ut chirographum apponat suum; quæ si renuat, denegationis hujus facient mentionem; tùm omnibus in acta relatis, suaque & testium apposita subscriptione, rei totius *exemplum* ei, quem monitum venêre, committent.

Hic duo notanda: 1mo. harumce formalitatum defectu sententiam non fore invalidam: quia nullibi irritatur in jure; imò c. 48. *De sent. excom.* supponitur valida; 2do. Episcopos qui eas omitterent, non ideo interdicto obnoxios fore, quia c. 4. *De sent. excom.* in 6. statutum est, ut Episcopi in nullo *casu interdicti vel suspensionis pœnam incurrant ipso facto .... nisi de* ipsis *expressa mentio habeatur.*

SECTIO

* *Cap.* 48. De sent. exc.

## SECTIO SECUNDA.

*De iis quæ censuram comitantur & sequuntur.*

CErtum est: 1mo. censuras ut prosint, ferri debere modo qui sensibilis sit; 2do. jus nullibi determinare verba, quibus eædem censuræ ferantur; unde sive dicas, *Excommunico te*, sive *Separo te à communione*, censura valida est; 3tio. in censuris latæ sententiæ pro præsenti, aut pro futuro requiri verba quæ determinatè explicent intentionem Superioris: quia nosse debet quis ligatus, an omnimodè, an partialiter tantùm ligatus sit. Dico in censuris latæ sententiæ; quia certum est 4to. posse Superiorem censuras comminari non exprimendo quas de facto illaturus sit. Jam quæritur an censura ab homine in scriptis proferri debeat, circa quod.

R. 1mo. *Quisquis excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam expressè conscribat, propter quam excommunicatio proferatur.* * *Exemplum verò* seu, ut aiunt copiam *hujusmodi scripturæ, teneatur excommunicato tradere infra mensem si fuerit requisitus .... & hæc eadem in suspensionis & interdicti sententiis volumus observari.* ait Innoc. IV. in Concilio Lugdun.

Hic duo notanda: 1mo. Non requiri, ut scriptura hæc fide publici Notarii, testibûsque, & sigillo authentico munita sit, quia hoc jus non requirit. Censet tamen Suares, unum ex his requiri, quia alioqui Judex Juridicè probare non posset se sententiam tulisse, quod tamen intendit citatus Canon; 2do. causam ob quam fertur censura, in specie scribendam esse: unde satis non fuerit si dicat Judex: *Excommunico Petrum ob contumaciam*, vel *rationabili causâ motus*; sed delicti species singulariter exprimi debet.

R. 2do. Qui formalitates in citato capite *Cum medicinalis* expressas non servat, mortaliter peccat, & pœnis ibidem expressis subjacet, nisi sit Episcopus, aut legitimam habeat aliter agendi causam. Ratio est, quia qui præscriptas citato capite formalitates non servat, omittit legem quæ est in materiâ gravi, quæque justissimè sancita est, tùm propter reum qui faciliùs novit quàm debeat culpam emendare, vel qui faciliùs tueri se potest, si innocens sit; tùm propter Judicem, ut cautior sit in ferendâ sententiâ cujus rationem scripto redditurus est, quæque omnium oculis subjici poterit. Etverò ibidem statuitur suspensio *per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, & divinis*

* *C. Cùm medicinalis* 1. De sent. excom. *in* 6.

*vinis officiis*, contra Judicem, qui legis hujus *temerarius violator extiterit*: porrò pœna tam gravis, probat peccatum transgressoris fuisse gravissimum.

Has tamen pœnas non incurrerent 1mo. Episcopi legis prædictæ violatores, quia, ut dixi, Episcopi non subjacent hisce pœnis, nisi quando de ipsis expressa mentio habetur; 2do. nec Prælati Religionum, quibus licentia ferendi censuras sine scripto concessa est speciali privilegio Romani Pontificis, qui solus in jure communi dispensare potest. Incurrent verò alii Regulares Prælati, quia caput *Cùm medicinalis* absolutè loquitur; nec aliunde debent Regulares quasi ad libitum graves ferre censuras. Incurrerent etiam ii omnes, qui sententiam etiam invalidam ferrent, quia citato capite non punitur per se & primariò prolatio censuræ invalidæ sed omissio modi præscripti. Imò & incurrere viderentur, qui ex bonâ aliquâ fide censuram sine scripto ferrent: quia ignorantia ejus quod ad proprium officium pertinet, non excusat: & licèt temerarius dicatur in jure qui ex dolo agit, temerarius quoque dici potest, qui præcipitanter agit, nec sciens, nec satis scire volens, quo debet modo procedere. Si tamen ea hic occurreret bona fides quæ peccatum mortale tolleret, non incurrerentur eædem pœnæ, quæ cùm graves sint, nonnisi ob grave peccatum, incurri possunt.

R. 3tio. Censura sine prædictis scripturæ, vel expressæ causæ formalitatibus lata, non esset invalida; sed statim & *sine difficultate* à Superiore Judicis, relaxanda, prout eodem capite præcipitur.

Censuram sequitur denuntiatio, hoc est, publicatio censuræ quâ quis ligatus est, sive per sententiam Judicis, sive à jure, sed ante denuntiationem juridicam censuræ à jure latæ præcedere debet sententia per quam Judex juridicè declaret aliquem esse talis criminis reum, unde fit ut contraxerit censuram ex quo crimen admisit.

Ut autem feratur declaratoria hæc sententia, necesse est ut reus citetur & audiatur; * *sententia enim contra eum lata qui nullo modo citatus fuit, nulla est ipso jure*; idque in crimine etiam notorio locum habet; fortè enim qui criminis postulatur, factum negabit; aut negabit se cum advertentiâ, aut sine necessitate vel licentiâ operatum esse.

Circa denuntiationem quæritur: 1mo. an necessariò facienda sit; 2do. à quo fieri debeat; 3tio. quinam in ea facienda ritus debeant usurpari. Qua de re

Dico

* *Cabassut. L. 5. c. 10.*

Dico 1mo. Judex aliquando tenetur ad denuntiationem censuræ.

Prob. ex c. 20. XI. q. 3. *Curæ sit omnibus Episcopis excommunicatorum nomina, tam Episcopis vicinis, quàm suis Parochianis, pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus Ecclesiæ, cunctis convenientibus inculcare; quatenus in utrâque diligentiâ, & excommunicatis ubique ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur.* Etsi porrò verba hæc *Curæ sit*, non inducant rigorosam denuntiationis obligationem; tunc saltem eam induci patet, cùm necessaria est denuntiatio; ut quis per confusionem retrahatur à contumaciâ; ut per segregationem à Fidelibus, desinat esse iisdem petra scandali; ut damnum illatum resarciat.

Hæc denuntiatio locum habet etiam in censuris ab homine: neque enim satis est, ut Judex pro tribunali suo publicè coram partibus sententiam tulerit, sed sententiam hanc vel locis publicis affigi, vel coram frequenti populo secundùm locorum consuetudinem promulgari necesse est.

Dico 2do. Judex non tenetur semper ad denuntiationem faciendam; imò tenetur aliquando ad non faciendam.

Prob. 1. pars: quia caput *Curæ sit*, non importat strictum præcepti genus; & aliunde fieri potest, ut ex variis circumstantiis judicetur, plus è denuntiatione secuturum mali, quàm utilitatis.

Prob. 2. pars; quia non licet Judici ad denuntiationem procedere, si reus congruam offerat satisfactionem: tunc enim infamia ejus augeretur contra Ecclesiæ mentem, quæ est salus sontis, & satisfactio condigna.

Quæres an Parochus vel quilibet alius accepto à Superioribus mandato de faciendâ alicujus excommunicationis denuntiatione, possit eam omittere omnino, aut saltèm differre. De quæstione hâc, quam gravis esse momenti apud omnes constat, hæc statuunt saniores Theologi. *

1mo. Executor seu delegatus qui certò scit sententiam manifestè injustam esse eandem nec potest nec debet executioni mandare: quia talis sententia utporè evidenter falsa, ob violatum ordinem qui servari essentialiter debet, non posset denuntiari sine mendacio & injuriâ gravi, per quam non excommunicatus pro excommunicato, & insons pro sonte haberetur.

2do. Si executori constet sententiam, licèt in rei veritate injustam, eò quòd v. g. lata sit contra eum, quem privatâ scientiâ insontem esse novit, secundùm allegata tamen & probata

* *Coll. Andeg. ibid.*

bata justa esse potest, inquiunt, & debet idem executor Superiori parere, & eam denuntiare. Probant tùm quia casum hunc solvisse videtur Innocentius III. * his verbis: *Etsi sciat executor sententiam quæ sibi à Superiore exequenda committitur, esse injustam, exequi nihilominùs tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat*; tùm quia Judici justitiæ ordinem servanti, & consequenter justè imperanti, parendum est: alioqui occurreret bellum ex utrâque parte justum; Judex enim delegatum justè cogeret, ut sententiam exequeretur, delegatus verò justè etiam parere recusaret: atqui tunc servatus est, ut supponitur ordo justitiæ, unde, & justum est Superioris imperium; ergo.

3tio. Si sententia sit formaliter injusta, id est, lata contra ordinem substantialem juris, & id ignoret ille, cui ejus exequendæ provincia demandatur, vel etiam de eo dubitet, tunc in utroque casu quantumvis noverit privatâ scientiâ sententiam materialiter injustam esse, Judici parere debet, juxta laudatos suprà Theologos. Probant id 1mo. ex Innocentio III. ibid. ubi sic: *Attendentes, quòd non cognitio, sed executio demandatur eidem*; quæ indicant delegati non esse ut acta processûs examinet, sed ut exequatur imperium Superioris; 2do. quia inferior quoties ei certò non constat mandatum Superioris injustum esse, in ejusdem superioris favorem judicare debet: atqui tunc nec certò constat, nec certò constare potest, mandatum Superioris iniquum esse.

Notant tamen iidem Doctores, 1mo. delegatum hunc debere ad Superiorem recurrere, ut ei rei totius veritatem indicet, ** aut saltèm, ut à denuntiationis onere per eum eximatur. Unde plurimùm culpandi sunt Officiales & alii qui invehuntur in Parochos, quasi minùs reverenter agant dum non festinant ipsorum promulgare censuras, quas quidem Parochi qui sæpè propioribus oculis res intuentur, per fraudem & calumniam in factis, extortas: à deceptis Judicibus esse norunt. Longè æquior ac sanctior fuit Alexandri III. agendi ratio, ut patet ex cap. 5. *De rescriptis*, ubi ait *Patienter sustinebimus, si non feceris quod pravâ nobis fuerit insinuatione subjectum.*

2do. Eundem delegatum si sufficienter noverit sententiam secundùm allegata & probata esse injustam; puta quia condemnatur ut nocens qui reverà in processu litis non probatur nocens, tunc non posse eandem sententiã exequi. Ratio sumitur à contrario: ideo enim suprà dictum est delegatum posse exequi sententiam contra innocentem, quia hæc vel cognoscitur, vel

* C. 18. *De offi. Jud. deleg.* ** *Eveillon. pag.* 394.

saltèm præsumitur, esse justa secundum allegata & probata: atqui in præsenti casu sententia non modò injusta est, sed injusta esse cognoscitur per scientiam publicam, quæ ex ipso processu & probationibus desumitur; ergo.

Dico 3tio. Si censura sit ab homine, denuntiatio pertinet ad Judicem qui sententiam tulit, nisi ipse committat alteri curam ejusdem denuntiationis faciendæ.

Prob. quia Judex jus habet sententiam suam, vel per se, vel per alium exequendi. Idem dicendum quando contracta est excommunicatio ex violatione statuti Episcopalis. Si autem censura sit à jure communi, tunc denuntiatio fieri debet authoritate illius in cujus territorio reus deliquerit.

Denuntiatio vel fit non expresso personarum nomine, ut in sententiis quæ ad monitoriorum executionem promulgantur; & hæc denuntiatio licet prohibere nequeat quominus Fideles cum excommunicato communicent, quia tunc latet quis excommunicatus sit, efficit tamen ut noverit qui reus est, se in excommunicationem incidisse, adeoque monet, ut quamprimùm poterit, absolvi curet. At denuntiatio, quæ fit designatis nomine proprio, aut per distinctivos caracteres, personis efficit, ut vitentur excommunicati, & ut cogi possint ad abstinendum rebus sibi interdictis: neutra autem denuntiatio ab alio fieri potest quàm à Superiore habente jurisdictionem circa denuntiandum, aut ab ejusdem Superioris delegato, quantumvis notorium supponatur denuntiandi hominis crimen: ut enim in civilibus non licet unicuique reum etiam notorium punire, sic nec in spiritualibus; denuntiatio autem quædam est pœna infamans.

Ceterùm ex recepto nunc usu, habetur quis pro denuntiato, cùm lata adversùs eum sententia, in Ecclesiâ coram frequenti populo promulgata est, aut ad Ecclesiæ valvas, pro locorum more affixa. Appositè tamen monet Gibert, excommunicati nomen, & excommunicationis causam ad loca vicina mitti debere, quoties periculum est nè excommunicatus eò se transferens, denuntiationem suo frustret effectu. Quòd si excommunicatus ad meliorem frugem redeat, absolutio ejus publicè denuntianda erit, ut Ecclesiæ bonis, & Fidelium consortio frui possit.

CAPUT

# CAPUT QUARTUM.

## *De causis ab incurrendâ Censurâ excusantibus.*

IGnorantia, metus, necessitas, impotentia, dubium tùm juris, tùm facti, censuræ invaliditas, consensus læsæ partis, appellatio, totidem sunt causæ de quibus quæritur an censuram impediant. De invaliditate diximus suprà; de reliquis hîc dicendum.

Quæres itaque 1mo. an ignorantia ab incurrenda censurâ excuset. Quid, & quotuplex sit ignorantia, repetendum est ex Tract. de Actibus humanis p. 10.

R. 1mo. ignorantia invincibilis, sive facti, sive juris communis aut privati excusat à censurâ: unde si quis invincibiliter ignoret abstinentiam à carnibus sub pœnâ censuræ esse tali die prohibitam, immunis est à censurâ, etiamsi carnes comedat; idem est, si legem cognoscens, inculpabiliter ignoret id quod sibi ministratur carnem esse, aut ex carne. Ratio est, * 1mo. quia jus ipsum non vult *ignorantes ligari censuris, nisi eorum ignorantia crassa fuerit, aut supina*; 2do. quia ad censuram requiritur contumacia, & peccatum mortale: atqui ubi est ignorantia invincibilis, saltem alterutrum deest.

Hinc 1mo. qui ignorantiam habent culpabilem, sed solùm venialiter, uti illis contingere potest qui non parum adhibent diligentiæ, ut eorum quæ scire tenentur, notitiam comparent, sed tamen in hâc ipsâ indagatione non nihil venialis negligentiæ afferunt; ii, inquam, censuram non incurrunt, quia censura gravis non incurritur sinè peccato mortali: ubi porrò negligentia solùm venialis est, deest peccatum mortale.

2do. Qui sciunt aliquid, v. g. percussionem Clerici, jure divino prohibitam esse, sed invincibiliter ignorant idem prohibitum esse jure Ecclesiastico, immunes sunt à censurâ: quia censura non incurritur nisi per contemptum & contumaciam contra Ecclesiæ legem: atqui ubi invincibiliter ignoratur lex Ecclesiæ, ibi nec est contemptus, nec contumacia.

3tio. Qui scit rem aliquam jure Ecclesiastico esse prohibitam, v. g. ingressum in Monialium claustra, sed invincibiliter ignorat censuram, quæ contra delinquentes imponitur, ab eâdem censurâ immunis manet. Ratio est, quia ut aliquis censuram incurrat, necesse est ut monitus fuerit: sed qui pœnam

* Cap. 2. De Constit. n. 6.

pœnam lege latam ignorat invincibiliter, monitus non fuit. Nec nocet quòd ex Reg. 13. in 6. *ignorantia facti excusat, non autem juris:* hoc enim verum esse potest in foro exteriori, ubi non facilè præsumitur ignorantia juris, præsertim communis; at non idem est in foro conscientiæ. Aliud est de irregularitatibus uti dicam suo loco.

R. 2do. Ignorantia vincibilis quæ à peccato mortali non excusat, non excusat etiam à censurâ. Ratio est, 1mo. quia ignorantia verè vincibilis, non immeritò vocatur crassa & supina, quia semper annexam habet gravem in re maximi momenti negligentiam, & aliunde supinâ laborare dicitur ignorantiâ, qui nullam, vel qui parvam adhibendæ scientiæ diligentiam impendit: porrò ignorantia crassa non eximit à censuris: 2do. quia vix alioqui in praxi discerni posset, quis ad incurrendam censuram requiratur ignorantiæ gradus; 3tio. quia incredibile videtur, Ecclesiam nunquam voluisse eam censuris suis plectere negligentiam, quam Deus æternis pœnis punire cognoscitur.

Addo ignorantiam affectatam non excusare à censurâ contra eos lata, *qui scienter aliquid fecerint*, vel *temerè*, vel *consultò*, vel *qui præsumpserint, qui contempserint, qui temerarii violatores extiterint.* Ratio est, 1mo. quia ignorantia affectata pro scientiâ habetur, eique moraliter æquivalet; 2do. quia ille meritò dicitur temerarius legis violator; qui quasi demisso capite facit id, quod suspicatur per legem prohiberi sub gravi pœnâ, non curans, sed potiùs id ignorare volens, ut liberiùs quod cerebro suo sapit, exequatur; Porrò hæc est conditio hominis ex ignorantiâ affectatâ agentis.

Idem est de iis qui agunt ex ignorantiâ non quidem affectatâ, sed ità crassâ ut affectatæ æquipolleat. Qui verò agunt ex ignorantiâ simpliciter crassâ, ab hujusmodi censuris excusari solent: quia lex contra temerarios violatores lata requirit aliquem contumaciæ gradum, qui iis deesse videtur, qui legem, licèt non sine gravi suâ culpâ, penitùs ignorant. Hæc decisio ob communem Theologorum sensum in praxi teneri potest.

R. 3tio. Ignorantia concomitans; si verè invincibilis sit, excusat, à censurâ. Ratio est, quia actus externus ex ignorantiâ concomitante & invincibili factus, non habet eam malitiam quæ prohibetur sub censurâ.

Hinc à censurâ eximi solet, 1mo. qui eum quem invincibiliter credit feram esse vel Laicum, licèt Clericus sit, occidere paratus, diceret. *Quàm lubens occiderem Clericum mihi inimicum, sicut hunc occido?* (Secùs si diceret, *Volo hunc occi-*

*occidere, sive Laicus sit, sive Clericus*, quia tunc occisio Clerici satis voluntaria est.) 2do. qui intendens occcidere Joannem Clericum, alium occidit aut ferit Clericum illàc transeuntem, modò tamen satis adhibuerit diligentiæ nè alium, aut saltèm nè Clericum occideret: contra verò qui Clericum percutit, ratus se Clericum alium percutere, censuram contrahit; quia ibi ocurrit & intentio Clericum percutiendi, & actualis ejus percussio. Eidem censuræ subjacet, qui ebrius Clericum ferit, si advertit, aut advertere potuit secuturam ex ebrietate suâ percussionem: nisi ante ademptum per vapores usum rationis sufficientem adhibuerit diligentiam ad vitandam percussionem: quia tunc percussio censenda esset involuntaria.

At, inquies, is quem projecti in Clericum lapidis pœnitet ante percussionem, nihilominus censuram incurrit; ergo & eam incurret ebrius in casu proposito.

R. neg. conseq. nam effectus lapidis semel projecti impediri nequit; effectus verò ebrietatis multiplici viâ cohiberi valet, ut si ebrius se recludat, si aliis seriò imperet nè se exire permittant.

Ceterùm qui Laicum percutit, credens huic percussioni annexam esse censuram, eandem non incurrit: quia erronea conscientia non inducit censuram, sed Superior legitimus.

Quæres 2do. an qui agit in dubio incurrat censuras. R. Si dubitas an actioni quam faciendam meditaris annexa sit censura eam certò incurris, si reipsa hæc ei annexa sit; quia & verè peccas, & satis contumax censeri debes, ut qui id facias quod fortè prohibitum est sub censura. Si verò dubium versetur circa actionem jam peractam, debes te gerere quasi censuram incurreris, ut infrà dicam agendo de Excommunicatione minori.

Quæres 3tio. an metus excuset a censura. Nota: metus vel est levis, isque nec à peccato nec à censura excusat; vel gravis, & hic vel incutitur in contemptum Ecclesiæ, vel non: quibus positis,

R. 1mo. Si res quæ ex metu gravi agitur, prohibita sit solùm jure Ecclesiastico, qui eam facit non incurrit censuram, Ratio est, quia qui legem merè humanam omittit ex metu gravi, putà amittendi vitam, famam, fortunas, non peccat; cùm leges humanæ sub tanto incommodo obligare non soleant, ut dictum est Tom. I. (Aliud erit si metus incutiatur in contemptum Ecclesiæ, quia qui legem Ecclesiæ in ejusdem Ecclesiæ contemptum transgreditur, etiam ex metu gravi, non ideo immunis est à gravi peccato; ergo nec immunis est à censurâ contra hocpeccatum latâ.

Hinc

Hinc infert Navarrus, * homicidam post debitam contritionem & confessionem, etiam nondum obtentâ dispensatione, posse Sacrum facere, si probabiliter timeat se homicidii hujus suspectum fore nisi celebret. Idem dicit tùm de excommunicato occulto in simili periculo infamiæ constituto: tùm de Moniali quæ occultissimè in censuram reservatam incidisset: ea enim, inquit, ante moram petendæ absolutionis posset Choro interesse, & communicare cùm aliæ ad id tenentur, si ab iis abstinendo fama ejus & monasterii periclitaretur. Unde sequitur excommunicatum occultum posse sine peccato & irregularitatis metu, audire Sacrum, celebrare, absolvere, &c. ad vitandum grave scandalum, vel infamiam, vel detractionem vel grave proximi periculum & necessitatem. Nomine autem scandali, ait Suarez, non intelligo admirationem hominum cum frequenti sermocinatione de eâ re, sed occasionem peccati, ut detractionis & judicii temerarii. Ratio decisionis hujus præcipua est, quòd ubi occurrunt præcepta duo quæ simul observari nequeunt, tunc gravius observari debet: majus autem est præceptum non exhibendi scandalum, quàm faciendi præter obligationem censuræ audiendo Sacrum, celebrando, &c. Qui tamen est in statu peccati mortalis, & nullum vel valde dubium de eo dolorem sentit, potiùs omnia pati debet, quàm in tali statu celebrare.

R. 2do. Si res quæ fit ex metu, non Ecclesiastico solùm, sed divino & naturali jure vetita sit, probabilius est incurri censuram. Ideo enim qui legem merè Ecclesiasticam ex gravi metu violat, non subjacet censuræ, quia immunis est à peccato quod censuræ præsupponitur; ideo autem à peccato immunis est, quia non intendit Ecclesia ut filii sui hasce leges cum tanto discrimine servent: porrò hæc ratio jam locum non habet, cùm res quæ agitur ex metu, per se mala est, & juri naturali contraria. Et verò Ecclesiæ censuras decernentis scopus est, ut homines potentiùs & efficaciùs retrahat ab iis quæ jam divino aut naturali jure prohibita sunt, ergo tàm latè obligare debet Ecclesiæ censura, quàm Dei vel naturæ lex: unde cùm lex illa etiam in casu gravis metûs obligare non desinat, non etiam ligare desinet Ecclesiæ censura. Unde docet Sylvius, eos è Christianis qui in Turcarum triremibus metu mortis remigant contra Christianos, non esse à censura immunes.

Quæres 4to. an impotentia faciendi id quod præcipitur sub censura, ab ea excuset. R. affirmat. quia quod excusat à

 peccato,

* *Manual. c. 27. n. 28.*

peccato, excusat à censura: atqui impotentia excusat à peccato. Hinc non subjacet censuræ contra rei alienæ detentores latæ, qui absolutè restituere nequit, vel id non potest sinè gravi incommodo, v. g. sinè damno longè majori, aut sine detrimento bonorum ordinis superioris.

Sed an cui certum tempus, v. g. mensis, constitutum est ad solvendum sub pœna censuræ, eam incurret, si initio mensis solvere potuit, & prævidit se reliquo tempore solvendo imparem fore. Incurret, quia talis restituendi omissio verè est culpabilis, adeoque censura plecti potest. Et verò quis à peccato excuset eum qui manè Missam audire potuit, & non audivit, prævidens futurum ut deinceps audire non possit.

Quæres 5to. an consensus illius in cujus favorem lata est censura conditionalis, possit eam suspendere. R. affirmat. 1mo. quia si quis absolutè remittat creditori suo debitum quod sub pœna censuræ duos intra menses solvere tenebatur, cessabit censura ob subtractionem materiæ; ergo etiam suspendetur; si creditor terminum proroget; 2do. quia debitor ante elapsum terminum non est propriè debitor, neque est in morâ.

Quæres 6to. an appellatio excuset à censurâ.

Not. 1mo. appellatio est provocatio ab inferiore Judice ad superiorem facta, ratione gravaminis illati vel inferendi; unde appellatio, species est quædam defensionis, quæ innocenti injustè oppressò conceditur.

Appellatio duplex: judicialis, & extrajudicialis. Appellatio *judicialis*, ea est quâ appellatur ab actibus judicialibus: unde de iis est quæ in judicium veniunt, vel circa illud accidunt, eaque tripliciter interponi potest: 1mo. ante litis contestationem, ut si quis appellet quia citatus est ad locum non tutum, 2do. post litis contestationem, sed ante sententiam definitivam, ut si quis appellet à sententiâ interlocutoriâ, seu quæstionis incidentis; 3tio. post sententiam definitivam, ut si quis appellet ab eâ nè mandetur executioni. Appellatio *extrajudicialis*, ea est quæ fit ob gravamen, quod extra judicium ab aliquo infertur, aut probabiliter inferendum timetur, ut si quis appellet eò quòd Beneficium in ejus præjudicium alteri concessum fuerit; vel nè talis hominis electio fiat. Hæc appellatio non est vera & propriè dicta appellatio: quia appellatio propriè dicta requirit Judicem *à quo* & *ad quem*: extrajudicialis verò non necessariò à judice, sed ab eo omni qui iniquè gravat, etiamsi Judex non sit.

Not. 2do. Appellationis legitimæ duplex est effectus: nam 1mo. *devolvit* causam ad tribunal superius; 2do. *suspendit*

*effectum:*

*effectum* sententiæ Judicis inferioris. Verùm appellatio posteriorem hunc effectum non semper patit, idque præsertim constat in censuris, qui enim à sententia excommunicationis contrà se lata appellat, conqueritur quidem de hac sententia, sed non cessat ligari, donec is ad quem appellatum est, agnita sententiæ injustitia eamdem resciderit.

Not. 3tio. Censura ferri potest vel purè & absolutè, ut cùm quis excommunicatur, quia contumax est; vel conditionatè, ut cùm quis excommunicatur, nisi intra mensem satisfaciat. His positis,

R. 1mo. Appellatio legitima excusat à censura conditionali, modò appellatio fiat ante lapsum temporis ad implendam conditionem concessi. Habetur exprefsè cap. 4. *De appellat.* Ratio est, quia appellatio devolvit causam ad alium judicem; ergo Judex ille jam amplius censuram validè ferre non potest: unde cùm prior ejus sententia conditionalis, nihil operata sit ante conditionem expletam, & jurisdictio ejus per appellationem suspendatur, jam appellantem ligare non potest.

R. 2do. Appellatio legitima à censura jam lata, eam non suspendit: idem est de censura conditionali, post conditionis eventum. Ità statuit Innocentius III., cap. 53. *De appellat.* Ratio est, quia censura absolutè lata *executionem secum trahit*, & suum sortitur effectum; ergo tandiu ligat donec ligatus absolvatur: absolutio autem non tribuitur per appellationem, * ut patet; unde communis Canonistarum vox est, appellationem tunc devolutivam esse, non verò suspensivam.

R. 3tio. Per appellationem interpositam à censura ab homine, non solùm ea non suspenditur, sed nec ejus denuntiatio impeditur: unde non obstante appellatione potest Episcopus excommunicatum denuntiare eum contra quem talem sententiam tulit. Ità habetur cit. cap. 53. *De appellat.*

R. 4to. Ut legitima sit appellatio plura requiruntur: 1mo. causa sufficiens & probabilis; *appellationis enim remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum*, ex cap. 61. *De appellat.* 2do. *Non oportet ad compares Judices appellationes referri;* ** *sed à minori judicio in majus tribunal ascendere.* Unde non valet appellàtio ab Ecclesiâ ad Ecclesiam; 3tio. appellatio fieri debet intra 40. dies, qui computantur à publicatione sententiæ; atque id locum habet in Galliâ, ut docet Cabass. lib. 4. c. 12.

 CAPUT

* *V. Edict. an.* 1693. *art.* 17. ** *C.* 2. *q.* 6. *cap.* 28.

# CAPUT QUINTUM.

## *De absolutione à Censuris.*

VIdendum hîc 1mo. quis absolvere; 2do. quis absolvi possit; 3tiò. quæ forma, quisve sit absolutionis ritus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *Quis absolvere possit à Censuris.*

CErtum est 1mo. censuram tolli posse per absolutionem: quia Christus solvendi simul & ligandi potestatem Apostolis concessit; * & hâc potestate semper usa est Ecclesia.

Certum est 2do. censuram propriè dictam non nisi per absolutionem tolli. Unde si suspensio pro uno mense imponatur, eo quidem transacto desinet, sed non erit veri nominis censura, quæ semper durat si semper duret contumacia. Jam quæritur quis absolutionem illam tribuere possit; quod ut gradatim resolvamus, quæstionem quæ in se generalior est, in plures alias partiemur.

R. *In articulo mortis omnes Sacerdotes quoslibet pænitentes à quibusvis peccatis, aut censuris absolvere possunt, nè scilicet quis pereat.* Ità Trident. Sess. 14. cap. 7. Ratio est, quia in illo casu omnes Sacerdotes jurisdictionem habent; ut patet ex constanti Ecclesiæ usu.

Dixi, *omnes Sacerdotes*, ac proinde ii etiam qui sunt excommunicati denuntiati, prout nunc saltèm communiter docent Theologi: 1mo. quia in textu Tridentino vox, *omnes Sacerdotes*, tam latè patet quàm vox ista, *omnes* seu *quoslibet* pœnitentes: atqui vox *quoslibet*, ipsos etiam excommunicatos denuntiatos comprehendit; ergo à pari. Et certè, *ubi Canon non excipit, nec nos excipere debemus*, ait Glossa in cap. 13. dist. 55. 2do. quia nisi vox *omnes Sacerdotes*, ad ipsos etiam præcisos Sacerdotes extenderetur, jam Ecclesia durè ageret, non ut pia mater, imò nec assequeretur finem suum, qui est ut nemo pereat; quandoquidem ii perirent quibus à præciso succurri non posset; 3tio: quia Melchior Canus, & Dominicus Soto, qui Concilio Trid. interfuerant, apertè docent validam esse absolutionem à Sacerdote excommu-

* *Matth.* 12.

municato denuntiato concessam in præsenti casu, hoc autem non docuissent contra mentem Concilii quæ eos latere non potuit; 4to. quia etiamsi nostra hæc opinio dubia foret, liceret tamen eâ uti; quia in extremis dubiâ jurisdictione, ut & dubiâ materiâ uti licitum est.

Si tamen periculum esset nè seduceretur quis quærendo absolutionem ab Hæretico etiam non denuntiato, tunc ab eo recusari debet.

Sed poteſtne Sacerdos non approbatus, in articulo mortis absolvere, cùm præsens est proprius Sacerdos, aut alter approbatus, vel cùm absolutio à censuris per litteras obtineri à Superiore potest. Non potest, 1mo quia Rituale Pauli V. sic habet, *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit, quilibet Sacerdos poterit à quibuscumque censuris & peccatis absolvere*; 2do. quia Synodus Tridentina in decreto citato confirmat solùm consuetudinem in Ecclesiâ semper custoditam porrò consuetudo antiqua non permisit unquam cuilibet Presbytero ut in articulo mortis absolveret, nisi cùm aberat Superior aut Sacerdos approbatus, ut colligitur ex cap. 14. XXVI. q. 6.

Quòd si confessio non approbato fieri cœperit, & superveniat approbatus, poterit prior continuare, & absolutionem largiri: 1mo. quia Tridentinum permittens ut quilibet Sacerdos in periculo mortis absolvat, non restringit facultatem hanc usque ad adventum Superioris, alteriusve Sacerdotis approbati, 2do. quia jurisdictio delegata continuatur rè non integrâ, nisi revocetur: porrò Sacerdos approbatus, aut Superior jurisdictionem ab Ecclesiâ ipsâ concessam revocare non potest. Ceterùm Confessarius qui aliquem in articulo mortis à censuris absolvit, debet curare: 1mo. ut pœnitens actu satisfaciat si potest; 2do. ut saltèm cautionem, vel etiam juramentum præstet de satisfaciendo, aut heredes suos ad damni quod ipse intulit reparationem, instrumento quantùm fieri poterit authentico cogat; 3tio. jure communi obligandus est pœnitens, ut sublato impedimento propter quod ab eo qui aliunde incapax erat, absolutus fuit, quamprimum commodè poterit, se præsentet Superiori, qui de jure extra illud periculum absolvere poterat; alioqui *in eandem sententiam recideret ipso jure*, prout statuit Bonifacius VIII. cap. 22. *De sentent. excomm.*

Verùm si ejus censura publicè denuntiata sit, tunc enim ei recurrendum erit ad Superiorem non modò ut salutis monita & pœnitentiam recipiat, sed ut ab eo in foro exteriori absolvatur: si tamen antè moriatur quàm publicè ab-

solutus fuerit, *non debent ei cæmeterium, & alia Ecclesiæ suffragia denegari*, quia ad hoc sufficit absolutio sacramentalis quam recepit, ex cap. 14. *De sepultur.*

An autem simplex Sacerdos possit in articulo mortis omnes prorsus censuras relaxare, controvertitur. Placet negativa; quia Concilium ideò solùm facultatem absolvendi in articulo mortis concedit, *nè quis pereat:* atqui ut aliquis non pereat, satis est ut absolvatur ab iis censuris, quarum occasione gratiam Dei consequi non posset, quales sunt excommunicatio, & interdictum personale. Ex quo paret à contrario, necessum non esse ut ei relaxetur irregularitas, suspensio ab Ordine, Officio, vel Beneficio.

Porrò quidquid sentiant aliqui, idem esse credimus in hâc materiâ articulum & periculum mortis; 1mo. quia periculum & articulus mortis promiscuè accipiuntur in Jure, ut patet ex cap. 29. XVIII. q. 4. & cap. 5. *De sent. excom.* in quibus eadem censura nunc extra periculum, nunc extra articulum mortis reservata dicitur, & ex cap. 22. *De sent. excomm.* in 6. ubi periculum & articulus mortis perinde excipiuntur à reservatione; 2do. quia periculum morale in malis, sicut eventus ipse caveri debet: unde hæc statui posset regula, eum à quovis Sacerdote absolvi posse qui hîc & nunc jure divino ad Confessionem tenetur.

Quæres 2do. qui extra casum necessitatis à censuris absolvere possit.

Nota 1mo. censuræ vel relaxantur in foro interiori, vel in foro exteriori; 2do. vel sunt ab homine, vel à jure; 3tio. vel sunt reservatæ, vel non; 4to. vel sunt in perpetuum, vel ad tempus, ut aliquæ suspensiones, quæ non tam sunt censuræ, quàm pœnæ. His positis,

R. 1mo. in foro conscientiæ solus Sacerdos à censuris absolvere potest. Ratio est, quia solus Sacerdos Judex est in eo foro. Hæc tamen absolutio non valet nisi coram Deo; unde sic absolutus, coram Judice in externo foro conveniri, & omnibus excommunicatorum pœnis subjici potest.

R. 2do. In foro exteriori à censuris etiam non reservatis absolvere potest, solus & omnis: 1mo. qui censuram tulit; 2do. successor ejus; 3tio. ejus delegatus; 4to. & ejus Superior. Ratio est, quia ii omnes & soli ordinariam, vel delegatam habent in illo foro jurisdictionem.

R. 3tio. Excommunicatio à jure aut statuto, quam legislator sibi non reservavit, ab omni Sacerdote ad audiendas confessiones approbato relaxari potest. Ratio est, *quia conditor canonis eo ipso quo censuræ hujus absolutionem sibi specialiter*

*cialiter non retinuit, concessisse videtur facultatem aliis eam relaxandi*, ait Innocentius III. cap. *Nuper* 29. *De sent. excom.*

Hæc regula locum non habet: 1mo. cùm Episcopus censuras quæ jure communi reservatæ non sunt, sibi specialiter reservavit; aut cùm usu receptum est in certis Diœcesibus, ut simplex sacerdos ab iis non absolvat; 2do. cùm censuræ etiam non reservatæ, ad forum contentiosum traductæ sunt: ità multò plures à quibus non est recedendum inconsultò Episcopò. Si reus se purgaverit falsis etiam probationibus, jam censura quam incurrerat, non magis reservata erit quàm ante illatam ei accusationem; quia crimen sine effectu ad Judices deductum, censetur occultum, cùm probatum non fuerit. Ità declaravit Sacra Congregatio; idque docet Ducasse 1. p. cap. 10. sect. 4. 3tio. cùm censura fertur ab homine per sententiam specialem; de quo paulò post.

Quod diximus de excommunicatione, * idem videtur dicendum de suspensione: unde ea solùm suspensio reservata est, quæ imponitur ad tempus, vel quæ est ab homine, vel quam expressè reservavit legislator. Ratio est: 1mo. quia hæc doctrina nunc longè communior est; unde qui suspensionem non reservatam incurrerunt, ab ordinariis suis Confessariis sine scrupulo absolvuntur; 2do. quia certum videtur Innocentium III. ex occasione casûs particularis super quo consultus fuerat, regulam generalem statuisse, ut sæpè solent Romani Pontifices: atque id ab adversariis ipsis est admittendum. Ii enim fatentur excommunicationem majorem quoties reservata non est, à quolibet Sacerdote posse relaxari: atqui caput *Nuper*, non loquitur de excommunicatione majori, sed solùm de minore, quam quis incurrit communicando cum excommunicato nominatim, non in crimine criminoso, sed in *oratione vel osculo*; ergo necessum est ut ipsa verba Innocentii latiùs interpretentur, quàm pro subjectâ materiâ.

Etsi momenta hæc gravia sunt, ut tamen omne invalidæ absolutionis periculum effugiam, hæc in praxi sequi conabor: 1mo. si alicubi docent aut doceri permittunt Episcopi, suspensionem omnem semper reservatam esse etiam non expressâ reservatione, **ut in Diœcesibus Agathensi & Catalaunensi, tunc non absolvam, nisi pro reservatis censuris approbatus sim; 2do. ubi Episcopi quasdam suspensiones sibi reservant, quasdam non, præsumam eas non esse reservatas, quarum reservatio non exprimitur, si nihil aliud obstet; 3tio. in locis

* *Coll. And. Tit.* 1. *p.* 356. 164. ** *Coll. Agath. T.* 182.

in locis ubi res dubia apparet, consulam Superiores, aut id sequar quod timorati & peritiores facere consueverunt; 4to. in suspensione quam incurrit quis falsum, aut collusorium titulum exhibendo, non ausim absolvere. Vide Tractatum de dispensationibus.

R. 4to. Possunt Episcopi censuras Papæ reservatas remittere: 1mo. cùm eæ occultæ sunt; 2do. cùm etsi publicæ sint, qui in eas inciderunt, Romam adire non possunt.

Prima pars patet ex his Tridentini verbis, * *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare: & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis,* (ac proinde annexam habentibus excommunicationem: cum & ratione hujus soleant reservari; & qui dicit, *quibuscumque*, nihil excipiat) *delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi suâ per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere impositâ salutari pœnitentiâ.*

Hic notandum: 1mo. in citato decreto Episcopi nomine intelligi Capitulum Sede Vacante; quia Capitulum succedit in jurisdictionem ordinariam Episcopi; 2do. juxta plures ad hoc ut verba hæc, *in Diœcesi suâ*, verificentur, sufficere & requiri ut vel Episcopus sit in Diœcesi suâ, etsi ille qui absolvendus est sit extra ejus Diœcesim; vel ut subditus sit in Diœcesi, etsi Episcopus sit extra eam; 3tio. verba hæc, *in foro conscientiæ*, ** non idem esse ac in foro pœnitentiæ, quia forum conscientiæ non solùm est intra, sed & extra confessionem, modò res occultè fiat, non autem in foro contentioso. Et verò si præcepisset Concilium ut Episcopus ab iis casibus in foro solùm sacramentali absolveret, perperam apposuisset vocem hanc, *in Diœcesi suâ*; quia satis clarum erat subditum extra Diœcesim existentem non posse ab Episcopo manente in Diœcesi suâ, sacramentaliter absolvi; 4to. posse Episcopum vi Tridentinæ concessionis relaxare censuram ob crimen quadantenùs publicum contractam, quia non omne quod à pluribus cognitum est, censetur in præsenti casu verè & simpliciter notorium. Quod ut intelligatur.

Notand. duplex distingui notorium, facti scilicet & juris. Primum illud est, quod ita publicum est & famosum, ut nullâ possit tergiversatione celari in totâ viciniâ, vel in majori viciniæ parte, ad quod non requiritur scientia populi magni

* *Sess. 24. c. 6. De reform.* ** *Vide infra art. 1. q. 4.*

magni, vel omnium pagi alicujus incolarum aut majoris partis ejusdem pagi; sed juxta probabiliorem sententiam sufficit certa cognitio decem hominum; decem enim homines faciunt populum, multitudinem, Parochiam, ex c. *Unio*, x. q. 3. & communi Canonistarum sensu. Secundum, id est, *notorium juris*, illud est quod constat vel ex confessione rei in judicio, vel ex judicis sententiâ.

Quia tamen pronum est principiis sanioribus abuti; & multa à viris præcipitatione, scrupulo aut malignitate laborantibus, pro notoriis habentur, quæ aliquâ tergiversatione celari possunt, idcirco duo hîc addo altè animis infigenda: 1mo. facti notorietatem *ordinarie* loquendo, non esse tutam agendi regulam, ut notat Lamet v. *Communion.* cas. 4. 2do. ubicumque dubium occurret, statim & semper interrogandum esse Episcopum, ejusve Vicarios generales, qui pleniorem juris, disciplinæque, & ejus quæ tunc servanda est, agendi rationis notitiam habere debent.

Jam quòd possint Episcopi à casibus Papæ reservatis, etiam non occultis, quamcumque censuram annexam habeant, eos absolvere, qui *imminente mortis articulo, vel paupertate, aut infirmitate, inimicitiâ, puerili vel senili ætate, fragilitate sexûs, vel alio impedimento canonico* Romam recurrere non possunt; expressè habetur c. 26. & 58. *De sent. excommun.* Idem docet Parisiense Mandatum his verbis, ***Ab iisdem casibus, etiamsi occulti non sint, absolvere potest D. Archiepiscopus Monachos ac Regulares*** * (etiam exemptos, de licentiâ tamen Superiorum, imò & sinè eâ si injustè denegetur) *Moniales, conjugatas, juniores viduas, puellas, pauperes, senes, valetudinarios, ac denique omnes quibus salvâ vitâ, libertate, & rebus suis Romam adire non licet.*

Ubi notandum est eos qui ob citata impedimenta Romam ire non possunt, ut Papæ se præsentent non teneri Romam mittere, ut hinc absolutionem obtineant, nisi id locorum usu stabilitum sit. Certè enim ex Ritualibus Diœceseon Virdunensis, Metensis, &c. patet hanc in iis locis esse praxim, ut qui cessante impedimento propter quod absoluti fuerant à censuris Papæ reservatis, Romam non adeunt, in easdem reincidant censuras.

R. 5to. tempore Jubilæi possunt Sacerdotes omnes, modò tamen ab Ordinariis approbati sint, absolvere in foro pœnitentiæ à censuris Papæ reservatis.

Dixi 1mo. *modò approbati sint*; id enim expressè ferunt Bullæ Jubilæorum. ** & aliunde usu receptum est. Censentur

* *Salmant c. 3. n. 52.* ** *Ibid. cas. 7.*

tur autem ab Ordinario ad Jubilæi effectum erga fratres suos approbati, qui à Superioribus suis approbati sunt: quia, ut ait Sylvius, *Superiores Regulares sunt ordinarii respectu suorum subditorum.*

Dixi 2do. *in foro pænitentiæ*; quia Sacerdos potestate sibi per Bullam Jubilæi concessa uti non potest, nisi in ordine ad absolutionem sacramentalem. Porrò absolutio etiam Jubilæi tempore collata ei qui publicè denuntiatus fuisset censuram incurrisse, ei quidem prodest ut Sacramenta secretò recipiat, non autem ut publicè se gerat quasi absolutum; unde necessum est, ut in exteriori foro absolvi curet.

Circa hæc nota: * 1mo. eum qui Jubilæi gratiam lucratus est; *si post transactum Jubilæi tempus recordetur peccati eum censurâ, cujus oblitus fuerat in suâ Jubilæi tempore factâ confessione* Sacerdoti ad id approbato, *posse deinde à quoquovis Sacerdote absolutionem suscipere, quia per priorem generalem censurarum absolutionem, omnis reservatio fuit ablata.* Et id locum habet, quoties quis Sacerdoti pro reservatis approbato quædam peccata reservata confiteri oblitus est: tunc enim prima absolutio reservationem tollit; unde peccatum illud deinceps à quovis Sacerdote relaxari potest; 2do. eum qui Jubilæi tempore confessionem ex merâ suâ culpa nullam emisit, non fuisse à reservatis absolutum, unde ad Sacerdotem pro reservatis approbatum recurrere debet. Idem dicit Pontas ** de eo qui homini vi solius Jubilæi approbato confessus fuisset sine intentione Jubilæum lucrandi.

R. 6to. A censuris Superiori reservatis per ejus Statuta, absolvere non potest, nisi Superior ejus, successor, aut ab eo delegatus. Ratio est, quia reservatio ceteris potestatem hanc aufert; iis verò quos citavi auferre nequit.

Dixi 1mo. *qui statutum fecit*: & is tamen ab hâc potestate excidit: 1mo. si denuntietur excommunicatus, suspensusve ab officio & Beneficio, aut interdictus; quia sic privatur jurisdictione; 2do. si appellatum sit ad Papam qui censuram confirmaverit; tunc enim absolutio, Papæ tanquam ultimo Judici reservatur.

Dixi 2do. *ejusve successor aut Superior*; quia par in parem jus non habet, ac multò minùs in Superiorem, unde neutrius manus ligare potest, sed nota censuras à Suffraganeo latas non relaxari à Metropolitano, nisi in casu appellationis: pendente autem appellatione potest adhuc censuræ lator eam relaxare, quia appellatio ligat manus, nè contra appellantem quid fiat, non ut pro eo aliquid fiat.

Dixi

* *Cabass. ibid. n. 6. Goll. Andeg. p. 215.* ** *V. Pec. publ. cas. 5.*

Dixi 3tio. *aut delegatus*; qualis erga extraneos censetur Sacerdos in aliâ Diœcesi approbatus, de quo infrà. Circa delegatum nota longum in præsenti materia esse discrimen inter delegatum à Papâ & ab Episcopo. Nam 1mo. delegatus à Papa ad absolvendum à casibus ei reservatis, semper habet potestatem absolvendi à censuris; secùs de delegato ab Episcopis, qui cùm ad absolvendum à casibus reservatis approbatur, non ideo approbatur ad absolvendum à censuris, quia Episcopi multos sibi reservant casus sine censurâ; 2do. delegatus ab Episcopo ad ferendam censuram, non ideo censetur delegatus ad absolvendum ab eâ, nisi id expresserit Superior. Nota insuper facultatem absolvendi à censuris *ab homine*; comprehendi in generali facultate absolvendi à quibuslibet censuris, ab Episcopo vel à Rom. Pontifice concessâ.

R. 7mo. A censuris ab homine strictè sumptis, quæ feruntur per sententiam particularem, nemo absolvere potest, nisi ad id specialiter approbatus sit ab Episcopo qui easdem censuras tulit; quia eæ semper eidem reservatæ sunt, etiamsi reservationis mentio non fiat. Hæc conclusio magni est momenti, & in praxi omnino tenenda: 1mo. quia alioqui passum iret Ecclesiastica disciplina, jurisdictionum & judiciorum ordo subverteretur, atrocia quæque crimina pœnam saltèm sibi parem effugerent, neque adamussim satisfieret Superiori & partibus læsis ad quarum exigentiam censura lata est: si enim pœnitens ipse ut plurimùm ignoret quid debeat, quantò magis id nescient Confessarii plures, aliunde sæpiùs parum accurrati? 2do. quia tutior, communior, & sanioribus Theologis probata est hæc nostra assertio, quam tenent Suarez, Vasquez, Valentia, Coninch, Avila, Cabassut. Coll. Condom, p. 116. Andeg. p. 193. Habert, &c. eamque in praxi sequi debent Regulares; quibus prohibet Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 11. nè *Laicos vel Clericos à sententiis ab homine latis ullatenus absolvere possint.*

Sed hîc cautè notandum excommunicationem quæ fertur contra eos qui monitorio parere renuunt, licèt generalis videatur ob generalia quibus concipitur verba, reipsâ tamen esse censuram ab homine, eamque specialem, quia quòd persona confusè, vel in particulari exprimatur, * vel quòd delinquens sit unus aut plures, non variat modum ferendi censuram ab homine per sententiam particularem. Unde colliges cum Jacobo Eveillon. cap. 32. art. 5. Giberto, & aliis passim, eum qui Lugduni excommunicatus est, sive nominatim sive quia monitorio non paruit, nec ab Episcopo Diœcesis

* *Suarez.*

cesis alterius in quâ domicilium posteà fixit, nec à Superiore Religionis quam ingreditur, absolvi posse: unde vel ad eum remitti debet, cujus sententiâ innodatus est, vel ab eo per literas aut aliter petenda est absolvendi illius facultas. * Rursus qui in alienâ Diœcesi, ob aliquod delictum speciali censurâ ligatus fuisset, ad suâ reversus à proprio Episcopo absolvi non posset, nisi de licentiâ Episcopi excommunicantis. Ratio patet, tùm ex dictis; tùm quia ex trito axiomate, *Præventus à judice, forum ipsius in ea causâ declinare non potest.* Addit Eveillon ibid. p. 460. eum qui censurâ particulari percussus est ad instantiam partis, non posse etiam post præstitam ei satisfactionem, & de ejus consensu ab alio absolvi quàm à Superiore, vel de speciali ejus licentiâ. Et hæc omnia à Regularibus ipsis cautè pensari debent; cùm ii, quidquid potestatis habeant à Papâ, nihil possint in censuras ab homine; quas ne ipsa quidem Apostolica Sedes per se relaxat, ut à viro experto didici.

Aliud est cùm quis alicubi, v. g. Parisiis censuram aliquam per statutum Archiepiscopo Parisiensi reservatam incurrit; is enim si bonâ fide in alienâ Diœcesi confiteatur, poterit absolvi ab Episcopo loci illius, vel à Sacerdote quovis, saltem si (quam restrictionem statim expendam) pro censuris reservatis approbatus sit. Ratio est 1mo. quia id usu receptum est, consuetudo autem jurisdictionem tribuit; 2do. quia hæc agendi ratio & immunis est ab incommodis quæ sequerentur absolutionem à censura ab homine ubicumque concessam; & fere necessaria est, cùm satis facilè sit incurrere censuras à jure, rarò autem incidat quis in censuras ab homine per sententiam specialem.

Quæres obiter, à quo Titius qui in casum Parisiis reservatum sine censura incidit, absolvi possit.

R. 1mo. Titius in Diœcesi Parisiensi non potest absolvi nisi à Confessario pro casibus reservatis approbato; res per se patet.

R. 2do. Si casus ille etiam in aliâ Diœcesi quam adierit Titius, reservatus sit, ejus quoque absolutio ab eo petenda erit qui pro reservatis approbatus sit, idemque ubique erit, si casus ille ubique reservatus sit.

R. 3tio. Si casus ille non sit reservatus in illâ aliâ Diœcesi, tunc à Confessario etiam pro reservatis non approbato dimitti poterit.

R. 4to. Si casus Parisiis non reservatus, reservatus sit in aliâ Diœcesi, v. g. Carnuti, in quâ commoratur Titius, tunc etsi

* *Suar. ib. a. 27. &c. Habert. ibid.*

etsi Parisiis commissus sit, nonnisi à Sacerdote pro reservatis approbato absolvi poterit. Pariter si hodie cùm peccat Titius, peccatum ejus reservatum non sit, cras verò novo statuto reservetur, habenda jam erit absolutio ab approbato pro reservatis. Ratio est, quia reservatio, utpotè quæ sit limitatio potestatis ordinariæ vel delegatæ, per se & primariò cadit in Confessarium, (prout ab Eugenio IV. definitum est;) ergo Confessarius ille non potest absolvere Titium, etiamsi is peccaverit in loco vel tempore ubi nulla erat reservatio.

Sed quid si casui in quem incidit Titius annexa sit censura in loco ubi crimen commissum est, reservata? R. absolutionem à quocumque simpliciter approbato haberi posse, si nulla sit reservatio in loco ad quem se Titius transtulerit. Ratio est, quia etsi censura directè in pœnitentem cadit, undè solâ absolutione tolli potest, reservatio tamen in Confessarium cadit, ergo remanente censurâ, tolletur reservatio in iis locis ubi censura hæc vel lata non est, vel saltèm non fuit reservata. Quini ergo eadem censura â quocumque Sacerdote approbato relaxari possit?

Confirm. Ideo censent Cabassutius & Pontas, eum qui Parisiis peccatum reservatum admisit, posse alibi à quocumque Sacerdote etiam pro reservatis non approbato absolvi, si casus ille ibi reservatus non sit: 1mo. quia Confessarius quilibet non potest adstringi ad sciendum omnes & singulos casus reservatos in Diœcesibus eorum, qui ad se confessionis causâ confluunt; 2do. quia ex constanti regulâ, reus judicari debet *secundùm jura loci in quo judicatur:* atqui duplex ea ratio invictè ostendit censuram à statuto Parisiis reservatam, non autem Carnuti, ubi à quocumque Confessario remitti posse. An enim teneur Confessarius Carnutensis ad sciendum omnes & singulos casus reservatos cum censurâ in aliis Diœcesibus? An non judicabit secundùm jura loci sui, si absque approbatione pro censuris reservatis, eam relaxet censuram, quæ in Diœcesi suâ reservata non est?

Quæres quot sint censuræ Episcopis reservatæ.

R. 1. in toto juris corpore, junctâ Synodô Tridentinâ, * unam esse hæreseos censuram quæ itâ Episcopis reservata sit, ut *eis* solis *in foro conscientiæ tantùm, non eorum Vicariis,* ab eâ absolvere *sit permissum.*

R. 2do. censuras omnes quæ cùm publicæ sunt reservantur Papæ, reservari Episcopo cùm occultæ sunt: idem est de censuris etiam publicis, cùm qui iis ligati sunt, ad Apostolicam Sedem recurrere non possunt; utrumque sequitur ex suprà dictis. R.

* *Sess. 24. C. 6.*

R. 3tio. tres esse in Decretalibus, * excommunicationes quarum absolutio Episcopis reservata sit, sed cum quadam limitatione. Prima ea est quam incurrunt Clericorum percussores. Secunda, quam incurrunt incendiarii. Tertia, quam incurrunt qui cum effractione spoliant Ecclesias. Ab his de jure absolvere possunt Episcopi, per se, vel per delegatos; sed, ut dixi cum restrictione, nam qui Clericum percussit atrociter, à solo Papâ absolvi potest, si percussor ad eum recurrere possit: incendiarius verò, & Ecclesiarum cum effractione spoliator, ab Episcopo absolvi non possunt, *si sint denuntiati.*

Quod spectat ad alias censuras quæ Episcopis per eorum statuta reservantur, consulere debent Confessarii Libros Rituales Diœcesis in quâ versantur.

Quod spectat ad censuras Romano Pontifici reservatas, eæ sunt numero 29.

B. 12.

1. est contra eos qui *suadente diabolo in Clericum vel Monachum violentas manus* injecerint c. *Si quis* XVII. q. 4. Hæc sola habetur in Decreto.

2. contra excommunicatos à delegato Papæ, qui per annum in excommunicatione remanent, nec absolutionem obtinere satagunt, c. 26. *De offic. deleg.*

3. contra falsarios Literarum Pontificalium, qui *per se vel per alios vitium falsitatis exercent*; c. 7. *De crim. falsi.*

4. contra *non resignantes, vel non destruentes* hasce *Literas falsas intra viginti dies*, ibid. c. 4. in parte dec.

5. contra incendiarios, *ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati* c. 19. *De sent. excom.*

6. contra eos qui cum effractione spoliant Ecclesias, *si sint denuntiati*, c. 22. ibid.

7. contra *Clericos qui scienter & sponte participaverunt excommunicatis* à Papâ, *& eos in officiis receperunt*, c. 18. ibid. Hæ habentur in Decretalibus.

8. contra *eligentes in Senatorem Rom. aliquem Imperatorem, Regem, Comitem, aut alium dignitate præcellentem, aut fratrem, aut filios ejus*, c. 17. *de elect.* in 6.

9. contra *dantes licentiam capiendi, interficiendi, aut vexandi personas Aulicorum, aut eorum facultates, aut suorum eò quòd tulerint excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententiam in proceres, & quoscumque alios, & eorum ministros*, c. 11. *De sent. excom.* in 6.

10. contra *insequentes, persequentes, vel capientes hostiliter* *Cardi-*

* *Vid.* C. 17. 10. 12. De sent. exc.

*Cardinalem*, *vel auxilium & favorem dantes ad illud exequendum*, c. 5. *De pœn.* in 6. Hæ, ut patet, habentur in Sexto.

11. contra eum qui *quemvis Pontificem injuriosè vel temerè percusserit, aut ceperit, aut banniverit, vel hæc mandaverit fieri aut facta ab aliis rata habuerit*, Clem. 1. *De pœn.*

12. contra Inquisitores qui *odii, gratiæ, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu*, in Officio negligentes fuerint aut injusti.

13. contra Religiosos qui *non habitâ, super his Paræcialis Presbyteri licentiâ*, præsumunt *administrare Sacramenta Unctionis extremæ & Eucharistiæ, Matrimoniumvè* celebrare seu *absolvere excommunicatos à canone*, præterquam in casibus qui eis concessi sunt, *vel à sententiis per Statuta Provincialia aut Synodalia promulgatis*, Clem. 1. *De privil.*

14. contra *prohibentes nè excommunicati denuntiati ab Ecclesia exeant tempore Missæ & divini Officii*, Clem. 2. *De sent. excom.*

15. contra *excommunicatos & interdictos inobedientes à celebrantibus monitos, ut ab Ecclesia exeant*, ibid.

16. contra *dominos temporales cogentes celebrare in Ecclesiâ interdictâ*, ibid.

17. contra *Religiosos & Clericos qui aliquem inducunt ad vovendum, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, &c.* Clem. 3. *De pœnis.* Hæ ex Clementinis; reliquæ sunt ex extrav. commun.

18. contra *violantes interdicta ab Apostolicâ Sede imposita* c. 3. *De pœn.*

19. contra *conspirantes in personam Romani Pontificis*, ibid.

20. contra *asserentes esse hæreticum qui dicit .... B. Virginem esse conceptam sine peccato*, & vice versâ c. 2. *De reliq. & ven. SS.*

21. contra *Religiosos mendicantes transeuntes ad alium Ordinem non mendicantem, sine licentiâ Papæ, excepto Carthusiensium Ordine*, c. 1. *De Regular.*

22. contra *absolventes sine licentiâ ab excommunicatione Papæ reservatâ*, c. 3. *De pœn. & remiss.*

23. contra committentes simoniam & eorum mediatores, c. 2. *De simon.*

24. contra eos qui *aliquid dant vel promittunt ad obtinenda à S. Sede Rescripta gratiæ vel justitiæ, aut qui iis* sic obtentis *utuntur*, c. 1. *De sent. excom.*

25. contra *ferentes censuras in subditos qui Sedem Apostolicam pro suis negotiis prosequendis adeunt*, c. 3. *De privil.*

26. contra *deferentes arma, equos, victualia & alia quæcumque mercimonia in Alexandriam & alia loca Saracenorum terræ Ægypti*, c. 1. *De Judæis*.

27. contra *exigentes, & etiam dantes pastus, pecunias, vel jocalia pro Religionis ingressu*, c. 1. *De simon.*

28. contra Religiosos qui sine licentiâ Superioris transferunt se *ad partes transmarinas*; itèm contra superiores, qui aliis quàm viris *literatis, providis & expertis* licentiam illuc eundi concedunt.

29. est contra reos *criminum hæresis*. Aliæ passim iisdem in libris decernuntur excommunicationes, quæ referuntur ad citatum caput. *Si quis suadente*, XVII. q. 4.

Ex his casibus sex, vel octo plùs minusvè variis in Ritualibus exscribuntur sub nomine casuum Papæ reservatorum; quia tamen monent aliqui Præsules, * præter eos quos recensent casus, alios esse Papæ reservatos, quos omittùnt, quia *rariùs in his regionibus* accidunt, idcirco Confessarii ad Episcopum recurrere debent, si fortè quosdam in pœnitentibus suis detegant casus iis similes quos modò enumeravi.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De subjecto Censuræ*, &c.

COnstat 1mo. quòd superior ut absentem ligare, sic & à censurâ absolvere potest; 2do. absolutionem ei esse tribuendam qui eam humiliter petit, seque à contumacia recessisse probat. Hac occasione.

Quæres 1mo. quo instanti operetur absolutio à censuris absenti data. R. eam si absolutè & sine conditione data sit, operari statim ac concessa est, etiamsi nuntius vel epistola nondum pervenerint ad absolutum. Ratio est, 1mo. quia absolutio vim trahit ab intentione Superioris; 2do. quia si censura statim ac prolata est absentem liget quidni & absolutio statim solvat?

Quæres 2do. an absolvi possit invitus. R. vel quis est invitus, quia non vult à contumaciâ recedere; vel quia licèt recesserit à contumaciâ, non vult absolutionem petere. Si 2. validè absolvi potest, quia censura non est culpa, sed pœna, & sic à nolente auferri potest. Excipe, si pœnitens absolveretur vi Bullæ vel privilegii in ipsius pœnitentis favorem concessi, quia usus privilegii pendet à voluntate illius cujus in gratiam

* *Paris.* p. 92. *Blesens.* p. 84.

gratiam concessum est. Si 1. vel peccatum in quo quis contumaciter perseverat, uno actu non conficitur, sed tractum habet successivum, ut hæresis; vel peccatum illud ipso facto completur, ut fornicatio. In priori casu non potest tolli censura, remanente contumaciâ, nisi lex suspendatur, quia lex perseverans perpetuam operaretur censuram: unde tunc is solùm à censurâ absolvere potest, qui potest legem tollere. In secundo casu, habens ordinariam absolvendi potestatem, absolvere potest etiam invitum, etsi legem tollere non possit, nam & jurisdictionem habet, & actio ejus non irritatur per resistentiam ejus quem absolvit, cùm absolutio ab ejus voluntate non pendeat, & aliunde lex novam continuo censuram non infert, ut in priori casu.

Quæres 3tio. an una censura auferri possit, remanente alia. R. affirm. quia, nulla est inter censuras connexio: unde ut una ante aliam ferri, sic una ante aliam auferri potest. Hinc qui absolutionem petendo extra confessionem, unam expressit censuram, non debet judicari ab aliis absolutus, nisi conjici possit judicem sine restrictione absolvere intendisse, quod nunquàm præsumere debet, qui ex dolo aliquas quibus tenebatur, censuras celavit. In Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos intendit absolvere quantùm licitè potest, & indiget pœnitens; unde tollit eas etiam censuras quæ è pœnitentis sui memoriâ exciderant. Quapropter si Confessarius à censuris reservatis absolvere potuit saltèm indirectè, tenebitur quidem pœnitens peccata oblita clavibus subjicere, non autem denuo à censuris absolvi unde absolvi poterit à quocumque Confessario. Docent tamen Avila, & alii multi, eum qui in confessione oblitus est censuræ, à qua absolvi non poterat, nisi præmissâ satisfactione partis, non remanere absolutum, etiamsi generalem à Sacerdote ad hoc approbato absolutionem obtinuerit; quia probabile non est Confessarium impendisse absolutionem, quàm si validè dare potuit, non potuit tamen sine mortali peccato concedere.

Quæres 4to. an absolutio à censuris dari possit, non datâ absolutione à peccatis.

Not. triplex forum hic distingui, forum contentiosum, forum conscientiæ, & forum pœnitentiæ. Primum est illud in quo res exteriùs discussæ judicantur secundùm terminos juris. Secundum est ipsum pœnitentiæ tribunal, in quo major æqui ac boni habetur ratio quàm rigoris legum. Tertium est illud in quo res expediuntur absque judiciali strepitu, & Sacramentali confessione. Hic positis,

R. 1mo. eum qui habet potestatem ordinariam, posse à cen-

suris absolvere extra confessionem idque vel in foro fori, vel in foro conscientiæ. Patet id ex usu.

R. 2do. eum qui potestatem habet delegatam seu ad absolvendum à censuris, seu ad dispensandum à voto vel similibus, in foro conscientiæ, posse dispensare absque eo quòd audiat illius quicum dispensandum est, confessionem; secùs si delegetur ad dipensandum in foro pœnitentiæ. Ratio est, quia ex dictis, & usu Curiæ Romanæ, aliud est forum conscientiæ, aliud forum pœnitentiæ: unde, ait Bonacina, Parocho nondum Sacerdoti tribui potest facultas subditos suos in conscientiæ foro à censuris absolvendi, licèt eorum confessiones excipere nequeat. Hæc tamen absolutio, sicut & dispensationes in tali foro concessæ, pro exteriori foro valere prohibentur, nisi aliud exigat æquitas & præmissa sit satisfactio.

R. 3tio. Censent non pauci Sacerdotem pro censuris reservatis approbatum, posse jam incepta confessione nondum autem finita, à censuris absolvere pœnitentem, cùm id exigit ratio sufficiens, putà ut intersit Missæ vel Officiis qui iisdem interesse solebat, nec sine aliquali scandalo ab iisdem recedere potest. Ità mihi declaravit celebris Canonista; * atque id factum scio à Confessariis nec imperitis, nec viâ laxiori incedentibus; quia tamen meritò existimabant talem absolutionem iis solùm concedendam esse, ex quorum dispositionibus moraliter conjicitur eos absolutâ tandem confessione, dignos fore qui à peccatis absolvantur. Quia tamen hic aliquid est dubii, tutius est, ut hoc non faciant nisi ii qui quasi specialiter approbati plus potestatis receperunt quàm alii; quales ii esse videntur quibus Episcopus, amicitiæ & fiduciæ gratiâ; id omne quod potest, jurisdictionis communicat; aut qui ea de re specialiter Episcopum consuluerunt, quod ab omni erroris periculo magis est remotum.

Quæres 5to. an cui ex privilegio permissum est ut Confessarium approbatum eligat, possit eligere Confessarium ab alterius Diœcesis ordinario approbatum. R. neg. quia talis non censetur hic approbatus, ut declaravit Congregatio Cardinalium. Addo eum qui non eligeret Confessarium pro censuris, aut casibus reservatis approbatum, non posse ab his per eum absolvi.

Quæres 6to. an valeat absolutio censuræ per vim, metum, dolum aut errorem extorta.

R. 1mo. Absolutio data per vim aut metum gravem injuriosum, à quocumque incussum ad obtinendam absolutionem invalida est; etiamsi de minore solùm excommunicatione agatur.

Ratio

* *Gibert.*

Ratio est, 1mo. quia hæc absolutio irritatur c. unic. *De iis quæ vi*, in 6. 2do. quia non decet, ut qui Ecclesiæ injuriam facit, ab ea idcircò beneficium reportet.

Dixi *per metum gravem*; quia in jure non habetur ratio metus levis. Rursus dixi per metum incussum *ad obtinendam absolutionem*: unde si quis ab hoste pressus excommunicatum absolvat, ut hac ratione ipsum ad sui liberationem invitet, valebit absolutio, modò hostes absolutionem hanc extorquere non intenderint. Hinc qui excommunicatus sub conditione ut intra mensem satisfaceret, ante elapsum terminum, vi vel metu sententiam hanc revocari curavit, adhuc incurret censuram, quia talis revocatio invalida est, & nihil operatur.

R. 2do. Absolutio extorta per dolum circa causam finalem seu principalem, non valet. Ratio est, quia Superior non intendit absolvere, nisi subsistente causa finali sibi proposita: unde qui falsò dicit se læsæ parti fecisse satis, non absolvitur. Si verò error & dolus non sint in re substantiali, sed solùm impulsiva, valebit absolutio; ut si absolvendus causas aliquas accidentales fingat, quo magis alliciat Judicis animum.

Quæres 7mo. cui detur absolutio ad cautelam. R. eam dari 1mo. ei qui dubitat utrùm excommunicationem incurrerit; 2do. cuilibet pœnitenti antequam absolvatur à peccatis, ut tollatur recipiendi Sacramenti impedimentum si quod fortè subest; 3tio. non excommunicato solùm, sed & ei etiam qui ab ordine, officio, vel beneficio suspensus est, aut qui personaliter interdictus fuerit.

Quæres 8vo. an in absolutione à censurâ exprimi debeat censura à quâ quis absolvitur, vel in genere, ut si dicatur, *Absolvo te à censuris*; vel in specie, ut si dicatur, *Absolvo te ab excommunicatione*. R. si quid præcedat quod absolutionem satis determinet, necesse non est ut absolvens exprimat censuram; unde petenti absolutionem ab una vel pluribus censuris, satis est si dicatur, *Absolvo te*. Si verò nihil præcedat unde talis determinatio moraliter fieri possit, ut cùm absolvitur quis à censura invitus, aut nihil de censuris cogitans; tunc longè tutius est, imò & probabilius, requiri ut absolutio determinetur ad censuras: verbum enim *absoluo*, utpotè de se indifferens ad multa, non plus circa censuras quàm circa alia vincula operaretur.

Quæres 9no. an in absolutione exprimenda sit causa propter quam quis censuram incurrit. R. id ad absolutionis validitatem non esse necessarium, nisi cùm quis pluribus cen-

ſuris ligatus eſt, & abſolutionem petit ab eo qui ab omnibus abſolvere valens, non intendit tamen ab omnibus abſolvere: tunc autem exprimitur cauſa, ut ſciatur quam vel quas cenſuras relaxare velit Superior. Quòd ſi abſolutio petatur ab eo qui ab unâ tantùm poteſt abſolvere; vel qui ab omnibus omninò abſolvere valens, ab omnibus abſolvere intendit; vel qui determinat à quâ ſolvere velit, nulla requiritur cauſæ expreſſio; quia abſolutio ſatis determinata eſt ex parte miniſtri, cujus potentia vel limitata eſt, & ideo non cadit niſi in objectum ad quod limitata eſt; vel ad omnes cenſuras ſe extendit, aut ad aliquas tantùm, ſed ab ipſo Superiore determinatas.

Ceterùm cùm abſolutio à cenſuris datur in foro interiori ab habente facultatem, ſufficit forma communis in abſolutione ſacramentali uſurpari ſolita. Si autem detur in foro exteriori, tunc vel in mandato quo Sacerdoti commiſſa eſt abſolvendi facultas, certa forma præſcribitur, & *illa omnino ſervanda eſt*; vel in mandato ſeu commiſſione dicitur * *In formâ Eccleſiæ conſuetâ abſolvat*, & ſequendum eſt id quod in Rituali uniuſcujuſque Diœceſis præcipitur.

# PARS SECUNDA.

## *DE CENSURIS IN SPECIE.*

IN hac parte dicam 1mo. de excommunicatione; 2do. de ſuſpenſione; 3tio. de interdicto.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Excommunicatione.*

DIcendum hic de excommunicationis natura, diviſione, cauſis, &c.

---

### ARTICULUS PRIMUS.

#### *Excommunicationis natura, diviſio, &c.*

EXcommunicatio eſt, Cenſura privans baptiſatum communione bonorum Eccleſiæ, vel ex toto, vel ex parte. Scilicet

* *Rituale Rom.*

licet excommunicatio alia est *major*, quæ communibus Ecclesiæ bonis privat ex toto, & quantùm potest; alia *minor*, quæ aliquibus tantum Ecclesiæ bonis privat, nempè passivâ Sacramentorum receptione, & electione passiva ad beneficium, de quo infra. Hodie excommunicationis nomen solitariè sumptum de majori solùm intelligitur: quia excommunicatio includit negationem communionis; negatio autem simpliciter addita totum destruit.

Circa subjectum excommunicationis quæritur 1mo. an Communitas, v. g. Collegium aut Universitas, possit excommunicari.

R. 1mo. excommunicationem hanc, si pro delictis præteritis feratur, illicitam fore. Ita statuit Innocentius III. & quidem *satis providè*, ait S. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. *nè collectis zizaniis simul eradicetur & triticum*; & nè insontes cum sontibus plectantur.

R. 2do. si constaret de crimine & contumacia omnium & singulorum Communitatis membrorum, excommunicationem jam non fore illicitam, etiamsi ferretur à simplici Episcopo; quia tunc nulla esset ratio timendi, nè innocentes eadem quâ noxii pœna obruerentur, quod unicè cautum voluit Innocentius III.

R. 3tio. probabile esse excommunicationem latam in omnia Communitatis membra, quorum quædam innoxia sunt, validam esse pro noxiis, licèt pro aliis valere non possit. Ratio est, quia censura hæc licèt prohibita sit, nullibi tamen irritatur in jure; ergo cùm valere possit quoad eos qui reverâ criminis conscii sunt, pro iis valebit, licèt insontem ligare nequeat; qui tamen, si fides sit Sylvio, deberet in hoc casu se palam gerere ut excommunicatũ, donec innocentiam suam probasset.

R. 4to. licitam esse excommunicationem quæ pro delictis futuris in hunc modum ferretur: Si quis ex Communitate blasphemet, excommunicatus sit. Ratio est, quia hic censuræ ferendæ modus nihil per se habet iniqui; nihil quod in jure reprobetur.

Quæres 2do. an Episcopi aliique Prælati Papa inferiores comprehendantur in excommunicatione sive per sententiam, sive per canonem lata, cùm expressa eorum mentio non sit. R. affirmat. quia Innocentius IV. * statuit quidem ne in illo casu Episcopi suspensionis vel interdicti censuram incurrerent, *nisi de ipsis expressa mentio habeatur*: at non ita eos eximit ab excommunicatione; ergo eâ, tametsi nominati non



* C. 4. De sent. ex. in. 6.

non sint, non minùs quàm alii irretiuntur, cùm faciunt aliquid sub excommunicationis pœna prohibitum.

Et verò tametsi excommunicatio eosdem quoad Pontificalium executionem pariat effectus, ac suspensio & interdictum, ab his tamen eximi Episcopos decuit, non ab illâ: 1mo. quia plures sunt casus in quibus incurritur suspensio, pauciores in quibus incurratur excommunicatio; 2do. quia hæc non incurritur, nisi propter culpas adeò oppositas Episcoporum statui, ut ab iis admittendis procul abesse meritò præsumantur; contra verò suspensiones contrahuntur in materiâ; ut ità dicam Clericali adeoque quasi Episcoporum propriâ; unde nihil mirum si in eas frequentiùs inciderent, adeoque ab iis debuerint eximi, quoties iisdem nominatim non includuntur. Hoc privilegium ad Episcopos nondum consecratos extendit Sayrus * post Glossam.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De effectibus Excommunicationis majoris.*

Effectus excommunicationis majoris, de quâ solâ agimus in præsenti Articulo alii sunt *per se*, quos excommunicatio solitariè sumpta producit; alii *per accidens*, qui novam in excommunicato malitiam; & contumaciæ augmentum supponunt: talis est irregularitas quam contrahit Clericus qui excommunicatione ligatus celebrat. Effectus *per se* adæquatus, est totalis privatio communionis Ecclesiæ; partiales sunt, privatio communium Ecclesiæ suffragiorum; participationis Sacramentorum activæ & passivæ, divini Officii, &c. De his seorsim agendum.

## SECTIO PRIMA.

### *De privatione Suffragiorum.*

NOta 1mo. suffragium est quodcumque opus bonum applicatum proximo ad impendendum animæ ejus salutare auxilium; sive auxilium illud prosit alteri ex opere operato, quod in solo Missæ sacrificio locum habet; sive admodum operis operati, ut fit in indulgentiis; sive ex opere operantis, ut in jejuniis, &c.

Not. 2do. suffragia vel communia sunt, vel privata: *communia*,

* *Sayr. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 25.

*munia*, sunt auxilia quæ ex bonis Ministrorum Ecclesiæ operibus, putâ sacrificiis, orationibus in personâ & nomine ejusdem Ecclesiæ factis, Fidelibus proveniunt; quò etiam pertinet fructus, satisfactionum qui ex communi Ecclesiæ thesauro per indulgentias ab Ecclesiæ Prælatis applicatur. *Privata* suffragia sunt vel opera bona, ut orationes privatæ, jejunia, &c. quæ à Christianis, non ut Ecclesiæ ministris, sed ut à personâ particulari pro aliis offeruntur.

Not. 3tio. privata & publica suffragia differunt, quatenus privata valorem suum perdunt ex indignitate offerentis; non itèm publica, quæ semper eum servant valorem quem habent ab Ecclesia cujus nomine offeruntur. In eo autem conveniunt: 1mo. quòd privata sicut & publica quemdam habent valorem in eo situm, quòd opera pia in unitate Ecclesiæ facta omnibus prosint Fidelibus independenter ab ullâ sive operantis, sive Ecclesiæ ipsius intentione, & quasi ex naturâ rei: nam & in hoc ex parte sita est *communio Sanctorum*, 2do. quòd utraque fructum insuper particularem pariunt, qui prodest tùm ei qui agit, tùm ei pro quo offertur actio, juxtà id S. Ambrosii in cap. 5. Luc. *Magnus Dominus qui aliorum merito ignoscit aliis.*

Not. 4to. excommunicatorum alii sunt tolerati, alii non. Priores ii sunt qui violata lege cui annexa erat excommunicatio, eandem incurrerunt, sed nondum publicè pro excommunicatis denuntiati sunt, etsi fortè per Judicis sententiam excommunicationem incurrisse declarati sint. Posteriores sunt ii qui non modò per judicis sententiam nominatim excommunicati sunt, sed & ut tales in facie Ecclesiæ denuntiati sunt; sive affixa sit valvis Ecclesiæ sententia quæ in eos lata est, sive coram populo in Ecclesiâ collecto lata fuerit; cujus conditionis defectu nè ipsi quidem Protestantes pro hæreticis vitandis habentur in Galliâ, Angliâ, Germaniâ, Poloniâ. His positis, quatuor hîc inquiruntur: 1mo. an excommunicati Ecclesiæ suffragiis priventur; 2do. an id locum habeat in contritis; 3tio. an in toleratis; 4to. an suffragia pro iis non solùm illicitè, sed & invalidè offerantur. *Sit*

Conclusio I. Excommunicati privantur communibus Ecclesiæ suffragiis. Ità omnes.

Prob. quia ad hoc satis est ut Ecclesia id possit, & id velit: atqui 1mo. Ecclesia id potest; ut patet tùm ex potestate instituendi censuras ipsi à Christo concessa; tùm ex speciali jure quod habet in hæc spiritualia bona, quorum dispensatrix ab eodem Christo constituta est; 2do. id vult, ut patet

patet ex jure, * ubi vetitum est nè pro excommunicato oretur, aut nè ad illum pars ulla bonorum Ecclesiæ derivetur; ergo.

Nihilominùs Ecclesia legem quâ cavet nè pro excommunicatis oretur, suspendit die Parasceves, ut sponsum suum imitetur qui eâdem die pro inimicis suis oravit.

Hinc 1mo. letaliter peccaret, qui preces quæ Ecclesiæ nomine fiunt, funderet pro excommunicatis, quia Ecclesiæ præceptum in materiâ gravi transgrederetur; 2do. qui ut minister Ecclesiæ, vel nomine ejus oraret pro excommunicato denuntiato, is sive Laicus, sive Clericus, minorem excommunicationem incurreret: nisi tamen id faceret ex ignorantiâ vel gravi metu, modò non in Ecclesiasticæ potestatis contemptum incusso.

Quæres 1mo. an assertio nostra ad excommunicatos etiam toleratos extendatur. Ratio dubitandi sumitur ex celebri Decreto, quod incipit, *Ad evitanda scandala*, ubi sic: *Ad evitanda scandala, & multa pericula quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus misericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps à communione alicujus, Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, intus & extrâ prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ, à jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia aut censura hujusmodi fuerit lata contra Personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum, aut certam, à Judice publicata vel denuntiata specialiter & expressè...... Per hoc tamen non intendimus relevare, neque juvare sic excommunicatos, suspensos, & interdictos aut prohibitos.* Jam ad propositum.

R. affirmat. 1mo. quia in citatâ Decretali Martinus V. vel quilibet alius ejus author declarat se non intendere *relevare, neque juvare sic excommunicatos, suspensos & interdictos;* adeoque ullum iis favorem præstare: atqui magnus iis favor præstaretur, si pro iis publica suffragia applicari possent. Sic enim destrueretur præcipua excommunicationis ratio, quæ in eo sita est, ut quis ità excludatur ab Ecclesiâ, ut jam communibus ejus bonis non fruatur.

2do. Quia is unus est Constitutionis citatæ finis, ut vitentur scandala, & *conscientiis timoratis* subveniatur: atqui finis ille obtineri potuit absque eo quod concederetur interna cum excommunicatis communicatio. Hæc enim quatenus interior, est

* *Cap.* 28. & 38. De sent. exc.

est invisibilis; quatenus verò per actus exteriores se prodit, pendet ab interiori applicatione, quæ sicut sine scandalo & periculo pro solis Ecclesiæ filiis ab eâ non præcisis dirigi potest, ità citra scandali metum, & sine *conscientiæ* remorsu, potest pro excommunicatis non dirigi, imò vix pro illis publicè & nominatim exteriùs dirigi potest, ut fit in suffragiis communibus, sine scandalo.

Dices. Sepultura Ecclesiastica præcipuè datur propter suffragia: atqui excommunicati tolerati Ecclesiasticâ sepultura privari non debent; ergo nec suffragiis.

R. hîc dividi Theologos. Alii excommunicatum toleratum, nisi ante absolutus fuerit, in loco sacro tumulari posse negant, quià id cederet in maximum ipsius excommunicati honorem & utilitatem; ità Avila. Alii plures quos sequitur Babin, contrarium censent; neque tamen ii omnes existimant eundem excommunicatum publicis suffragiis juvandum esse, quia sæpe conceditur sepultura sancta, quibus suffragia negantur: sic antiquo jure * Clerici qui nec specialiter interdicti erant, nec interdicto causam dederant, poterant in loco sacro sepeliri, sed *cùm silentio*, adeoque, sine precibus publicis. Alii demum fortè dicent Ecclesiam orare conditionatè, si subjectum sit capax; vel legis suæ rigorem moderari in hoc casu.

Quia tamen suffragiorum denegatio iis qui in excommunicatione vel impietate notoriâ moriuntur, totum aliquando regnum commovere potest, cavendum nè quid fiat inconsulto Episcopo: cujus erit perpendere an excommunicatus v. g. ob percussionem Clerici tam debeat præsumi decessisse impœnitens, quàm excommunicatus ob hæresim, cui raró admodum renuntiatur.

Quæres 2do. an non saltèm excommunicatus contritus partem habeat in suffragiis. R. negat. 1mo. quia censura quæ semper manet, suum semper operatur effectum: atqui in homine contrito semper remanet censura quâ ligatus est. Minor patet, quia ex dictis, censuræ non nisi absolutione solâ tolluntur. Prob. maj. Si censurâ remanente, tolleretur ejus effectus, utique per piam Ecclesiæ concessionem, ut contendunt adversarii: atqui hoc dici nequit: 1mo. quia probari non potest Ecclesiam moderari magìs effectum censuræ pro contritis, quoad suffragiorum quàm quoad Sacramentorum participationem; porrò excommunicati quantumvis per contritionem Dei amici evaserint, à Sacramentis arceri debent: 2do. quia ex jure manifestum est non minùs requi-

* C. 11. De pœnit.

requiri absolutionem à censuris, ut quis suffragiorum particeps fiat, quàm ut Sacramenta conferre vel recipere possit. Definiit enim Innocentius III. ** excommunicatum *quantacumque in eo pœnitentiæ signa præcesserint, si morte præventus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur; nondum tamen apud Ecclesiam* esse absolutum: unde & hunc post mortem absolvendum esse statuit. Si autem statuit Pontifex, ut pro homine jam mortuo, & ante mortem contrito, orationes seu suffragia non offerantur; multò minùs ea pro homine vivo offerri permittit.

At, inquies, Fidelium communio quæ in charitate fundatur, ideoque in Symbolo vocatur *Communio Sanctorum*, non pendet ab Ecclesiâ, nec magis ab eâ impediri potest, quàm charitas quæ ejus fundamentum est: atqui hæc communio nihil est aliud quàm communium suffragiorum participatio; ergo.

R. neg. min. Alia est enim Sanctorum communio quæ fundatur in charitate, alia participatio in suffragiis, quæ Ecclesia pro membris suis per suos ministros offert. Communio Sanctorum non pendet ex intentione operantis, sed velut ex naturâ rei producitur inter eos qui eâdem charitate conjuncti sunt. Ab hâc itaque communione non excluditur homo per censuram, sed per culpam, unde ei restituitur statim ac sublata est culpa, etsi nondum sublata sit censura: sed non ità est de suffragiis, quæ cùm iis solis prodesse possint quibus applicantur ex Ecclesiæ consensu, & ex eodem consensu iis non applicentur, qui ab eâ per excommunicationem nondùm sublatam præcisi sunt, nulli prorsus excommunicato quantumlibet contrito opitulari possunt.

CONCLUSIO II. Non solùm illicita, sed & invalida foret suffragiorum applicatio excommunicato facta.

Prob. quia Ecclesia communium suffragiorum dispensatrix, applicationem hanc annullat; unde non pluris valet quàm donatio à dispensatore facta, & à domino irritata. Ubi tamen ad vitanda scandala invaluit usus, ut, v. g. post mortem pro quibusdam excommunicatis offerantur suffragia, videntur hæc iis prodesse, si in statu gratiæ decesserint.

CONCLUSIO III. Potest tamen Sacerdos privatim orare, in *Memento* Missæ, pro excommunicatis etiam denuntiatis, modò eos exteriùs non nominet, sive in Canone, sive in orationibus publicis.

Prob. 1mo. quia Ecclesia id non prohibuit; 2do. quia is est Fi-

*C. 28. De sent. ex.

est Fidelium usus; 3tio. quia id semper consuluerunt pii quicumque Ecclesiæ Doctores: *Absit*, ait S. Bernardus ubi suprà, *ut etiam pro talibus, etsi palam non præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus.*

## SECTIO SECUNDA.

### *De privatione usûs Sacramentorum.*

SAcramentorum usus duplex: alter passivus, quo recipiuntur; activus alter, quo administrantur. De utroque multa quæruntur, circa quæ.

Dico 1mo. Letalis sacrilegii reus est excommunicatus, etiam toleratus, cùm recipit Sacramenta. Ratio est: 1mo. quia gravem transgreditur Ecclesiæ prohibitionem, in re quæ spectat ad cultum & honorem rei sacræ; 2do. quia si excommunicati tolerati à Sacramentorum participatione abstinere non tenerentur, non tenerentur abstinere ab aliis quibus interdicuntur excommunicati, quippè quæ ferè omnia minoris sint momenti quàm Sacramenta: sicque excommunicatio vanum esset nomen: atqui absurdum consequens. Hinc excommunicatus duo ad minùs committit peccata cùm Sacramenta recipit, aliud quidem contra Religionem, abutendo rebus sacris; aliud contra expressam censuræ obligationem.

Fatentur tamen omnes excommunicatum excusari posse: 1mo. ob ignorantiam facti vel juris; 2do. ob inadvertentiam seu oblivionem naturalem quæ ignorantiæ invincibili æquiparatur; 3tio. ob necessitatem vitandi scandali, infamiæ, aut gravis alterius mali; quia vel Ecclesia potestatem non habet præcipiendi cum tanto incommodo, vel eâ pro suâ pietate uti non vult. Et verò iis de causis, licet aliquando dimittere quod jure divino præceptum est: sic potest peccatum in confessione reticere, qui cum fundamento mortem timet si illud aperiat.

Sed potestne celebrare Sacerdos, qui nisi celebret, perdet grandem pecuniæ summam quæ in stipendium datur ei qui hâc die celebrat, & non aliàs; vel causa erit cur populus jacturam magnam temporalem patiatur. R. Supponunt communiter Doctores, metum tanti damni causam esse cur celebrare possit Sacerdos. Mihi quidem videtur: 1mo. facilius posse celebrari ob vitandum populi damnum, quod multa murmura & peccata secum trahit; 2do. si damnum quod quis ex defectu celebrationis passurus est, tale sit, ut eum

magnas

magnas in angustias conjecturum sit, videtur celebrare posse post sinceram ad Deum conversionem; si verò damnum illud etsi grave, satis tamen tolerari potest, satius, meo quidem judicio, esse abstinere ab actu celebrandi, qui tunc non nisi ob gravissimas causas tentari debet.

Dico 2do. peccat, & quidem ex vi censuræ, qui Sacramenta confert excommunicato vitando. Ratio est, quia violat in re gravi prohibitionem sæpiùs ab Ecclesiâ factam; ergo peccat mortaliter; nisi fortè excuset necessitas, aut alia justa causa, ut si excommunicatus sit in mortis periculo, aut legitimam habeat petendi Sacramenti rationem, putà si vitandum sit scandalum vel infamia; quod contingere potest iis in locis ubi censura contra eum lata ignoratur. Non excusaretur tamen Sacramenti minister ob metum à recipiente incussum, quia conferre Sacramenta indigno prohibitum est jure naturali; indignus autem est qui Sacramenta per metum extorquet.

Qui verò excommunicato tolerato Sacramenta ministrat, non peccat vi censuræ, quia Decretum *Ad vitanda scandala*, Ecclesiasticam eâ de re prohibitionem abstulit. Peccare tamen potest contra jus naturale & divinum, quæ vetant nè Sacramenta conferantur indignè petenti, nisi petens sit peccator occultus, & publicè petat. Communiter tamen præsumere potest Sacerdos, à censuris absolutum fuisse eum qui Eucharistiam petit, nisi contrarium manifestè constet, aut immineat scandali, alteriusve incommodi periculum.

Dico 3tio. Excommunicatus cetera præter Pœnitentiam Sacramenta validè recipit quoad substantiam.

Prob. ut Sacramenta validè recipiantur, sufficiunt materia, forma & intentio tùm ministri, tùm suscipientis: porrò hæc omnia reperiri possunt in Sacramentis excommunicato collatis. Et verò prohibitio Ecclesiæ efficit quidem ut Sacramenta illicitè recipiantur ab excommunicatis, non efficit autem ut invalidè recipiantur: quia non pendet ab Ecclesiâ ut irritet Sacramenta, quæ cum conditionibus à Christo essentialiter præscriptis conferuntur.

Dixi, *quoad substantiam*; neque enim excommunicati, nisi in raris casibus de quibus modò dictum est, Sacramenti gratiam percipiunt, quia in ipsâ Sacramenti receptione letaliter peccant: alios tamen recipiunt effectus, ut characterem in ordine.

Dixi item *præter pœnitentiam*; quia ad pœnitentiæ valorem requiritur sincerus de peccatis dolor, quem non habet qui non obstante excommunicatione, à quâ absolvi non curat, ad pœnitentiam accedit.

Quæ-

Quæres an excommunicatus quâ talis possit aliquando validè Pœnitentiæ Sacramentum percipere. Potest id dupliciter evenire: 1mo. si excommunicatus ad pœnitentiam accedat, non advertens, aut ignorans invincibiliter se esse excommunicatum, 2do. si petat absolutionem à censuris & peccato, Confessarius verò ex oblivione, vel malitiâ eum à peccatis absolvat, non autem à censurâ.

R. valere in his casibus Sacramentum Pœnitentiæ. Si enim non valeret, utique, quia, ut adversarii volunt, Ecclesia suam Sacerdotibus ademisset jurisdictionem in excommunicatos omnes: atqui nullo prorsus jure probari potest, Ecclesiam intendisse auferre cuilibet Sacerdoti jurisdictionem in excommunicatos qui sincero de peccatis dolore tacti, inculpabiliter oblivliscerentur alicujus quâ ligati fuissent, censuræ. Et verò si ità res esset, qui omnino oblitus esset incurrisse se excommunicationem Papæ reservatam; nunquam nisi fortè in articulo mortis absolvi posset à Pastore suo; quandoquidem bona pœnitentis fides excusat quidem à culpa, sed non dat jurisdidictionem Confessario; hoc autem quis admittat?

Confirm. quia quòd absolvatur quis à peccato, & non ab excommunicatione; neque implicat, ex parte absolventis: neque ex parte absolvendi. Non ex parte absolventis: licèt enim excommunicatus privetur suâ in alios jurisdictione, non tamen privatur passivâ subjectione ad Superiores; alioquin pœna ejus plùs caderet in Superiores quibus sua adimeretur jurisdictio, quàm in ipsosmet excommunicatos. Non ex parte pœnitentis, qui non minùs à peccatis suis per pœnitentiam absolvi potest, absque eo quòd absolvatur ab excommunicatione, quàm ab iisdem, non ab illâ, absolvi possit per contritionem; ergo.

Hinc colliges 1mo. eos qui cùm excommunicati essent confessi sunt cum legitimis dispositionibus peccata sua, non autem excommunicationem quæ prorsus exciderat è memoriâ, verè absolutos fuisse nec teneri ad iterandam confessionem, sed solum ad petendam absolutionem censuræ, si fortè hæc in memoriam redierit; 2do eum qui sinè sufficienti dolore peccata confessus fuisset, oblitâ excommunicatione, teneri ad iterationem confessionis, non præcisè ob excommunicationem, sed ob defectum dispositionis.

Ceterum qui aliquem ab excommmunicatione non absolutum, absolvit à peccatis, peccat mortaliter; quia contra Ecclesiæ prohibitionem communicat in re sacrâ & gravissimâ cum excommunicato; aut saltèm Sacramenta administrat

homini

homini cui eorum susceptio graviter interdicta est. Sed excusare potest: 1mo. inadvertentia juris & facti, 2do. necessitas, ut si mors ità cuipiam immineret, ut non posset ab excommunicatione priùs absolvi quàm à peccatis. Existimant tamen Soto & Coninch per hæc verba, *Absolvo te*, si adsit sufficiens intentio, à censuris simul & peccatis absolvere posse; quanquam consultum sit addere, *à censuris & peccatis*, quia hoc nihil nocere potest.

Quæres quas incurrant pœnas qui excommunicatis Sacramenta conferunt, aut ea in hoc statu recipiunt. R. 1mo. nullas incurrunt, cùm non peccant suscipiendo aut conferendo, quia pœna supponit peccatum; 2do. excommunicati qui Sacramenta cetera præter Ordinem recipiunt, nullas incurrunt pœnas; quia nulla in jure contra excommunicatos Sacramenta suscipientes expressa est pœna. Qui verò Ordines in hoc statu recipiunt, ab iisdem sunt suspensi, ut alibi dicam; 3tio. qui excommunicatis toleratis Sacramenta conferunt, non subjacent pœnis Ecclesiasticis, quia non peccant contra jus humanum; possunt tamen peccare contra jus divinum vetans, nè Sanctum detur canibus; 4to. qui excommunicatis vitandis Sacramenta administrant, incurrunt excommunicationem minorem, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ ex c. 8. *De privil.* in 6. Clericus verò qui *scienter & spontè* cum excommunicatis à Papâ & denuntiatis participat, eosdem ad divina Officia recipiendo, excommunicationem majorem, eamque Papæ reservatam incurrit, ex c. 18. *De sentent. excomm.*

Quod spectat ad Sacramentorum collationem quæritur, 1mo. an excommunicati Sacramenta validè conferant; 2do. an licitè; 3tio. an hæc ab iis recipi possint; 4to. quas incurrant pœnas qui ministrant aut qui recipiunt; circa quæ.

R. ad 1. Excommunicati tolerati, per se validè conferunt quodcumque Sacramentum, etiam Pœnitentiæ. Ratio est, quia valet Sacramentum cùm adsunt materia, forma, intentio ministri, & jurisdictio si necessaria sit, ut est in Pœnitentiâ: atqui hæc omnia reperiuntur in excommunicatis toleratis; neque enim iis sua per excommunicationem aufertur jurisdictio, ut patet ex citatâ Martini V. Constitutione.

Dixi, *per se*; quia fieri potest ut peccet quis confitendo Sacerdoti excommunicato: unde tunc invalidè absolvetur, non defectu jurisdictionis in ministro, sed dispositionis in pœnitente, de quo statim.

Aliud est de excommunicatis vitandis. Ii enim cùm careant

reant jurisdictione; Pœnitentiæ Sacramentum validè non conferunt; licèt Sacramenta alia quæ jurisdictionem non requirunt, validè conficiant.

Hinc colliges eum qui scienter aut ignoranter peccata sua excommunicato vitando confessus est, ad confessionem iterandam teneri. Quod tamen limitatur, si confessio facta sit in articulo mortis, vel in loco ubi Sacerdos ex communi errore, ac titulo colorato habetur pro non excommunicato.

R. ad 2. Excommunicatus sive toleratus sive non, mortaliter peccat conferendo Sacramenta extra casum necessitatis. Ratio est, quia Ecclesiæ præceptum in re gravissimâ transgreditur. Aliud est in necessitatis casu; tunc enim concedit Ecclesia, ut excommunicatus etiam vitandus conferat tùm Pœnitentiam, ut diximus suprà, tùm Baptismum sine solemnitate; imò qui requisitus Baptismum conferre nollet, peccaret mortaliter. Non idem est, ut nobis videtur, de Eucharistiâ, quia hæc neque necessaria est necessitate medii ad obtinendam salutem; neque hoc in casu, necessitate præcepti; cùm ex communi Ecclesiæ sensu præceptum Eucharistiæ sumendæ tunc solùm obliget, quando Sacramentum hoc decenter administrari potest & sumi; unde & in Gallia, iis qui extremo supplicio afficiendi sunt, denegatur. Idem eâdem de causâ dicendum de Unctione extremâ, quia tamen hæc primam gratiam producere potest, & de attrito contritum facere, juxta sententiam satis communem, idcircò licitè ab excommunicato vitando ministraretur infirmo cui conferri non posset Pœnitentia; sed hæc pendent ex alibi dicendis. Ut ut est, constat Confirmationem & Ordinem, quæ non ità necessaria sunt, non posse licitè ab excommunicatis conferri.

Circa hæc not. non aliter licitum esse Sacramenta ab excommunicatis toleratis petere, quàm ab improbis ministris: unde in praxi hæc tenenda: 1mo. in casu necessitatis licet Catechumeno Baptismum, pœnitenti verò Pœnitentiam à quocumque, etiam ab hæretico postulare.

2do. Extra casum necessitatis, si desit Sacerdos alter, potest Fidelis à Pastore suo Sacramentum quodcumque exigere, quia tunc utitur jure suo, neque æquum est, ut ob Pastoris iniquitatem, priventur oves bono sibi plurimùm salutari. Quòd si præsto sit dignus minister, graviter peccat qui Sacramenta petit ab indigno, etiam ea conferre parato; quia sine justâ causâ cooperatur actioni quam moraliter conjicit ab eo impiè exercendam; & quam nisi rogaretur hîc & nunc exteriùs non exerceret.

3tio. Si malus minister non teneatur ex officio ad Sacra-

menta conferenda, non licet hæc ab eo petere, * nisi & ipse ministrare paratus sit, & adsit rationabilis petendi causa; id est, causa justa & gravis, ut si quis sit in statu mortalis peccati, nec possit sine gravi saltèm incommodo ad alium recurrere. Quin & magna quædam utilitas sufficit ** ut si quis confiteatur excommunicato tolerato, quia ceteri ministri admodum indocti sunt. Ceterùm accurrata videtur hæc P. Antonii *** doctrina: *Extra casum extremæ aut saltem gravissimæ necessitatis, non licet petere nec accipere Sacramentum à ministro tolerato apertè errorem aliquem ab Ecclesiâ damnatum profitente ..... nam alioqui crearetur scandalum ac periculum perversionis Fidelium, & conciliaretur authoritas errori.*

Dico 3tio. Excommunicati, suspensi ab Ordine, vel interdicti, qui Sacramenta illicitè ministrant, irregularitatem incurrunt. Vid. Tract. de Irregul.

Dico 4to. Qui ab excommunicato vitando Sacramenta extra casum necessitatis recipit, minorem incurrit excommunicationem. Ratio est, quia hæc Sacramentorum receptio veram importat communicationem, quæ minori excommunicatione punitur c. 39. *De sent. excom.* & c. 3. eod. tit. in 6.

## SECTIO TERTIA.

### *De privatione rerum sacrarum.*

PEr res sacras hìc intelliguntur, 1mo. divina Officia, publicæ Processiones, &c. 2do. consecratio chrismatis, benedictio aquæ, palmarum, candelarum, cinerum; & aliæ similes ceremoniæ, quæ solemniter fiunt ex institutione Christi, vel Ecclesiæ, &c. 3tio. Sepultura Ecclesiastica; quibus an, & quatenus priventur excommunicati sigillatim expendam.

Conclusio. I. Excommunicatus quilibet, vi censuræ, ab auditione Missæ, aliisque omnibus divinis Officiis prout publica sunt, prohibetur.

Prob. excommunicatus Missæ & Officiis interesse non potest, quin cum aliis Fidelibus communicet: atqui communicatio cum Fidelibus, præsertim in divinis, prohibita est excommunicatis etiam toleratis, quia Constitutio Martini V. nihil prorsus iis concedere intendit quod in eorum duntaxat favorem cedat, ut cederet hæc in divinis communicandi facultas. Hinc Suares **** cum aliis, eos qui secùs facerent, peccati ex genere suo mortalis reos esse docet, quia materia gravis est, & in re valdè sacrâ. Excipe tamen, si excuset igno

* *Sylv.* in 2. p. q. 64. a. 6. ** *Grandin* p. 72. *** *P. Antoine de Sacram.* c. 3. **** *Disp.* 12. *sect.* 1.

ignorantia, vitandi scandali necessitas, vel justa causa, qualis hæc una esse potest, juxta Suarem, si Sacerdos celebrare obligatus, nullum alium habens qui sibi Missam celebranti inserviat, excommunicatum toleratum ad sibi serviendum invitet. Circa hanc assertionem,

Quæres 1mo. an peccet excommunicatus per hoc quòd Missæ non interest die festâ. R. eum si absolutionem moraliter obtinere possit, peccare, non præcisè ratione omissionis Sacri, quod in sensu composito censuræ omittere tenetur, sed ob negligentiam comparandæ absolutionis: quia lex aliquid præcipiens, præcipit etiam media ad illud necessaria, saltèm cùm hæc sine gravi incommodo adhiberi possunt: porrò censuræ remotio medium est non solùm ad Officii Paschalis, sed & ad Missæ auditionem necessarium.

Quæres 2do. an, & quomodo teneatur excommunicatus Horas recitare.

R. 1mo. eum qui ad horas tenetur, non esse ab iis liberum ob excommunicationem, quia nemo ex contumaciâ suâ commodum reportare debet. Unde non eadem est in Pastore Horarum ratio, quæ administrationis Sacramentorum; ab hác enim excusatur, quia non potest eo quo decet modo sancta tractare; ab iis verò liber non manet, quia utiliter orare potest.

R. 2do. Excommunicatus etiam toleratus, neque potest sibi socium adhibere quicum recitet; neque etiam dicere debet *Dominus vobiscum*, sed loco ejus, *Domine, exaudi orationem meam.* Ratio est, quia communicaret cum Fidelibus, sive orando cum iisdem, sive dicendo *Dominus vobiscum*; est enim hæc formula, *Sacerdotis ad populum salutatio*, ut notat Petrus Damiani. Quia tamen levis est hæc materia, nec mortaliter peccaret, nec irregularitatem incurreret qui recitandi socium sibi adscisceret, aut citatâ orandi formulâ uteretur: nisi eâ uteretur in choro, aut in solemnibus Officiis.

Neque etiam videtur licitum excommunicato orare in Ecclesia etiam seorsùm ab aliis qui ibidem orant. Ratio est, quia id omne negatur excommunicatis, quod iisdem expressè non conceditur: porrò * jus in uno tantùm casu permittit excommunicatis Ecclesiam ingredi, nempe ut sacræ concioni intersint, quod & iis enixè suadendum est, si id expedire judicetur.

Quæres 3tio. quam incurrat pœnam excommunicatus qui Missæ aliisve Officiis interest. R. eum nullam, præter mortale



* C. 53. De sentent. excomm.

tale peccatum, pœnam incurrere, quia nulla contra eum imposita est in jure; minor enim excommunicatio incurritur quidem ab iis qui cum excommunicatis vitandis communicant, sed non ab excommunicatis qui communicant cum Fidelibus.

Excipiuntur casus duo: primus est si Sacerdos excommunicatus authoritate suâ procuret, ut Missa, vel alia Ecclesiæ Officia coram se celebrentur; quia enim tunc moraliter se gerit ac si ipse celebraret, ideò ex communi Doctorum sensu irregularitatem incurrit. Eandem tamen non incurreret pœnam vel excommunicatus qui Sacerdos non esset, vel Sacerdos qui excommunicatus esset, & coram aliis etiam excommunicatis, sed non coram se, faceret celebrari, quia jura loquuntur de *Sacerdote excommunicato*, qui causa est cur alius *coram se* celebret.

Secundus casus est, si excommunicatus assistens Missæ, monitusque à Sacerdote ut ab Ecclesiâ exeat, parere nolit; tunc enim excommunicationem majorem Papæ reservatam contrahit; cui etiam subjacet tùm interdictus denuntiatus in eâdem hypothesi; tùm ii omnes qui impediunt nè excommunicatus vel interdictus recedant. Vid. Clement. 2. *De sent. excommun.*

Quæres 4to. quid faciendum si excommunicatus vitandus divinis Officiis interesse velit.

R. 1mo. Clerici qui coram excommunicatis non toleratis, Missam, aut alia divina Officia celebrant, licèt irregularitatem non incurrant, * *cùm id non sit expressum in jure*, peccant tamen mortaliter, quia contra gravem Ecclesiæ legem communicant cum excommunicatis; 2do. incurrunt minorem excommunicationem, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ ** & si ante receptam ab interdicto absolutionem celebrent, fiunt irregulares. Ceteri verò assistentes qui ab Officiis aut Processionibus non recedunt, peccant etiam mortaliter juxta multos, & juxta omnes minorem ex hâc communicatione excommunicationem reportant.

R. 2do. iidem Clerici potiùs Officium publicum omittere debent, aut alibi recitare sine cantu, quàm id prosequi coram excommunicato: antè tamen monendus est is ut exeat; quin & si parere nolit, vi expellendus est, etiamsi sit Clericus, adhibito brachii secularis auxilio: neque hinc timendæ pœnæ Canonis, quia manus violentæ in eum, ob solam Ecclesiæ defensionem injiciuntur. Si verò foras abigi non possit, ipsa etiam Missa dimitti debet, nisi jam ventum sit ad hæc verba, *Qui pridiè quàm pateretur*; tunc enim

* *C.* 8. De sent. excomm. *in* 6. ** *C.* 18. De privil. *in* 6.

nim assistentes recedere debent, Sacerdos verò, ministro remanente, prosequi debet usque ad completam sacri sanguinis perceptionem; quia Sacrificii integritas, utpote jure divino præcepta, juri cuilibet Ecclesiastico prævalere debet. Porrò Sacerdos relictis aliis orationibus & precibus ab altari recedere debet in Sacristiam, ibique Postcommunionem & cetera perficere.

Conclusio. II. Excommunicati vitandi Ecclesiasticâ sepulturâ post mortem privantur. *

Prob. quia æquum non est ut ei communicemus mortuo, quem dum viveret fugere tenebamur.

Hæc assertio ad eos etiam extenditur, qui ante mortem dederunt pœnitentiæ signa; quo tamen in casu absolvi debent, ac deinde cum aliis Fidelibus sepeliri. Si autem ante absolutionem in loco sancto sepulti essent, non deberent exhumari, sed absolvi, petitâ priùs ab iis quorum interest absolutione. Qui verò nulla doloris signa ante mortem exhibuit, is si in loco sacro sepultus sit, exhumari debet & foras projici, si cadaver ejus ab aliorum corporibus secerni queat; posteà autem Ecclesia solemni aspersione reconcilianda est, quia polluta fuit.

Ceterùm qui excommunicatum vitandum cum aliis Fidelibus sepeliunt, aut funus ejus comitantur honoris causâ, ad minùs incurrunt excommunicationem minorem; huic enim subjacet qui mortuis, sicut qui viventibus communicat. Qui verò eundem in loco sancto sepeliunt, vel potiùs sepeliri procurant, subjacent ** *excommunicationis sententiæ, à quâ nullatenus absolvuntur, nisi priùs ad arbitrium Diœcesani Episcopi, eis quibus sic fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem.*

## SECTIO QUARTA.

### *De inhabilitate ad Beneficia, & privatione jurisdictionis.*

Constat apud omnes invalidam esse Beneficii collationem factam excommunicato, etiam tolerato & occulto; tùm quia id definiit Innocentius III. c. 7. *De Clerico excomm. minist.* tùm quia Beneficium datur propter officium, ad quod excommunicatos admitti non decet, licèt ex post facto quandoque tolerentur. Neque hæc collatio, aut quæ ad eam prævia sunt, ut electio, resignatio, &c. per absolutionem posteà secutam convalescunt, quia *** *non firmatur tractu temporis,*



* C. Sacris *De sepult.* ** *Clement.* 1. De sepult. *** *Reg.* 18. *in* 6.

*poris, quod de jure ab initio non subsistit*: unde renovari debent obtentâ à Superioribus legitimis post absolutionem dispensatione.

Excipiuntur ab hâc lege Beneficia à summo Pontifice concessa, etiamsi censuram ignoret; quia in provisionibus apponit clausulam absolutionis à censurâ, *ad effectum* gratiæ consequendum. Hæc autem Pontificia à censuris absolutio nec prodest irregulari, nec excommunicatis propter hæresim, quia jus renititur. Addit Gibert, Ordinarium cui à Papâ committitur examen illius qui Beneficium Romæ obtinuit, posse eidem literas quas *Visa* vocant, denegare, si animadvertat eum nihil moliri, ut à censuris absolvatur.

Quòd si collatio Beneficii facta sit ei qui tempore collationis excommunicatus erat, non autem ipso præsentationis tempore, valida erit præsentatio quam censura nondum existens irritare non potuit; invalida verò institutio, ut à contrario patet. Si quis autem tempore nominationis censurâ irretitus erat, & ab eâ ante institutionem absolutus, invalida erit tùm præsentatio, ut patet, tùm institutio præsentationi huic innixa, nisi censuratus se se curaverit rehabilitari.

Quæres an valeat collatio ei factâ qui invincibiliter ignorat se vel censurâ ligatum fuisse, vel ab eâ non absolutum. R. negat. quia ignorantia non tollit inhabilitatem præcedentem in subjecto, sed solùm excusat à culpâ. An valida sit collatio pensionis excommunicato facta, dicam ubi de Suspensione.

Ceterùm non privatur quis per excommunicationem Beneficiò ante eam legitimè adeptô: quia nullum est jus quod id constituat; nisi crimen propter quod censurâ perculsus est, ex his sit quæ per se Beneficii vacationem inducunt.

Imò nec privatur excommunicatus fructibus ejusdem Beneficii, tùm quia pœna tam gravis non est imponenda nisi certò expressa sit in jure; quod in præsenti locum non habet; tùm quia consuetudo legitimè introducta juri positivo derogare posset: porrò invaluit usus, ut excommunicati cùm resipiscunt, fructuum Beneficii condonationem non requirant à Papâ.

Hîc tria notari velim: 1mo. sicubi excommunicatus in censurâ obdurescens, Beneficii fructibus privatur, permittere teneram matrem Ecclesiam, ut ex iis decerpatur portio ad ejus sustentationem necessaria, nè in Cleri dedecus mendicare cogatur; 2do. eumdem si malâ fide Beneficii possessionem apprehenderit, teneri ad omnium fructuum restitutionem; secùs si bonâ fide, putà ob ignoratam quâ ligabatur censu-

censuram; tunc enim satis est si Beneficio cedat, & id restituat, unde ditior evasit, quodque honestæ ejus sustentationi superfluum erat. Jam dicendum de privatione jurisdictionis.

Jurisdictio sumitur, 1mo. propriè & strictè, prout est potestas præcipiendi per leges & censuras; judicandi in utroque foro sive per se, sive per alios; concedendi indulgentias, dispensationes & actus similes exercendi; 2do. latiùs, prout est potestas Beneficia conferendi, eligendive, aut etiam præsentandi ad illa. Quæritur, an & quatenus utrâque priventur excommunicati, quâ de re.

Dico: Excommunicati omnes illicitè faciunt quæ sunt jurisdictionis: validè tamen, si sint tolerati, secùs si denuntiati sint.

Prob. 1. pars: quia excommunicati jurisdictionem in alios exercere non possunt, quin magnam & in re summi momenti communionem cum iis habeant; ergo id illicitè faciunt: unde peccant mortaliter, nisi eos excuset vel materiæ levitas, ut si dispensent in re levi; vel necessitas agendi in aliorum favorem, & tunc ad Deum per contritionem aut Confessarii ministerium reverti tenentur.

Prob. 2. pars, 1mo. ex communi hodie Doctorum sensu, qui Constitutionem *Ad vitanda scandala*, sic penè semper intellexère, ut jurisdictionis actus à toleratis etiam notoriis exercitos, per eam validari crediderint; 2do. quia alioqui magna esset in Ecclesiâ confusio, nec satis animarum discrimini cautum esset, si Episcopus toleratus invalidè dispensaret in votis, approbaret ad excipiendas Fidelium confessiones, leges & censuras ferret.

Prob. 3. pars: quia excommunicato vitando non prohibetur solum, sed & aufertur exercitium jurisdictionis; cùm ideò denuntietur, ut eo privatus maneat. Et verò excommunicatus vitandus nè ipsos quidem jurisdictionis impropriæ actus validè exercet. Horum enim præcipui sunt, collatio, electio, præsentatio & institutio: atqui actus illi cùm ab excommunicato vitando exercentur, omninò sunt invalidi; prout inferri solet ex c. 6. *De concess. Præbend.* Aliter tamen præsertim in Galliâ, sentiendum de Laici vitandi præsentatione, quia hæc non est actus potestatis Ecclesiasticæ, sed fructus quidam patrimonii; excommunicatus autem nec patrimonio nec juribus ei annexis privatur.

Sed valetne resignatio facta ab excommunicato vitando? R. vel resignatio hæc est simplex, & tunc ex omnium confesso valida est; quia nihil est aliud quàm cessio Beneficii

quæ fieri potest, imò quæ ex quâdam necessitate fit ab eo qui Beneficii munia implere nequit: vel eadem resignatio fit in favorem, & tunc credimus eam non valere: 1mo. quia posse Beneficium in alterius favorem resignare, quidam est Beneficii usus, & aliquid ipso Beneficii fructu præstantius: porrò excommunicatus vitandus & usu & fructibus Beneficii privatur; 2do. quia cessio in favorem participat naturam præsentationis Ecclesiasticæ, & quâ talis positivè concurrit ad collationem Beneficii, quod ei solùm conferri potest, cujus in gratiam dimissum fuit: porrò præsentatio à Clerico excommunicato facta, nullius est momenti, ut dictum est.

Quæres an & quousque excommunicati priventur civili aliorum commercio. Nota Communicatio politica duplex est, alia *privata*, quæ consistit in commercio civili quod homines inter se privatim exercent simul vivendo, manducando, contractus ineundo, &c. alia *publica & forensis*, quæ sita est in temporali publicæ rei gubernatione, & omnibus quæ huic annexa sunt, ut leges civiles condere, judicia ferre, agere in judicio, testari, &c. Jam

R. 1mo. Nec excommunicato vitando cum aliis Fidelibus, nec aliis cum eodem communicare licet.

Prob. 1. pars: tum ex c. 29. *De sent. excomm.* ubi prohibetur nè quis cum excommunicato communicet *in oratione, vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo*; unde manavit id ab omnibus receptum: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*, de quo infrà; tùm ex ipsâ excommunicationis definitione, ex quâ sequitur excommunicatos omni quantùm fieri potest & expedit, communione cum aliis privari. Expedit autem ut commercio etiam civili priventur, tùm ut pudore suffusi ad pœnitentiam redeant, tùm nè aliis offendiculo sint. Hoc tamen peccatum sæpius veniale manet, ob materiæ levitatem, nisi fortè sit intentio sæpius communicandi, quod ad mortale peccatum imputari posset.

Prob. 2. pars ex eod. cap. ubi censuræ subjacet qui in prædictis cum excommunicato communicat: nulla porrò censura sine peccato incurritur.

R. 2do. valent tamen contractus ab excommunicato etiam vitando facti. Ratio est, quia tales contractus nullâ irritantur lege, imò pro validis habentur à legibus. Sic valere declarantur, 1mo. receptio habitûs Religiosi, c. 32. *De sent. excomm.* quod jure non resistente ad Professionem extenditur; 2do. donatio, c. 8. *De donation.* quanquam obla-

tiones

tiones & eleemosynas ab excommunicato vitando factas recipere prohibitum sit Ecclesiæ ministris; 3tio. à fortiori valent alii contractus venditionis, emptionis, mutui; itèm testamenta, nisi fiant ab excommunicatis propter hæresim aut percussionem Cardinalis, quæ restrictio pro primâ parte non viget in Galliâ.

R. 3tio. Excommunicatus vitandus, omni actu ad judicium pertinente, tam in foro civili quàm Ecclesiastico privatus est de jure communi. Aliud est in Galliâ & Germania ubi * *in judiciis rerum temporalium non admittitur exceptio excommunicationis*, ut docent Pastor & alii.

R. 4to. Excommunicati etiam occulti ex parte sua tenentur communionem aliorum quantùm possunt vitare, tàm in civilibus quàm in divinis. Ratio est, quia id intendit Ecclesia, quæ nusquam excommunicatis favere aut suffragari voluit.

Addo quemlibet Fidelem cui certo constat contractam ab aliquo fuisse excommunicationem, utcumque teneri naturali jure, eum etiamsi non sit denuntiatus, privatim vitare præterquàm in necessitatis casibus infrà expressis, aliisque in quibus eum si denuntiatus esset, vitare non teneretur. Excipe si vitando proderet aliis occultum hujus excommunicati crimen: hâc enim de causâ, ait Paludanus, *eum qui Parisiis excommunicatus* denuntiatus *est, non debeo vitare Bononiæ in publico, sed tantùm in occulto si ibi nesciatur, quia quod est publicum Parisiis, est occultum ibi.*

Præter hos effectûs, alii sunt qui excommunicationem sequuntur per accidens, ob novam excommunicati malitiam. Ii vero sunt ** 1mo. irregularitas quam incurrit qui Officium alicujus Ordinis exercet; 2do. suspicio de hæresi, in eo qui per annum persistit in censurâ; 3tio. juxta Rebuffum & Navarrum, privatio effectûs absolutionis generalis quæ in Rescriptis Pontificiis præmitti solet.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De præcipuis Excommunicationibus.*

Duas solùm excommunicationes evolvam, quia plures expendere non licet.

S E-

* *Test. lib. 3. tit. 35. n. 3.* ** *Trid. sess. 25. c. 3. De reform.*

## SECTIO PRIMA.

### *De Excommunicatione contra percussores Clericorum.*

HAbetur hæc excommunicatio cap. 29. XVII. q. 4. iis verbis, *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere ( nisi mortis urgente periculo ) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

Quæres 1mo. quid sibi velit vox, *si quis.*

R. 1mo. per eam eos omnes intelligi qui censuræ capaces sunt, seu viri sunt, vel feminæ, puberes vel impuberes; Laici vel Clerici, aut Religiosi. Neque excipitur qui Clericum volentem percutit: quia licèt ei, utpote qui jure suo cedat, personaliter injuriam non faciat, facit tamen injuriam Ordini Clericali * *cùm ille Canon non tam in favorem Clerici particularis quàm in favorem Ordinis Clericalis*, qui jure suo non cedit, *fuerit promulgatus.*

R. 2do. eidem pœnæ subjacet Clericus qui ex irâ seipsum percutit, mutilat, occidit, aut aliam sibimet injuriam irrogat, per actum charitati quam quisque sibi debet moraliter contrarium: quia sic verum est quòd violentas in Clericum manus inferat cum injuriâ Ordinis Clericalis. Aliter dicendum si quis mortificationis causâ, aut ob dolorem è morte amici conceptum se flagellet, capillosve sibi evellat.

R. 3tio. & eos etiam intelligi qui mandant aut consulunt Clerici percussionem; itèm qui non obstant cùm ex officio tenentur obstare; ac demùm qui ratam habent percussionem nomine suo factam, ** ità ex variis Canonibus colligitur. Hîc notand. eam percussionem fieri *suadente diabolo*, quæ non fit sine peccato mortali.

Quæres 2do. quid *Clerici* nomine intelligatur.

R. intelligi eos etiam qui primâ tonsurâ initiati sunt; ii enim verè Clerici sunt, ex cap. 11. *De ætate, &c.*

Sed ab hoc *canonis privilegio* excidunt: 1mo. qui eo quòd habitum Clericalem non deferant, probabiliter ignorantur esse Clerici; aut qui licèt Clerici esse sciantur, Clerici habitum non gerunt, postquàm tribus distinctis vicibus ab Episcopo moniti fuere, ut eum deferrent; 2do. qui ter moniti ab Episcopo, non desinunt à negotiis secularibus, vel arma ferunt

* *C.* 36. De sent. excomm. ** *V. cap.* 46. & 47. De sent. excommunic. & C. 23. *h. t. in* 6.

ferunt, mimicamve artem per annum exercent, aut cauponem agunt, &c. 3tio. qui degradati sunt realiter; secus si verbaliter tantùm degradati sint: multò minùs si solùm sint irregulares, suspensive aut excommunicati etiam vitandi, ii enim non desinunt Clerici esse & pro talibus haberi. In Galliâ Clerici conjugati non jam habentur pro Clericis, etsi fortè habitum suum servent.

Quæres 3tio. quid per *Monachos* intelligatur.

R. 1mo. intelliguntur non solùm Religiosi professi, licèt solùm Conversi, verùm etiam * Novitii; 2do. Equites Melitenses: sunt enim Religiosi, propriis votis ligati; 3tio. Moniales professæ, vel Conversæ, ac Novitiæ, modò, ait Bonacina, non vivant in domo propriâ more Laicorum; 4to. Eremitæ, qui Regulæ alicui religiosæ inhærent; hi enim vel Religiosi sunt, vel Conversi.

Quæres 4to. quid intelligatur per *manus violentas*.

R. eo nomine significatur: 1mo. quæcumque percussio, pugnis etiam & pedibus, baculo, lapide, &c. 2do. actio quælibet injuriosa, sive in personam Clerici, sive in res ei aliquo modo adhærentes, ità ut vis ei inferatur. Unde qui Clericum pulvere aspergeret aut aquâ, quive eum conspueret, aut vim rebus ei adhærentibus inferret, putà vestes quas indutas habet, lacerando, aliquid quod in manibus habet injuriosè rapiendo, equum cui insidet vulnerando, eumve apprehensis frænis sistendo, excommunicationem incurreret. Addo in his non tàm modum violentiæ quàm affectum, prout tamen exteriùs erumpit, pensari. Quare qui Clericum in custodiâ publicâ, aut privatâ domo detinet, custodesque apponit ut eum apprehendant si de domo exierit, ità ut sine strepitu & confusione exire nequeat, excommunicatus est. Hinc Canonicus qui ad alterius Canonici caput projecit Breviarium, cujus quidem ictum alter oppositâ manu declinavit, censuram contraxit: quia ibi est actio violenta, quæ licèt in genere contactûs physici levissima sit, moraliter tamen in ratione injuriæ gravis est.

Haud tamen sufficit gravis contra honorem Clerici injuria, qualis est in verbis, vel aliquâ actione exteriori, v. g. brachii & pugni tensione, fustis exhibitione comminatoriâ; sed requiritur vis tactu saltèm mediato consummata, quia alia quævis injuria violentam manuum injectionem non importat. Unde liber est à censurâ: 1mo. qui actu subdolo aliquid aufert Clerico, v. g. marsupium, cingulumve quo actu cingitur, etiamsi interveniat præcisio; 2do. qui vestes Clerici dor-

* C. 21. De sentent. excomm.

continentis subripit, aut lacerat; 3tio. qui Clericum metu cogit ut à certo loco exeat, modò metus incutiatur solùm per verba aut actiones quæ personam ipsam non attingant. Ratio est, quia in his casibus fit quidem injuria, sed sine violentâ manuum injectione, saltèm quæ cadat in rem personæ adhærentem.

Eximuntur etiam à censurâ: 1mo. qui Clericum percutiunt in justam defensionem vitæ, honoris, aliarumve rerum; quia * *vim vi repellere incontinenti, omnes leges, omniaque jura permittunt.* Sed hîc servandum inculpatæ tutelæ moderamen, intra quod sistere censetur qui id solùm facit sine quo aliter se, aut res suas servare non potest. Qui tamen aliqualiter justæ defensionis modum excederet, ex eâ commotione quæ in hoc casu invitis etiam nobis irrepit, non incurreret censuram.

2do. Excusatur à censura, licèt non à culpâ, qui Clericum cum uxore, matre, sorore vel filiâ propriâ turpiter inventum percutit, secùs si Clericus deprehendatur in stupro vel adulterio cum eâ quæ percussorem tam proxima consanguinitatis linea non contingit. Ubi nota 1mo. eum censeri turpiter inventum, qui in osculis, & amplexibus, imò qui solus cum sola in loco suspecto reperitur: modò tamen personæ ipsæ rationabili de causa pro suspectis habeantur; 2do. eum qui Clericum sic inventum cædit, excusari solùm cùm percutit incontinenti: tunc enim acer doloris sensus quo quis aduritur, aliquid meretur indulgentiæ.

3tio. Excusatur qui ut pater, herus, magister, disciplinæ causa Clericum ferit, modò notabiliter non excedat. Itèm qui justa de causa vim infert Clerico, ut si de Superioris sui mandato Laicus Clericum capiat, eumque trahat in judicium. Idem dic si quis cædendo leviter peccet: unde qui leviter Clericum cædit, ut in rixis aliquando solent infantes non contrahit censuram, etiamsi eliciat sanguinem è naribus, modò in quantitate modica. Quia tamen quandoque difficilè discernitur gradus advertentiæ, vel materiæ ad mortale peccatum sufficientis, quoties hîc verum suberit dubium, petenda erit absolutio ad majorem cautelam.

Quæres 5to. ad quem pertineat hujus censuræ absolutio. R. eam de jure communi, ** Papæ reservatam esse; posse verò Episcopos aut alios Superiores ab ea absolvere: 1mo cùm percussio levis est & modica; quo nomine non intelligitur percussio venialis, cùm hæc nec ad mortale peccatum, nec proinde ad censuram sufficiat; sed ea quæ opponitur enormi &

* C. 3. De sent. excomm. ** *V. c.* 30. & 17. De sent. excom.

mi & mediocri. Enormis porrò seu atrox ea est quæ pervenit ad occisionem, aut mutilationem membri, oculi ejectionem, illationem vulneris magni, & à Chirurgia seriò tractandi, vel effusionem multi sanguinis aliunde quàm è naribus effluentis. Levis à contrario ea est, ubi nec abscinditur membrum nec dens evellitur, nec sanguinis multùm effunditur; qualis satis communiter ea esse solet quæ fit palmâ, pugno, &c. Mediocris levem inter & enormem media incedit. Fatendum tamen hæc omnia ad viri prudentis arbitrium dijudicanda esse ex circumstantiis personarum, loci, temporis, modi ipsius percussionis. Quod enim leve est respectu junioris Clerici, ut alapa; mediocre aut grave esse potest respectu senis, Superioris, Prælati. Quod fit occultè, non ejusdem est gravitatis quàm quòd fit in frequenti cætu. Quod fit domi, levius est quàm quod in Ecclesiâ Ministro sacris jam vestibus induto, aut sacra facienti inuritur. Porrò in arbitrandâ læsionis gravitate, sufficit recurrere ad Episcopum, ex quo enim ei certis in casibus conceditur absolutio, eidem & conceditur jurisdictio ad videndum, num hi vel illi casus ad se pertineant.

2do. Regularis qui Regularem ejusdem Monasterii verberat à Guardiano suo vel Priore absolvi potest, vel ab alio de ejus consensu; secùs si secularem feriat, aut alterius Claustri Regularem: nam in primo casu ab Episcopo; in secundo tùm à proprio suo, tùm ab alterius Religionis Superiore absolvi debet. Excipe in his omnibus, si enormis sit percussio: quanquàm hodie Religiosi ferè omnes ex privilegio absolvi possunt à Superioribus suis, nè eis tribuatur vagandi occasio. Quin & Novitius absolvi potest, cum onere tamen in eandem reincidendi sententiam, si ante professionem egrediatur.

3tio. Mulieres, fortes aut infirmæ, divites, aut egenæ, viduæ vel non, à quâcumque per Episcopum absolvi possunt percussione, etiam enormi, quia jus indistinctè loquitur. Idem est de impuberibus, etiamsi non nisi post adeptam pubertatem absolvantur: idem etiam de inopibus, de ægris; & de senibus tametsi vegetis & bene valentibus.

4to. Qui capitales subit inimicitias, & vitæ suæ timet, ad Papam ire non tenetur; nisi debeat & possit hisce simultatibus finem imponere.

5to. Judex vel apparitor alicujus Potentis, qui ex fortuito casu, & sine lædendi proposito, non tamen sine negligentiâ, leviter aut mediocriter Clericum percussit, absolvi potest ab Episcopo, secùs si enormiter percusserit. Nobiles verò & ma-

gnæ

gnæ potentiæ viri, qui ſine periculo ſtatus ſuos deſerere non poſſunt; ii itèm qui itineris hujus laborem ſuſtinere non valent, haud tenentur Romam ire, ſed ab Epiſcopo, qui priùs rei veritatem perpenderit, abſolvi poſſunt. Anteà tamen eorum conditio Sedi Apoſtolicæ intimari debet, & tunc ſecundùm ejus conſilium impertienda abſolutio, niſi periculum ſit in morâ.

610. Clerici qui in communi vivunt, à percuſſione modò non enormi, per Epiſcopum abſolvi poſſunt: facilè enim communio diſcordiam parit; unde caſus iſte meritò in jure exceptus eſt. Idem eſt tùm de Janitore qui in exercitio officii, *etiam injuriandi animo*, ait Sayrus, aliquem modò non enormiter percutit; tùm de iis qui utpotè alterius poteſtati *adſtricti*, juris ſui non ſunt, ut ſervi, & filii familias. Ceterùm circa reſervationem cenſuræ hujus conſulenda ſunt uniuſcujusque Diœceſis Statuta; & retinendum nec levem etiam publicam, nec occultam etiam enormem percuſſionem Papæ unquam reſervari.

## SECTIO SECUNDA.

### *De Excommunicatione in Monitoriis.*

MOnitorium eſt Mandatum Eccleſiæ, quo ſub excommunicationis pœna præcipitur, manifeſtatio authorum criminis Reipublicæ pernicioſi, vel damni gravis proximo illati, ejuſdemque criminis reparatio, in favorem quorumdam Eccleſiæ membrorum.

Dicitur 1mo. *mandatum Eccleſiæ*, ſeu Judicis Eccleſiaſtici, qui ſolus excommunicationem comminari aut decernere poteſt.

Dicitur 2do. *quo ſub excommunicationis pænis, &c.* ſeu pœna hæc actu infligatur cùm promulgatur Monitorium; ſeu tantùm declaretur inferenda, ut nunc melior & communior uſus obtinet.

Dicitur 3tio. *manifeſtatio criminis pernicioſi, aut gravioris damni; &c.* Excommunicatio enim quæ gravis eſt pœna, non niſi pro rebus magni momenti decerni debet: unde Pariſienſis Senatus Monitorium pro 33. libellis decretum, abuſivum declaravit an 1601.

Ex his colliges 1mo. mortaliter peccare tùm eos, qui ut Monitoria obtineant, ſimulata prætexunt damna: tùm judices qui ea levibus de cauſis poſtulari permittunt; tùm & Officiales, qui eadem iis in caſibus decernunt: ii enim pati

potiùs

potiùs debent bonorum suorum *saisinam seu sequestrationem* & ad superiorem Judicem tanquam de abusu provocare; 2do. Monitoria decerni posse non solùm in causis civilibus, in quibus insequitur quis crimen contra se commissum, non ad vindictam, sed ad obtinendum, ut aiunt, *interesse*; verùm etiam in causis criminalibus. Cavendum tamen, nè Monitoria decernantur * *pro injuriis verbalibus, nisi fortè atrocioribus*; quales eæ censentur, quibus Sacerdoti, Magistratui mulierive intactæ famæ, turpe quid & infame palàm objicitur. Libelli quoque infamatorii pro capitali crimine habentur.

Circa hæc quatuor notanda: 1mo. Monitoria decerni non posse pro injuriis quæ homini crimen admittenti fuerunt injustæ; aut quarum reparatio per annum neglecta fuit, actio enim qua reparatio injuriæ vocalis exigi potest, anno uno præscribitur; 2do. communem esse Gallicanorum Jurisperitorum sententiam, Monitoria nonnisi pro mobilibus bonis concedi posse; 3tio. ea quæ populis levia videntur, reipsa plerumque gravia esse. Hinc qui norunt columbarum, aut garenæ cuniculorum occisores, ad revelationem tenentur; 4to. in Monitoriis, personas suspectas nec nominatim exprimi debere, nec designari statura, vultûs & capillorum colore, habitu quo induuntur: tale enim Monitorium, inquit Ducasse pag 199 pro libello infamatorio haberetur; qui verò sic designaretur, jus haberet impediendi, nè ad alias Monitorii promulgationes procederetur. Quanquàm censet Gibert quòd si Monitorium prodesse non possit, nisi personæ ex prædictis indiciis designentur, designatio hæc permittenda sit.

Dicitur 4to. *in favorem quorumdam Ecclesiæ membrorum.* Monitoria enim de jure concedi non debent: 1mo. heterodoxis, cùm eos ab Ecclesia protegi non deceat, qui Ecclesiæ leges aspernantur; 2do. excommunicatis & publicis peccatoribus; iis præcipuè qui Pascali Officio non funguntur; quia qui Ecclesiam in spiritualibus præcipientem oderunt, Ecclesiam in temporaneis adjutricem habere non debent. Sed hæc restringit Gibert: 1mo. ad excommunicatos denuntiatos; 2do. ad Hæreticos, eo sensu quòd non proprio nomine, sed tantum Regii Procuratoris, Monitoria obtinere possunt; 3tio. quod spectat ad publicos peccatores, justa hæc erga eos severitas non ampliùs in usu esse videtur; unde iis sicut aliis, connivente seculari tribunali, Monitoria conceduntur. Sit jam

§. I.

* *Concil. Senens.*

### §. I. *Quinam ad revelandum teneantur.*

Dico 1mo. omnes diœcesani qui subjacent Episcopo Monitorium concedenti, tenentur revelare statim ut Monitorii notitiam habent nisi jure eximantur à revelando. Ratio est, quia ii omnes Episcopo suo generaliter præcipienti parere tenentur: atqui per Monitoria Episcopus generaliter præcipit.

Hinc 1mo. Infideles, Judæi, ipsimet Catechumeni, amentes, infantes necdum usum rationis adepti, non obligantur per Monitoria; quia vel Ecclesia in eos jurisdictionem non habet, vel obedientiæ incapaces sunt. Is est Ecclesiæ Gallicanæ usus ut pueri utriusque sexûs, etsi nondum puberes ad depositionem admittantur. An verò, si non revelent, subjaceant excommunicationi, dictum est suprà.

Hinc 2do. Monitorium, cùm actus sit jurisdictionis, in eos omnes & solos fertur in quos Superior jurisdictionem habet: ac proinde in omnes diœcesis incolas; imò & in Regulares exemptos, qui Episcopo quoad censuras submittuntur à Concilio Trid. * idem facilè credam: 1mo. de advenis, qui pro negotiis in aliquo territorio stant, ibique Diœcesani sunt pro Sacramentis, abstinentia, jejunio & festis, (quæ omnia non multùm requirunt temporis & moræ;) quia censura quam importat Monitorium, privat bonis quibus homines illi in hoc territorio fruuntur; 2do. & certiùs de iis qui in aliam etiam commorandi gratia, Diœcesim transierunt post inchoatam Monitorii promulgationem. Ratio est, quia ex jure *ubi cæptum est semel judicium, ibi & finem accipere debet*: porrò per primam promulgationem inchoatur judicium in foro illius qui Monitorium decrevit.

Dico 2do. In Monitoriis quæ ad Religionem aut commune Regni bonum spectant, nemo liber est à revelando, nisi sceleris authores aut participes. Ratio est quia quisque bona hæc tanta, cuilibet privato, etiam suorum bono, anteponere debet; unde receptum istud, *Contra publicos hostes & majestatis reos, omnis homo miles.* Hinc si agatur de hæreseos disseminatione, proditione Regni, Regis morte, præsertim nondum executioni mandata, filius contra patrem uxor contra virum & vicissim, revelare debent.

Excepi *sceleris authores aut participes*; quia nemo reus seipsum prodere tenetur: etsi teneatur ad criminis sui reparationem, quam per alios, præcipuè verò per Confessarium præstare facilè potest. Idem dicendum in materia civili.

Dico

* Sess. 25. de Regul. c. 12.

Dico 3tio. In ceteris Monitoriis non obligantur ad revelandum, qui revelare non possunt: 1°. absque aliquâ suî diffamatione; 2°. sine gravi detrimento; 3tio. sine secreti naturalis violatione; 4to. & ex quorum revelatione nulla exoriretur utilitas; uno verbo quibus sub mortali præcipi nequit ut revelent. Ratio est, quia non intendit Ecclesia, ut quis vel infamet se, vel alieno bono per grave boni proprii dispendium consulat; vel naturæ jura violet, vel demùm pro peccato, aut non admisso, aut veniali tantùm, gravissimâ excommunicationis pænâ plectatur: & tamen hæc mala consequerentur, si quis in quatuor casibus mox enumeratis revelare teneretur.

Hinc 1mò. proximi parentes contra cognatos & affines contra affines revelare non tenentur: tùm quia parentes parentum negotia rebus propriis æquiparare censentur: tùm quia infamia unius in alterius infamiam vergit. Unde si noverim supellectilia Titii apud unum è cognatis meis translata fuisse, & ab eo celata, ità ut cognatus ille reus haberi possit in judicio, revelare non teneor: tenerer verò si nihil inde periculi immineret consanguineo meo, puta si incunctanter probare posset rem innocenter actam esse.

Sed hîc notand. 1mo. per affines non intelligi in præsenti materiâ, eos quorum affinitas solùm est spiritualis; 2do. privilegium non revelandi consanguineis concessum ad quartum usque gradum extendi in lineâ collaterali, in directâ verò usque in infinitum; & quidem non in materiâ solùm capitali, sed & in civili, prout constat ex Edicto an. 1667. Si tamen agatur de verificatione facti alicujus, quod in domûs penetralibus gestum sit, & non prodierit extrà, parentum contrà parentes testificatio recipitur.

Hinc 2do. regulariter loquendo, domestici contra herum revelare non tenentur: 1mo. quia vulgò & quidem legitimè timent, nè indecorè abigantur, & debitis priventur stipendiis: quod talibus in grave detrimentum cedit; 2do. quia inde familiarum quies perturbaretur, nec præsumi potest rem ità odiosam exigi ab Ecclesiâ. Aliud est tamen 1mò. cùm conquerens domesticos assignat seu citat coram Judice, cujus erit perpendere quam depositionis eorum rationem habere debeat: interim domesticus juridicè interogatus, vera loqui debet; 2do. cùm agitur de crimine privilegiato, putâ de hæresi, vel patriæ proditione, vel de criminibus quorum notitia independenter à domesticis haberi non possit: ut si maritus uxorem percusserit, occideritve; & vicissim si uxor aut è domesticis quispiam id attentaverit. Itèm si agatur de hæ-

reditatis dilapiditione, ſupellectilium, aut bonorum ſubſtractione externis ignotâ.

Hinc 3tio à revelando diſpenſatur, quiſquis grave damnum ſpirituale aut temporale ſibi timet, vel ſuis, putà patri, uxori, genero, quæ forte ad quartum gradum extendenda ſunt: tunc tamen cavendum nè quis formidet ubi non eſt timor: efficiendumque omni quâ poterit viâ, ut malum aliis illatum reparetur. Adde revelandum eſſe cùm agitur de bono publico notabili; huic enim privatum quodcumque commodum poſthaberi debet.

Hinc 4to. qui legitimâ uſi compenſatione vel præſcriptione, bona alterius comparârunt, nec tenentur ad reſtituendum; nec qui hoc nôrunt, ad revelandum; imò ſi revelent, peccant juxta multos. Idem ſentiunt plurimi de eo qui à Titio ceſſionem bonorum meditante pecuniam ſibi debitam præ aliis creditoribus anterioribus recepit: is enim ſine gravi ſui incommodo revelare non poſſet, quia præſumeretur conſcius eſſe doli in ceteris.

Hinc 5to. quiſquis revelare nequit niſi ſecretum explicitè vel implicitè promiſſum prodat, revelare non poteſt. Unde à revelando immunes ſunt: 1mo. Advocati, Notarii Procuratores, Sollicitatores, conſulti: his enim res domeſticas nemo aperit niſi cum pacto ſilentii, quod niſi ſervent, jam ſusdeque vertendæ ſint familiæ, & claudenda conſiliis janua; 2do. Medici, Pharmacopolæ, Obſtetrices, Chirurgi, qui omnes ſacramento ſecreti ſe ſolent obſtringere; idque ab iis ſervari publicæ rei plurimùm intereſt; 3tio ii quos ligat tacita ſecreti promiſſio, hæc verò præſumitur non quidem inter amicos ſimpliciter, ſed eos inter quos tam arcta vincit neceſſitudo, ut res ſuas ſibi communicent, quaſi fermè in unam coaleſcerent perſonam. Fatentur tamen Doctores nè amicitiores quidem amicos à revelando eximi, 1mo. cùm agitur de impedimento matrimonii diremptivo; quia ex matrimonio invalido ſequuntur graviſſima mala, profanatio Sacramenti, concubinatus, proles illegitima alienis fruitura bonis; 2do. cùm agitur de conſilio contra bonum publicum aut etiam privatum perniciosè formato, & necdum executioni mandato.

Hinc 6to. cùm ad actum inutilem nemo teneatur, revelare non tenentur ii quorum revelatio inanis foret, unde plures a revelando eximunt eum qui ſolus novit homicidium, v. g. ab alio perpetratum. Res tamen non caret difficultate, ut ſuprà dixi. Interim cavendum nè revelationem ſuam ſuperfluam putet, qui novit jam præceſſiſſe ſufficientem revelantium

velantium numerum: tùm quia probationum abundantia non nocet; tùm quia sæpe fit, ut eludantur probationes quæ videbantur invictæ; tùm quia meum est Ecclesiæ parere, non verò judicare an sufficiant testes qui præcesserunt, necne; 2do. nec revelare tenetur qui Pauli crimen à Petro solo didicerat, si Petrus ipse revelaverit; aut qui per plateas ab ignotis nec fide dignis hominibus audivit crimen à Paulo fuisse perpetratum: hæc enim denuntiatio nullam in judicio fidem faceret; 3tio. qui physicâ, vel etiam morali (quâ scilicet secluso Monitorio non peccaret) restituendi impotentiâ laborat & laborare cognoscitur, nec restituere tenetur, nec ab aliis vi Monitorii detegi: quia * *rem quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.* Ubi nota eum incurrere excommunicationem si quæ lata sit contra non restituentes, qui jam inchoatâ, vel præcognitâ Monitorii promulgatione conjiceret se in impotentiam restituendi; secùs de eo qui restituere non valens, sic esset affectus, ut etiamsi par foret restituendo, restituere nollet: eos enim quorum mala est voluntas plectere non intendit Ecclesia, cùm agendo verè sunt impares. Qui tamen ad pinguiorem reversus fortunam non restituit, statim contrahit excommunicationem, nisi qui eam tulit, cesserit, loco. Hæc enim censura cùm sit ab homine, eo extincto extinguitur.

Quæres, an ad revelandum teneatur, qui scit Monitorium concessum fuisse alicui, nullam in rebus de quibus agitur partem habenti. R. Supponendum est eum qui Monitorium concessit, officio suo non defuisse: unde qui factorum notitiam habet, ad revelandum tenetur nisi error manifestus sit, ut esset si Petrus Monitorium obtinuisset pro injuriâ non sibi sed Paulo illatâ, & de quâ Paulus neutiquam conquereretur. Quod si Petrus ad procurandam Paulo reparationem injuriæ eidem illatæ, Monitorium obtineat, Paulus qui injuriam hanc remittere potest, non tenetur ad revelandum. Si verò publicus criminum vindex, cujus est grassantia mala cohibere, Monitorium obtinuisset, tunc nè ipse quidem Paulus immunis esset à revelando, quia potest quidem juri suo renuntiare, non autem iis quæ ordinantur ad bonum commune.

### §. II. *Quo tempore & quo titulo revelandum, &c.*

Duo hic expendenda, 1mo. an qui facti in Monitorio contenti notitiam habent, quamprimum revelare teneantur; 2do. an si huic officio desint, peccent non solùm contra reveren-



* C. 2. De Const.

tiam Ecclesiæ mandatis exhibendam, sed & contra justitiam proximo debitam. Quâ de re.

Dico 1mo. Post primam monitionem strictè tenentur ad revelationem omnes qui facti notitiam habent, nisi legitima causa moram permittat.

Prob. 1mo. quia tenetur quilibet Ecclesiæ in materiâ præsertim gravi parere quamprimùm potest: atqui Ecclesia per primam monitionem præcipit; ergo intolerando laborant errore, qui putant revelationem posse differri donec triplex præcesserit monitio.

Prob. 2do. quia ex dilatione revelationis sæpius sequitur grave *conquerentis* detrimentum. Nam sæpè fit 1mo. ut conquerens ad graves sumptus teneatur, à quibus abstinuisset, si statim ad revelationem venissent testes; 2do. ut dum procrastinatur revelatio, res furtò abreptæ abscondantur, vel aliò transferantur; 3tio. ut sontes fugæ tempus inveniant, quod non invenissent; & ut qui primâ hebdomadâ pares erant solvendo, post tertiam non sint solvendo, &c. ergo.

Dixi *strictè tenentur*. Nam stricta est obligatio quæ ex Religione & ex justitiâ nascitur: porrò obligatio revelandi quamprimùm nascitur, 1mo. ex religione, ex debitâ nimirùm Superioribus Ecclesiasticis reverentiâ; 2do. nascitur etiam ex justitiâ: si enim, ut statim dicam, ad damni totius refusionem tenentur; qui non revelando damni hujus causa fuêre; quis eximat à restituendo pro ratâ, eos quorum dilatio alicujus detrimenti conquerentibus causa fuerit?

Dixi iterùm, *nisi legitima causa excuset*. Non enim peccat qui differt revelationem, 1mo. qui propriis & gravibus negotiis aliò trahitur; 2do. qui grave ex præcipiti revelatione damnũ timet; 3tio. qui dubitans an ad revelationem teneatur, antè vult eruditum quempiam consulere, quàm revelet; 4to. qui sperat partes ante excommunicationis fulminationem; mutuò secum invicem conciliatum iri; itèm qui sperat salubribus se consiliis præstiturum ut delinquens parti læsæ faciat satis. Extra hos aut similes casus peccat qui differt revelationem: 1mo. si prævidisset futurum ut statuto tempore revelare non posset, ob aliquod superveniens impedimentum, graviter peccasset non revelando eo tempore quo potuit, & excommunicationem incurreret, cùm postea fulminaretur, etsi jam eo tempore revelare non posset.

Dico 2do. Qui revelationem suo tempore omisit, ad eam obligatur quandiu conjicere potest eam utilem fore. Ratio est, quia terminus præfigitur ut sollicitetur revelatio, non ut eo transacto, expiret ejusdem revelationis obligatio; ergo, &c.

Dico

Dico 3tio. Ad restitutionem tenentur qui consequenter ad Monitorium revelare negligunt.

Prob. quia illa opinio in praxi admitti debet, quæ ut tutior sic & probabilior est ab extrinseco, & ab intrinseco: atqui sic se habet opinio quæ ad restituendum obligat eos qui cùm revelare possent; non revelaverunt. Ità Parochos suos doceri & docere voluerunt S. Carolus Boromæus, Cardinalis Le Camus in suis statutis, Emin. Noallius in Collation. de usurâ, tom. 3. lib. 6. pag. 206. Episcopus Genevensis in Resol. Pastor. tom. 2. pag. 3. tit. 6. cap. 5. Episcopus Catalaunensis, cujus pro Diœcesi exarata est Theologia Haberti. Idem satis apertè tradit Babin tom. 1. pag. 460. & expressè Pontas, v. *Restitutio*, cas. 201.

Confirm. 1mo. Qui ex justitiâ tenetur ad revelandum, is nisi revelet tenetur ad restituendum; atqui urgente Monitorio, qui revelare potest, non ex religione solùm tenetur ad revelandum, sed & ex justitiâ. Nam tenetur ex justitiâ qui tenetur ex officio: sed tenetur ex officio qui tenetur urgente Monitorio, tunc enim officium hoc & onus imponunt Ecclesiasticus & secularis Judex, ut qui damnum alterius avertere potest revelando, avertat, & hoc onus suscipiunt omnes Ecclesiæ filii. Et verò conquerens jus acquirit per præceptum Ecclesiæ, ut omnes qui testificando sibi opem ferre possunt, hanc reverâ sibi ferant.

Confirm. 2do. ex S. Thomâ 2. 2. q. 62. a. 4. ubi sic: *Tenetur*, quis *ad restitutionem... si damnificet aliquem impediendo nè adipiscatur id quod erat in viâ habendi*: atqui conquerens erat in *viâ habendi* & recuperandi rem suam, nisi obstitisset silentium non revelantis; ergo non revelans ad restitutionem tenetur quatenus damnificator.

Confirm. 3tio. Qui per dolum impedit nè alius rem suam recuperet, is ex omnium confesso, obnoxius est restitutioni: sed qui non revelat hoc in casu, per dolum impedit nè alius bonum suum recuperet. Sicut enim per dolum impedit nè stipem obtineam, qui dolosè verbis aut nutibus dicit me non indigere; sic & per dolum impedit nè rem meam assequar, qui æquivalenter dicit neminem cognosci qui ad damni mei reparationem teneatur: atqui hoc æquivalenter dicit, qui non revelat, cùm revelare ab Ecclesiâ jubetur, idque ex ejus silentio colligitur; ergo.

Quæres an ad restitutionem teneatur, qui revelavit, cùm debeat abstinere à revelando. R. affirm. quia qui revelat, cùm non debet, lædit jus strictum alterius. Unusquisque enim jus habet ut crimen suum non detegatur ab iis qui ipsum sub

ſilentio premere debent; unde qui ſic revelant, ſunt verè proditores, proditor autem ex dolo agit, & eſt ſtrictè iniquus.

Quia tamen qui injuſtè revelavit, vix ſcire poteſt an æqui Judices aliquam revelationis evidenter iniquæ rationem habuerint; itèm an non is præceſſiſſet teſtium numerus, qui independenter à proditore, rei crimen ſatis detexerint, ideo vix unquam in praxi ad damni totius refuſionem obligari poteſt temerarius revelator, idque adhuc verius eſt, cum ex bonâ fide revelavit.

Quæres quid faciendum à Parocho, cui publicandi Monitorii provincia demandatur. R. decem hæc 1mo. ex ſuprâ recenſitis excommunicationis naturâ & effectibus, exponet quàm formidanda ſit excommunicatio etiam injuſta.

2do. Inſurget in eos qui ex vindictâ, aut levibus de cauſis Monitoria poſtulant; & qui cùm ſæpè divites ſint, terribiliores Eccleſiæ pœnas pro iis extorquent rebus, quarum jacturam viri etiam pauperes, ſed pluſculum Chriſtiani, æquo animo ferunt.

3tio. Si certò deprehendat Monitorium obreptitiè obtentum fuiſſe, rei totius veritatem indicabit Officiali, cui id moleſtum accidere non debet.

4to. Cavebit nè publicationes authoritate propriâ ſuſpendat, eo quòd damni author ei in confeſſione aſſeruerit ſe ad exhibendam ſatisfactionem paratum eſſe hæc enim publicationum ſuſpenſio in grave conquerentis præjudicium cedere poſſet, & pluribus Areſtis prohibita eſt.

5to. Monitoria non promulgabit in Feſtis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Purificationis, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, aliiſque ſolemnioribus diebus, niſi Epiſcopus aliter cenſuerit. Ità enim præſcribunt libri Rituales non pauci, & probat ipſa rei natura; cùm æquum non ſit ſanctam ſolemniorum dierum lætitiam; pœnarum quas Religio maximas habet, ſtrepitu vel inflictione turbari: unde publicatio hæc in ſubſequentem feſtam diem unà cum *Pronao* differri debet.

6to. Monitorium leget altâ & diſtinctâ voce, non feſtinanter, ut nemo non audiat ſingulos articulos qui Monitorii materiam conſtituunt.

7mo. Cùm excipiet depoſitiones, cavebit nè quis alia revelet quàm quæ ad Monitorium ſpectant.

8vo. Docebit quàm errent graviter qui revelationem uſque ad ultimum terminum differunt.

9no. Exponet per Monitorium ligari reum & teſtes; reum quidem ut ſatisfaciat ſub excommunicationis pœnâ, (quæ tamen

men non ubique contra reos imponitur) non autem ut se prodat; testes verò ut sub excommunicationis pœnâ revelent.

10mo. Monebit eòs qui defectu revelationis excommunicationem incurrent, non posse quocumque se transferant, absolvi nisi ab Episcopo Monitorium decernente ejusve successore, quia censura hæc est *ab homine* per sententiam specialem.

De Aggravatione aut Reaggravatione quæ in monitorialibus literis apponi solent, non loquor, quia Aggravatio & Reaggravatio nihil operari posse videntur, quod nunc excommunicatio non operetur; unde satiùs esset ab iis abstinere.

---

## ARTICULUS QUARTUS.

### *De Excommunicatione minori.*

EXcommunicatio minor est censura privans hominem receptione Sacramentorum, & voce seu electione passivâ; unde qui eâ ligatus recipit Sacramenta & Beneficia, peccat mortaliter; quia facit contra Ecclesiæ prohibitionem in materiâ gravi. Graviter etiam peccat, tùm qui excommunicato minori Sacramenta confert, nisi excuset ignorantia, aut scandali alteriusve mali vitandi necessitas; tùm qui eundem ad Beneficium sciens & volens eligit, præsentat; &c. uterque enim violat jus naturale prohibens nè Ecclesiæ bona conferantur indignis.

Valida tamen sunt Sacramenta quæ hujusmodi excommunicatis conferuntur, exceptâ Pœnitentiâ, quia supponitur deesse dolor de peccatis, sine quo Pœnitentiæ Sacramentum validè recipi non potest: secus si prius petant censuræ absolutionem; aut eam sibi impertiendam esse sciant, ut communiter præmitti consuevit. Valida itèm est electio ad Beneficium, aut ejus collatio, ut colligitur ex cap. 10. *De Clerico excomm. minist.*

Quæres 1mo. an peccet excommunicatus minor, si Sacramenta conficiat aut administret. R. eum mortaliter peccare si Missam celebret: quia qui Missam celebrat, communicare debet, quod non potest excommunicatus minor. Si verò alia Sacramenta conferat, videtur nisi venialiter peccare; quia indecens est, ut qui à Sacramentorum susceptione tanquàm indignus prohibetur, eadem administret.

Hic duo animadvertenda, 1mo. excommunicatos minores nullam incurrere irregularitatem pœnamve canonicam, sive

conferendo, sive recipiendo Sacramenta, quia nulla est expressa in jure; 2do. eosdem divinis Officiis interesse posse, suffragiis frui, absolvere à censuris, actus jurisdictionis exercere, &c.

Quæres 2do. quas ob causas incurratur hæc censura. R. eam nunc tantùm incurri, quando communicatur in rebus prohibitis cum excommunicato majori, eòque denuntiatô. Varias autem illicitæ hujus communicationis species exprimit versiculus iste: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur.*

*Os* denotat commercium per verba, nutus, literas, & alia amicitiæ signa, ut sunt amplexus, missio vel acceptatio munerum, non tamen retentio eorum quæ ante censuram recepta erant.

*Orare* significat externam communionem in Officiis divinis, Sacramentis, orationibus etiam privatim factis cum tali excommunicato.

*Vale* significat salutationem honorificam. Quod ità extendit Suarez, ut nequidem permittat aperiri caput sine verbis, ut resalutetur excommunicatus.

*Communio* denotat eadem exercitia, contractus, deambulationem cum alio, quietem in eodem cubiculo per modum societatis; secus si id ob dormiendi necessitatem fiat, & sine societate.

Per vocem *mensa* prohibetur communicatio non solùm cibi, & potûs, sed & mensæ, etiamsi non iisdem ferculis vescaris, &c.

Hæc quæ prima fronte jugum intolerabile videntur, non parùm emolliuntur sequenti versu varios indicante casus in quibus sine culpa, ac proin sine censura, excommunicati frequentari possint. *Utile, lex, humilis, res ignorata, necesse*: 1mo. itaque excusat, *utile*, id est, utilitas sive excommunicati, sive communicantis cum eo, sive alterius tertii. * Unde licet Casuistam excommunicatum consulere; Medicum invisere, & ab eo sibi, aut aliis emere remedia, literis cum ordinaria salute aut verbis monere ut resipiscat, &c.

2do. *Lex*, matrimonii scilicet: licitum enim est uxori cum marito præciso, vel marito cum uxore præcisâ communicare, in redditione aut petitione debiti conjugalis; in iis quæ ad domus & familiæ gubernationem spectant, imò & in colloquio familiari, (modò tamen non omittatur correctio fraterna, cui si desit præsertim maritus, letaliter peccabit ex Avilâ & aliis.) Ratio est, quia vix vitari potest incontinentiæ periculum, si tam arctè conjunctis interdicatur prædicta communicatio:

* C. 103. XI. q. 3.

municatio: unde & id ampliari solet si ambo sint excommunicati. Limitatur tamen si matrimonium scienter contraxerint in excommunicatione; qui enim contra censuram deliquerunt, ab ejus onere eximi non debent: itèm si lata sit censura ob causam quæ ad matrimonium spectet, puta si ob dubium de matrimonii valore prohibeatur cohabitatio: denique si conjuges divortio separati sint.

3tio. Excusat *humilis*, seu dependentia militum v. g. à ducibus, famulorum à dominis, filiorum à patribus. Censet tamen Sylvius illicitum esse famulis mancipare se obsequio hominis jam excommunicati: si famulum excommunicari contingat, debet herus eum omni qua poterit via reducere ad pœnitentiam; sin autem parere nolit, abigere, præsertim si grave ex ejectione ejus damnum non sequatur.

4to. Excusat *ignorantia*, sicut & inadvertentia, modò utraque sit invincibilis. Si enim voluntaria sit, non excusat à censurâ, cùm non excuset à participatione culpabili: unde petenda est absolutio saltèm ad cautelam.

5to. Excusat *necessitas*, etiam gravis, sive temporalis sit, sive spiritualis, sive mea, sive alterius, cujus cura mihi ex præcepto vel consilio incumbat. Non enim probabile est velle Ecclesiam obligare contra divina aut naturalia consilia.

Quæres 3tio. an qui dubitat num alter excommunicatus sit, teneatur eum vitare. R. eum esse vitandum si immineat periculum scandali, vel Sacramenti alicujus, v. g. Pœnitentiæ invalidè suscipiendi, &c. Extra hos casus qui dubitat simul an alter sit excommunicatus & denuntiatus, nec potest nec debet eum vitare, quia exponeret se periculo eundem jure suo privandi, eique injuriam faciendi. Si verò certus sit de ipsius excommunicatione, sed dubitet num denuntiatus sit, potest eum vitare, sed ad id non tenetur; quia jus præcipiens ut vitentur excommunicati denuntiati, strictè intelligendum est de iis quos satis constat esse denuntiatos.

Quæres 4to. an qui dubitat an ipse excommunicatus sit, debeat se gerere ut excommunicatum. R. affirmat: sive dubium sit juris, ut cùm qui tale commisit delictum, dubitat an ei annexa sit censura; sive sit facti, ut cùm quis scit huic delicto annexam esse censuram, sed dubitat an tale delictum commiserit, putà an is quem se percussisse meminit, Clericus esset an secularis. Ratio est 1mo. quia id expresè habetur. c. 5. *De Clerico excom. minist.* ubi sic: *Quia in dubiis via est tutior eligenda; etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potiùs se abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare;* 2do. quia ut alibi dixi, in dubio votum implendum est; ergo à pari. Hinc

Hinc 1mo. qui non facit id quod in se est ad excutiendum dubium quo laborat, regulariter loquendo, temerè se Sacris ingerit, ob periculum, nè excommunicatus; vel alia ligatus censura, celebret, aut quid simile faciat; 2do. imprudentissimè agit, qui stante dubio non curat saltèm ad cautelam priùs absolvi, quàm Sacramenta conficere aut ministrare attentet. Sufficit autem absolutio Episcopi; quia sicut votum perpetuæ castitatis, si dubium sit, reservatum esse cessat, sic & censura, alioqui reservata Papæ.

Ceterùm excommunicatio minor tolli potest ab omni & solo Sacerdote approbato: vetuit enim an. 1679. Innocentius XI. *nè etiam venialium confessio fiat simplici Sacerdoti*, etiam Regulari, *non approbato ab Episcopo aut Ordinario.*

---

# CAPUT SECUNDUM.

## *De Suspensione.*

SUspensio est censura, quâ Clerico prohibetur exercitium alicujus ministerii sacri. Vox *censura*, quæ locum habet generis, impedit nè peccatum mortale quod etiam ecclesiastico ministerio privat, sit suspensio prout hic sumitur: unde etiam prohibitio celebrandi sacri decrepito, non est vera suspensio, quia non supponit culpam. Vox *Clerico*, ostendit suspensionem ratione subjecti quod afficit, distingui ab aliis censuris quæ etiam seculares ligare possunt. Per hæc verba *exercitium ministerii sacri*, distinguitur suspensio, 1mo. ab irregularitate, quæ per se & primariò privat Ordinum susceptione, eorum verò usu non nisi secundariò & per accidens; 2do. à depositione & degradatione, quæ non modò Beneficii & Officii usum suspendunt, sed & ipsam, ut ità loquar, utriusque substantiam quantùm est de se convellunt; 3tio. ab excommunicatione; hæc enim privat spiritualibus bonis, prout important communicationem cum aliis Fidelibus: suspensio verò privat bonis, prout sunt usus potestatis ecclesiasticæ, quæ cuipiam ratione Beneficii vel Officii convenit; 4to. ab interdicto, quod non solùm in Clericos sed & in Laicos; non solùm in personas, sed & in loca cadere potest, quodque per se privat usu passivo bonorum Ecclesiæ, Officiorum, v. g. quatenus interdictus iis interesse non potest; cùm suspensus iis solùm privetur quatenùs sunt functio ecclesiasticæ potestatis: unde suspensus non privatur eo ministerio quod à Laicis vel in sacrificio Missæ, vel in Sacra-

Sacramentorum administratione exerceri potest; secùs de eo qui interdictus est.

Suspensio alia est *medicinalis*, quæ fertur ut homo resipiscat, alia *pœnalis*, quæ fertur in vindictam criminis præteriti. Pœnalis alia est *temporalis*, quæ fertur cum limitatione termini, v. g. ad biennium: alia indefinita, cui nullum præfigitur tempus; & tunc intelligitur duratura donec aliter Superiori visum sit.

Ex his suspensionibus nulla est præter medicinalem, quæ verè sit censura. Suspensio autem medicinalis, vel est *totalis*, quæ simul privat bonis omnibus quibus privare potest, Ordine scilicet, Officio, & Beneficio, vel est *partialis*, quæ non privat simul his omnibus, sed vel uno tantùm vel duobus, potest enim Sacerdos à Missa celebranda, non ab aliis Sacramentis, à prædicatione, non à confessione suspendi. Hæc ut magis elucescant, sit

---

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De effectibus Suspensionis.*

SUspensionis effectus alii sunt *per se*, privatio nempè Officii, vel Ordinis, vel Beneficii, aut horum omnium simul; alii *per accidens*, & hi vel in suspensum ipsum cadunt, vel in alios occasione ipsius. Jam

Dico 1mo. Suspensio absolutè lata, suspendit ab Ordine, Officio, & Beneficio. Prob. tùm quia nulla est ratio cur suspensio hæc ad unum potiùs quàm ad aliud limitetur; tùm quia ut excommunicatio simpliciter lata, intelligitur de majore, seu de totali; sic & suspensio. Unde si Superior partialiter solum suspendere velit, necesse est ut clarè designet, quo ab Officio suspendat: alioqui enim totaliter suspendere censebitur.

Dico 2do. Suspensio ab Officio simpliciter & absolutè lata, privat usu Ordinis, jurisdictionis & omnis Ecclesiastici ministerii, quod à Clerico ut tali exerceri postulat. Unde sic suspensus nec celebrare, nec Sacramenta administrare potest, quia hæc sunt actus Ordinis: itèm non potest censuras ferre, concedere indulgentias, alios ad confessionem approbare; quia hæc pertinent ad jurisdictionem: denique non potest eligere, & similes actus exercere, sive hi in rigore jurisdictionem includant, sive aliquod jus æquivalens quod Clerico ut tali concedatur ab Ecclesia, & ab eadem auferri possit.

Prob.

Prob. quia qui prohibet totum, prohibet & omnes ejus partes: atqui suspensio ab Officio absolutè prolata, prohibet totum; quia non magis coarctatur ad hanc totius partem, quàm ad illam, ergo cùm juxta doctiores Canonistas, * nomine Officii Ecclesiastici, intelligatur & usus Ordinis, & usus jurisdictionis, & quæ utrique annexa sunt, sequitur hominem ab Officio illimitatè suspensum, non solùm à jurisdictionis usu suspendi, sed etiam ab usu Ordinis. Vox enim Officii latè admodum extenditur & omnia præter Beneficium comprehendit, ut cum aliis docet Avila.

Ad pleniorem nostræ hujus assertionis intelligentiam, sedulo ponderandum est 1mo. effectus suspensionis quoad jurisdictionis cessationem locum non habere, nisi in iis qui nominatim denuntiati sunt suspensi; 2do. eosdem effectus quoad incapacitatem obtinendi Beneficia, (de qua inferiùs) locum habere ante omnem denuntiationem: quia Constitutio *Ad evitanda*, non favet excommunicatis vel suspensis; 3tio. cùm suspensio contra aliquem fertur, cautè pensanda esse verba legislatoris, ut videatur an suspensio non referatur ad expositionem delicti quód quis commisit, & inde modificetur; 4to. suspensionem ab Officio etsi latè extenditur, non privare tamen iis ministeriis quæ Clericorum propria non sunt: unde suspensus potest Sacramenta præter Ordinem recipere, indulgentias lucrari, celebranti Missam inservire, cum aliis in Choro Horas canere; non tamen Orationes & Capitula cantare ut Hebdomadarii solent, quia hæc functio ex usu solis Sacerdotibus competit; potest etiam Epistolam canere sine sacris vestibus, imò cum alba & tunicâ sine manipulo; id enim seculares quoque non rarò præstant.

Quæres an qui ab Officio suspensus est, sit consequenter à Beneficio suo, ejusve fructibus suspensus. R. negativè 1mo. quia censura dividitur in suspensionem ab Officio solùm & suspensionem ab Officio simul & Beneficio; 2do. quæ divisio inutilis foret, si suspensio ab Officio necessariò involveret eam quæ est à Beneficio; quia in pœnalibus verba strictè sunt interpretanda, nisi quid subsit quod contrarium exigat: nihil est porrò quod exigat ut Officii nomine Beneficium intelligatur; 3tio. quia quando legislator ab Officio simul & Beneficio suspendere vult, utrumque exprimit. Sententia hæc est communis & certa, etiamsi agatur de suspensione quæ sit ab homine; aut quæ contracta sit propter gravem culpam; modò culpa talis non sit quæ ex se privationem Beneficii inducat. Hinc confirmatur quod supra dixi, neminem per excommunicationem privari fructibus Beneficii.

Ex

* *Gibert.* p. 434.

Ex his sequitur, suspensos ab una parte Officii, non suspendi ab altera ei necessariò non connexâ; suspenditur tamen ab audiendis confessionibus, qui suspensus est ab Ordine; quia potestas confessiones excipiendi fundatur in potestate Ordinis.

Dico 3tio. Suspensus simpliciter ab Ordine suspensus est ab omni Ordine; suspensus ab Ordine superiori, non ideò suspensus est ab inferiori.

Prob. 1. pars, quia nulla est ratio cur suspensus ab Ordine simpliciter, potiùs ab uno quàm ab alio suspensus dicatur.

Prob. 2. pars, quia quædam culpæ satis sunt graves, ut à supremo ministerio, nimis verò leves, ut ab infimo arceant: & id veteri disciplinæ congruit, juxta quam Subdiaconi à gradu suo ejecti, aliquando tamen Lectoris & Ostiarii Officium exercere poterant.

At qui suspensus est ab Ordine inferiori, est etiam regulariter à Superiore suspensus: quia cui non licet quod minus est, nec ei licere debet quod majus.

Excipe 1mo. si suspendatur quis à functione inferiori ob culpam in ejus exercitio commissam: sic ex c. 4. *De temp. Ordin.* in 6. qui *homini Diœcesis alienæ, clericalem præsumit conferre tonsuram absque* Episcopi ejùs *licentia, per unum annum à collatione clericalis tonsuræ duntaxat* suspensus est, *ut in eo quo peccaverit puniatur*; 2do. si Ordo inferior à quo quis suspensus est, non includatur in superiore; unde si Episcopus suspensus sit à Pontificalibus, non poterit quidem ea præstare quæ spectant ad usum Ordinis Episcopalis, qualia sunt Ordinum collatio, Ecclesiarum & Virginum consecratio: at ea exequi poterit quæ sunt Ordinis merè sacerdotalis, ut Missam celebrare: nam simplex celebratio Missæ non pertinet ad Pontificalia, cùm Missa ab iis celebretur qui non sunt Pontifices.

Dico 4to. Suspensio à Beneficio simpliciter lata, suspendit ab omnibus Beneficiis. Ratio est, quia suspensio hæc se habet ad Beneficia, sicut suspensio ab Ordine simpliciter, se habet ad Ordines; porrò ex dictis suspensio ab Ordine simpliciter, suspendit à quocumque Ordine. Unde qui plura variis in Diœcesibus possidet Beneficia, ab omnibus suspendi potest: quia licèt hæc omnia Beneficia non subjaceant uni Episcopo, ei tamen subjacet, qui ea omnia possidet, ac proinde ab omnibus suspendi potest, si id mereatur. Si tamen Episcopus quempiam suspendat, nec exprimat se ab omnibus suspendere, credi potest eum non ab omnibus, sed ab iis solum quæ jurisdictioni suæ subsunt Beneficiis suspendere voluisse: unde existimat Pontas, suspensionem quæ ex Statuti alicujus violatione incurritur, ab iis solùm suspendere Beneficiis quæ sita sunt in loco

in

in quo obligat Statutum illud; contra verò eam quæ per sententiam fertur, nunc à quibusdam, nunc ab omnibus suspendere, prout Superior vel quædam solùm, vel omnia exprimit: in dubio satiùs est ad Episcopum recurrere, ejusque intentionem percunctari.

Dico 5to. eum qui à Beneficio simpliciter suspensus est, non privari ipso Beneficii titulo, privari tamen fructibus ejus. Prima pars patet, quia suspensio ipsam rei substantiam non perimit; alias jam esset depositio, non pœna medicinalis, imposita solùm donec quis resipiscat. Secunda pars non minùs constat; quia alioqui suspensio nihil circa Beneficia operaretur. Hinc qui etiam occultè suspensus à Beneficio, percipit ejusdem fructus, tenetur in conscientiâ ad restituendum Ecclesiæ. Potest tamen si indiget eam sibi fructuum partem reservare, quæ ad moderatam sustentationem necessaria est, potest quoque si Officium suum impleverit, ea detrahere, quæ substituto ad inserviendum donanda fuissent. Excipe, si ex animi obstinatione in suspensione perseveret: & tunc tamen Officium recitare, & alias muneris sui partes implere tenetur, quòd enim fructus non percipiat, ejus est culpa; nemini autem culpa sua patrocinari debet.

Si inquiras an suspensus à Beneficio ad aliud validè promoveri possit. R. Vel suspensus est quis ab iis solùm Beneficiis quæ actu possidet, vel ab omni prorsùs Beneficio. Si primum, validè & licitè aliud Beneficium acceptare potest, cùm id sibi prohibitum non fuerit. Si secundum, credimus ob dubia Theologorum, tutius esse: ut qui ab Officio aut à Beneficio quocumque suspensus accepit Beneficium, vel ei renuntiet, vel dispensationem, novamve collationem petat. Certè hæc obligatio ad minus dubia est, cùm & agnoscatur à gravissimis viris, qui sunt numero plures, suique loci traditionem & usum exhibent; nulla satis firmâ juris authoritate possit elidi.

Ex dictis facilè intelligitur quid in ordine ad Beneficia operentur variæ censuræ. Excommunicatio inhabilem facit ad Beneficia: idipsum præstat suspensio, tùm à Beneficio, tùm ab Officio. Excommunicatio non privat fructibus Beneficii jam possessi; sed nec iisdem privat suspensio ab Officio; privat autem ea quæ est à Beneficio, quia vel hoc, vel nihil operatur. Si quis tamen in foro pœnitentiæ à censuris absolutus fuerit, jam communiter loquendo licitè & validè Beneficia recipiet in foro conscientiæ.

Dixi *communiter loquendo*, quia etiam post acceptam à censuris absolutionem, aliquando remanet incapacitas ad pos-

fessionem

sessionem Beneficii: sic absolutus ab excommunicatione propter simoniam contractâ, manet adhuc ad idem Beneficium inhabilis, donec dispensetur à papâ, vel ab Episcopo ad tempus, si gravis id exigat ratio. Addidi *in foro conscientiæ*, quia si censura denuntiata fuerit, & qui eâ ligatus est, nondum in exteriori foro absolutus fuerit, provisiones Beneficii eidem collati, invalidæ censebuntur donec absolutionem publicam receperit. Ut solvantur alia quæ hîc moram injicere possunt.

Quæres 1mo. an censuræ eundem circa pensiones ac circa Beneficia effectum operentur; ac proinde an invalida sit pensio collata sive excommunicatis, sive suspensis ab Officio aut Beneficio: an itèm teneantur pensionis fructus restituere, qui vi suspensionis tenentur fructus Beneficii restituere. Affirmant plures 1mo. quia pensio venit nomine Beneficii latè sumpto vocabulo, ut ait Gigas q. 57. *De pensionibus.* Unde pensio iisdem amittitur modis quibus Beneficium; 2do. quia in rescriptis Pontificiis quibus pensiones conceduntur, præmitti solet absolutio à censuris *ad effectum*, &c. quod argumento est hominem prædictis censuris ligatum, reputari inhabilem ad pensiones; 3tio. quia pensio post Pium V. est titulus & reditus verè Ecclesiasticus, unde qui eâ fruitur tenetur ad Officium B. Virginis: porrò excommunicati, & ii qui à Beneficio vel Officio suspensi sunt, inhabiles sunt ad acquirendum jus in reditus Ecclesiasticos; & nonnunquam ad eos percipiendos, etsi jam radicem juris & titulum habeant, ut statim dictum est de iis qui à Beneficio sunt suspensi. Etsi opinio ista difficultate non caret, eam tamen semper consulam ut tutiorem in praxi; nisi aliud certâ loci consuetudine firmatum sit.

Quæres 2do. an acta per suspensum valida sint. R. suspensus vel est denuntiatus, vel non. Si 1. non valent actus ab eo contra suspensionem facti, si jurisdictionem requirunt; unde invalida est absolutio, data ab eo qui ab Officio suspensus est, & nominatim denuntiatus: si verò jurisdictionem propriè dictam non requirant, validi sunt; ut Ordinatio, Confirmatio, Consecratio virginum, &c. Si 2. iidem actus licèt prohibiti, sunt tamen validi, ex Constitutione *Ad evitanda scandala.*

Quod spectat ad effectus per accidens, constat eos qui suspensionem violant, peccare mortaliter, nisi excuset materiæ levitas; ut si suspensus ab ingressu Ecclesiæ, in eam paulisper introeat, quo tempore divina Officia recitantur. Difficultas est an & quando suspensionis violatores irregularitatem contrahunt. Sit.

Regula unica. Qui solemniter exercet ea quæ sunt Ordinis

dinis sacri à quo suspensus est, is & solus ex suspensionis violatione irregularitatem incurrit. Quòd incurrat patet ex c. 1. *De sent. excomm.* in 6. quòd in hoc solùm casu incurrat, patet etiam, quia pœna hæc nullibi contra alios cujuscumque suspensionis violatores decreta legitur.

Dixi 1mo. *qui solemniter exercet*; si enim non exerceat solemniter, non incurret irregularitatem: unde eam non incurrit Subdiaconus ab officio suo suspensus, si Epistolam canat in Missâ sine manipulo, quia non censetur canere ex officio.

Dixi 2do. ea quæ sunt *Ordinis sacri*, quia cùm actus Ordinum minorum jampridem exerceantur etiam à Laicis; qui eorum actus solemniter exerceret, quantumvis suspensus, non incurreret irregularitatem. Hinc suspensio secùndùm hodiernam Ecclesiæ praxim, ab iis solùm incurritur qui sunt in Sacris: unde cùm in Sacramento Pœnitentiæ præmittitur absolutio à censuris, omittitur vox, *à vinculo suspensionis*, nisi pœnitens ad minùs sit Subdiaconus.

Hinc sequitur 1mo. suspensum ab Ordine, nec peccare nec irregularem fieri si mensam benedicat, aut Choro cum aliis interfit: secùs si juxta Ecclesiæ solemnitatem benedicat aquam die Dominicâ, aut cereos, v. g. in die festâ Purificationis, fructus itèm, nuptias, aut mulierem post partum. Itèm si Orationes canendo, præmittat *Dominus vobiscum*, quia hæc omnia sunt totidem sacri Ordinis functiones.

Sequitur 2do. Episcopum suspensum à Pontificalibus, irregularem fieri si exerceat actus qui necessariò supponunt consecrationem Episcopalem, putà si conficiat chrisma, calices consecret, conferat Ordines. Quòd si idem solemniter benedicat per hæc verba: *Sit nomen Domini benedictum*; certiùs multò est eum inde irregularem fieri, * *quia hæc benedictio, quamvis non sit Ordo, est tamen actus proprius Ordinis Episcopalis; qui jure ordinario inferioribus Presbyteris non competit.*

Sequitur 3tio. suspensum à jurisdictione aut Beneficio, non fieri irregularem, si vel ea quæ jurisdictionis sunt exerceat, ferendo, v. g. censuras, absolvendo in foro exteriori, &c. vel Beneficii fructus recipiat; aut etiam missam celebret, quia non violat suspensionem ab Ordine, sed à jurisdictione solâ. Idem dic de eo qui à Presbyteratu suspensus, Diaconi, aut Subdiaconi functiones facit: is enim non violat suspensionem à Presbyteratu, à quo solùm est suspensus.

Sequitur 4to. Presbyterum & Diaconum à divinis aut etiam à prædicatione suspensos, haud tamen irregulares fieri prædicando; prout alibi dicam. Aliud est de eo qui suspensionem ab

* *Fagnan.*

ab Ordine ad tempus latam violat: quia Ecclesia irregularitatem annectere potuit violationi censuræ etiam latiùs sumptæ. Quòd autem id actu fecerit patet ex c. 1. *De re judic.* in 6. & c. 1. *De sent. excomm.* in 6. & ità sentiunt Suarez, Rituale Burdigalense anni 1707. pag. 145. Gibert pag. 786. Præiverat S. Antonin. 3. p. tit. 28. cap. 1. juxta quem etiam, suspensus sub *conditione quòd satisfaciat, si celebret ante absolutionem, est irregularis; quia in hoc factum Judicis est necessarium ut habeatur pro absoluto.*

Quæres an peccet qui communicat cum homine suspenso. R. Vel suspensus est toleratus, vel est denuntiatus. Si 1. non peccat saltèm contra jus Ecclesiasticum is qui cum eo communicat; & id sequitur ex iis quæ suprà dixi de participante cum excommunicato. Si 2. peccat mortaliter, saltèm aliquando, qui cum eo participat in iis actibus à quibus est suspensus: quia gravem infert injuriam tùm censuræ, tùm Judici à quo lata est: ideo enim Judex suspensionem denuntiat, ut vitetur quis in actibus à quibus suspensus est. Qui verò cum suspenso participat in actibus humanis, aut non peccat, aut ad summum non nisi venialiter delinquit; cùm talis participatio cum ipsis excommunicatis vulgò non excedat peccatum veniale, & excommunicatio eò distingui debeat à suspensione, quòd illa, non hæc, quâcumque exteriori communione privet. Ceterùm fatentur omnes eum qui cum suspenso participat, etiam in crimine propter quod is suspensus est, nec censuram ullam, nec irregularitatem contrahere, quia talis pœna nullibi expressa est in Jure: potest tamen quis occasione alienæ suspensionis & ipse suspendi, si v. g. recipiat Ordines ab Episcopo suspenso & denuntiato.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Suspensionibus quæ ipso jure contrahuntur.*

NE hominibus aliena Beneficia *titulo devoluti* captantibus rimam ullam aperiant Beneficiarii, varios nosse debent casus in quibus incurritur suspensio, ut absolvi ac rehabilitari curent. Præcipuas ergo suspensiones jure impositas contra Clericos duas in partes distribuam, quarum prior eas complectetur quæ Papæ reservatæ sunt, posterior quæ Episcopis.

Suspensionem Papæ reservatam incurrunt, 1mo. qui cùm titulum non habeant, promittunt aut jurant seu Episcopo à quo sunt ordinandi, seu cuilibet Beneficiario à quo ad Or-

dines præſentantur, ſe nihil unquam ab iis ad victum petituros eſſe. Ità colligitur ex cap. 37. & 45. *De ſimoniâ,* ubi etiam Epiſcopus & alii qui prædictam promiſſionem exigunt, manent per triennium ſuſpenſi, ille à collatione, hi verò ab executione Ordinum quos receperunt: ipſe verò *ordinatus, ab Ordine ſic ſuſcepto* ſuſpenſus eſt, *donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerit;* c. 49. ibid.

Certius etiam videtur incurri ſuſpenſionem, tùm ab iis qui ſine Epiſcopi licentiâ & participatione ordinantur abſque titulo; tùm ab iis qui ſub fraudulento Beneficii vel patrimonii titulo ordinantur; quales ii ſunt qui quaſi ſufficiens exhibent beneficium, quod reipsâ non æquat taxam diœceſanâ lege conſtitutam; aut qui patrimonium impar, aut debitis hypothecariis gravatum afferunt. Ità Suarez, Fagnan. Ducaſſe, Babin, Habert, Pontas, qui omnes adducunt declarationem Sacræ Congregat. datam die 26. Nov. 1610. & Can. 1. & 2. diſt. 70. quibus nullâ poſteriori lege derogatum eſt.

Hîc notand. 1mo. eos qui a ſuſpenſione hâc abſoluti fuiſſent, non poſſe ſine novâ diſpenſatione ad ſuperiorem Ordinem promoveri, niſi ſecum in titulo diſpenſatum eſſet, quod regulariter a ſolo Epiſcopo fieri poteſt; 2do. eum qui ex doloſo titulo obtinet à Præſule ſuo Literas dimiſſorias, vi quarum ab alio Præſule ordinatur, geminam probabiliter incurrere ſuſpenſionem; aliam; quia ex dimiſſorio ſubreptitiè obtento, ac proinde reipsâ nullo, aliam, quia ſine titulo ordinatur; 3tio. eum qui ante Diaconatus aut Sacerdotii ſuſceptionem verum, ſub quo Subdiaconatum recepit, Beneficii titulum dimittit, incurrere ſuſpenſionem; quia ordinatur ſine titulo. Si verò Preſbyter titulum alienet, (quod quantum ad titulum patrimonii validè in Galliâ fieri nequit ex Conſtitutione Aurelianenſi an. 1560.) peccabit quidem graviter, ſed non erit obnoxius ſuſpenſioni, utpotè nullibi decretæ contra Preſbyteros qui titulum alienant; 4tò. eum qui ſolùm promittit ſe extra caſùm magnæ neceſſitatis nihil exacturum eſſe ab eo qui titulum ſibi conſtituit, non ſubjacere ſuſpenſioni, juxta viros graves eâ de re conſultos: quia Eccleſia non exigit titulum, niſi ut quis in neceſſitate habeat unde vitam citra Clerici dedecus ſuſtentet. Idem eſt ſi teſtes declaraverint prædium tanti valere, quod niſi ſit, de ſuo ſupplementum præbituri ſint; niſi declaratio hæc publicâ loci conventione illuſoria ſit.

2do. Suſpenſi ſunt qui excommunicatione ligati, Ordines culpa-

culpabiliter recipiunt. Ità colligunt omnes ex c. 32. *De sent. excom.* Hâc suspensione non ligantur juxta Suarem, Avilam, Navarrum, &c. excommunicati, qui primam tonsuram recipiunt.

Dixi, *qui culpabiliter Ordines recipiunt*; quia hic excusat tùm ignorantia invincibilis, tùm etiam aliquando gravis metus, ut suprà dixi.

3tio. Monachus qui *aliquem sacrum Ordinem in apostasiâ* recepit. Is enim *quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam absque dispensatione Romani Pontificis ministrare non poterit in Ordine sic suscepto*; ex cap. 6. *De apostat.*

4to. Qui post contractum, licèt non consummatum matrimonium, * *aliquem de sacris Ordinibus* præsumunt accipere; atque hæc suspensio ad Beneficium etiam & quodcumque Officium Ecclesiasticum extenditur. Si tamen qui sic Ordines recepit, Religionem ingrederetur, posset ab Episcopo diœcesano absolvi. Quòd si quis bonâ fide Ordines sacros suscipit, putans mortuam esse uxorem, quæ tamen vivit, is ab Ordinis sic suscepti executione, non quidem strictè & per modum censuræ suspensus erit; sed solùm prohibitus quandiù uxor vivet, nisi hæc juri suo cedat; emittens v. g. votum castitatis, &c.

5to. Qui eodem die, duobusve diebus continuis duos sacros Ordines recipit: is enim ab Ordinis ultimò recepti executione suspensus manet ex cap. 13. *De temp. Ord.* Sed nullam præsertim in Galliâ suspensionem incurrunt qui eâdem die minores Ordines & Subdiaconatum recipiunt.

6to. Qui Ordines per simoniam realem recipiunt, cap. 2. *De simon.* in Extravag. commun.

7mo. Qui Ordines suscipiunt furtivè, id est, absque eo quòd ab Episcopo examinati aut admissi fuerint. Hæc suspensio non est reservata Papæ, nisi cùm Episcopus furtivam hanc, ut multis in Diœcesibus fieri solet, Ordinum receptionem sub excommunicationis pœnâ prohibuit; alioqui enim ab Episcopo relaxari potest. Potest quoque Episcopus à prædictâ suspensione eos omnes absolvere, qui Religionem ingressi, in eâ *laudabiliter fuerint conversati.* Vide titulum *De eo qui furtivè*, &c.

8vo. Qui ante legitimam ætatem ordinantur: sic enim sanxit Pius II. Bullâ suâ septimâ, quam qui usu contrario revocatam esse volunt, nullâ satis firmâ ratione nituntur. Ubi nota, 1mo. suspensionem hanc cùm semel contracta est, per



* *Extravag. Joan. XXII. c. unic.* De voto.

superveniemtem legitimam ætatem non tolli; 2do. eam non incurri ab iis qui bonâ fide rati se ætatem habere canonicam, Sacris initiantur. Unde si re compertâ abstinuerint ab Ordinum usu, poterunt absque ullo ad Superiorem recursu celebrare, statim ut ætatem præscriptam attigerint; 3tio. neque etiam eam incurri ab iis qui minores solùm Ordines ante debitam ætatem recipiunt; aut qui inter Ordines etiam sacros præscripta interstitia non servant; quia pœna hæc nullibi expressa est in jure: quanquam graviter delinquunt qui in utroque casu Ecclesiæ legem violant; 4to. & id semel dictum sit, prædictas suspensiones ab Episcopo auferri posse, quoties occultæ sunt; ut patet ex cap. 6. Sess. 24. Conc. Trid. Idem est erga eas etiam quæ publicæ sunt, cùm Episcopus legitimè præscripsit facultatem ab iisdem absolvendi, &c.

Suspensionem Episcopis jure reservatam incurrunt: 1mo. qui per saltum ordinantur, seu qui Ordinem superiorem recipiunt omisso inferiori: verùm cùm talibus, *modo* tamen *non ministraverint* in Ordine sic suscepto *Episcopus ex legitimâ causâ* potest *dispensare* ait Tridentinum Sess. 23. c. 14. *De reform.* Porrò declaravit Sacra Congregatio subjacere suspensioni huic, eum qui Ordines recepit non recepta tonsura; tùm quia tonsura quandoque vocatur Ordo, ut cap. 11. *De ætat. & qualit. præfic.* tùm quia ex Ecclesiæ usu tonsura primus est gradus ad Ordines, eorumque basis.

2do. Qui absque Literis dimissoriis proprii Episcopi, aut iisdem suppositis, ab alio Episcopo ordinantur. Ità sanxit Pius II. Bulla 7.

3tio. Qui ordinantur ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto denuntiato; aut à simoniaco, tali per sententiam declarato; ità sancitum c. 1. & 2. *De schismaticis*; & c. 108. 1. q. 1.

4to. Qui vacante Episcopatu, * & nulla arctante Beneficii causâ, à Capitulo ante completum annum dimissorias obtinent, iisque nixi sacros Ordines recipiunt. Qui verò minoribus solùm in eodem casu donantur, privilegii Clericalis privatione, non autem censura puniuntur.

5to. Qui à proprio etiam Episcopo, extra suam Diœcesim, ** & absque Ordinarii locorum licentia expresia, ordinantur: secùs si agatur de tonsura quam Episcopus cuilibet è Diœcesanis suis, & ubilibet conferre potest.

6to. Qui Ecclesiam suam alienis debitis gravare præsumunt, eamve obligant; ii enim ab administratione temporalium & spiritualium, donec aliter Episcopo visum sit, suspenduntur, c. 2. *De solution.* 7mo.

* *Trid. Sess.* 10. c. 7. ** *Trid. Sess.* 6. c. 5.

7mo. Qui usurarios manifestos ad communionem admittunt, * eorum recipiunt oblationes, ipsosve Christianæ tradunt sepulturæ. Hæc secundùm ea, quæ superiùs dixi, restringenda sunt in eo, quod ad sepulturam pertinet.

8vo. Ab Officio & Beneficio suspenduntur Visitatores, qui in cursu visitationis aliquid ultra id quod sibi debitum est: vel exigunt, vel sponte oblatum recipiunt; suspenduntur, inquam, donec duplum gravatis Ecclesiis restituerint; cap. 2. *De censibus in 6.*

9no. Ex Trid. sess. 24. de reformat. cap. 1. *Parochus, vel alius Sacerdos, sive regularis, sive secularis sit, qui alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentiâ, matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure* purè & simpliciter *suspensus manet, quandiù ab Ordinario ejus Parochi qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* Unde si sponsi in matrimonium conjuncti, alterius sint Diœcesis, tenetur Sacerdos legis hujus transgressor, ad Episcopum cujus aliunde subditus non est, pro obtinenda suspensionis hujus relaxatione recurrere.

10mo. Suspensi etiam sunt, vel, ut malunt alii, interdicti ab ingressu Ecclesiæ, qui ** *scientes celebrant vel faciunt celebrari divina ... in locis interdictis, aut qui excommunicatos publicè, vel interdictos, ad divina Officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittunt.* Per excommunicatos *publicè*, ii intelliguntur qui per sententiam denuntiati sunt; alias enim nec ab Officiis arceri, nec ecclesiastica sepultura inconsultis Episcopis privari debent. Hæ suspensiones, etiamsi publicæ sint, ab Episcopis remitti possunt.

Quæres 1mo. an concubinarii, sodomitæ, aliique id genus sint ipso jure suspensi. R. affirmat. juxta Bullam 72 Pii. V. quæ tamen non ubique recepta est.

Quæres 2do. an ii quibus ex Judicis decreto indicta est comparitio personalis ad certum diem sint illico suspensi. R. negat. quia laicus Judex nullam potest ferre censuram; Judex verò ecclesiasticus eandem non fert, nisi id disertè exprimat. Unde obtinuit consuetudo multis in Diœcesibus, ut cùm Clerico intimatur decretum personaliter comparendi, simul & intimetur suspensio à quâcumque Officii vel Beneficii functione; quam suspensionem si violaverit, irregularitatem non effugiet. Et verò non decet ut Sacerdos de crimine præventus, sacras ministerii functiones exercere pergat, donec decretum, ut aiunt, purgatum sit, & accusatio falsi convicta.



* *Cap.* 3. De usuris. ** C. 8. De privil. *in* 6.

Quæres 3tio. quibus modis tollatur suspensio. R. Suspensio vel est censura, & tunc nulla est circa eam specialis difficultas; sed hic applicanda sunt quæ suprà dixi de absolutione à censuris: vel est pura pœna; tuncque vel imponitur ad certum tempus, v. g. ad triennium, aut donec suspensus satisfecerit; vel in perpetuum. Si 1. cessat ea elapso tempore, aut præstitâ satisfactione; nec antè ab alio potest relaxari quàm à quo imposita fuit: & ea quidem hoc in casu non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem, quia talis pœna ità est suspensio ut simul speciem habeat irregularitatis, quæ solâ dispensatione relaxatur. Si 2. tandiù quoque durat donec legis autor, vel successor ejus, superiorve aut delegatus eam relaxaverit. Ità Navarrus * & Babin, qui hinc inferunt suspensionem pœnalem in Jure contentam, ab Episcopis, utpotè qui Papæ juris conditori inferiores sunt, dimitti non posse. Et verò legislator qui vel ad tempus, vel in perpetuum aliquem suspendit; virtualiter prohibet nè pœna hæc toto illo tempore ab inferiori tolli possit; quia alioqui nec delicta pro meritò punirentur, nec satis timeretur pœna quam unusquisque facilè relaxare posset. Et hæc ratio, ait Suarez, tam efficax mihi videtur, ut existimem nè ipsum quidem Papam licitè pœnam hanc relaxare posse absque gravi & rationabili causâ.

---

# CAPUT TERTIUM.

## *De Interdicto.*

NAturam interdicti, divisionem, effectus, &c. pro solitâ methodo delibare conabimur.

---

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De essentiâ & divisione Interdicti.*

INterdictum est censura ecclesiastica prohibens usum quarumdam rerum divinarum, quatenus eæ à Fidelibus possideri possint. Hinc interdictum differt: 1mo. à suspensione, quæ non privat rebus sacris prout sunt bona Fidelium, sed prout sunt usus alicujus ministerii ecclesiastici, unde suspensio in solos Clericos cadit, interdictum verò etiam in seculares; 2do.

* *Nav. c.* 27. *n.* 162. *Coll. And.* p. 319.

2do. ab excommunicatione, quæ & plures parit effectus quàm interdictum, & cùm iis privat bonis quibus interdictum privat, non tamen eodem modo: excommunicatio enim privat rerum sacrarum usu, quatenùs communicationem importat cum aliis Fidelibus; interdictum verò hanc cum aliis communicandi rationem non curat, unde privat rebus sacris, quatenùs quædam sunt bona quæ à Fidelibus, nisi prohibeantur, possideri possunt.

Ab aliis sed non tam strictè definitur interdictum, Censura quâ certis personis, certisve in locis prohibentur Officia divina, Sacramenta quædam, & sepultura ecclesiastica. Scilicèt interdictum præter divisiones quas cum censurâ in genere communes habet, dividitur 1mo. in personale, locale, & mixtum.

Interdictum *personale* immediatè afficit personas, easque ubicumque sint, arcet à divinis. *Locale* immediatè respicit locum, prohibetque nè Missa in eo celebretur, vel audiatur etiam ab extraneis; itèm ne quis in eo Sacramentis aut sepulturâ donetur: hinc mediatè cadit in personas, & sub eo respectu vera est censura. Interdictum *mixtum* complectitur personale & locale; unde si speciale sit, cadit & in loca quoad omnes personas etiam extraneas, quæ hic divina facere non possunt; & in personas quoad omnia loca, quia personæ illæ nullibi divinis frui possunt, ut cùm incolæ loci alicujus, & locus ipse interdicuntur; aut interdicitur persona, & locus omnis in quem ea se contulerit, quod Canonistæ vocant interdictum *deambulatorium*.

Dividitur 2do. tam locale quàm personale, in *generale* & *particulare*.

Interdictum locale generale, illud est quo interdicitur locus universalis, seu locus sub quo alia loca continentur, ut Regnum Diœcesis, Civitas, Parochia tota. Ad interdictum enim generale sufficit & requiritur ut locus in quem cadit, duo locorum genera contineat, scilicet locum sacrum, & locum profanum, tunc enim prohibetur celebratio non solùm intra Ecclesiam, ubi fieri solet, sed & extra Ecclesiam, extra quam in casu necessitatis fieri posset, sive sub dio, sive in locis ad hoc deputandis.

Interdictum speciale locale illud est, quo interdicitur locus aliquis particularis, non autem ea quæ ad illud ità pertinent, ut neque partes ejus sint, neque ei accessoria. Hinc particulare est interdictum quod fertur in solam Ecclesiam: licèt enim eâ interdictâ interdicantur Capellæ quæ intra eam sunt, & cœmeterium ei contiguum, quod ut accessorium naturam

sequitur principalis, haud tamen interdicta sunt alia loca profana, in quibus proinde quòd quis divina facere nequeat, oritur ex conditione loci, non ex naturâ interdicti. Unde interdictum latum in omnes mundi totius Ecclesias, adhuc speciale foret: multitudo enim templorum nihil facit ad interdictum generale, nisi etiam loca quæcumque ejusdem districtûs interdicantur, quia adhuc extra Ecclesias divina peragi possunt, sive in Oratoriis constructis aut construendis, sive alibi. Hæc differentia strictiùs ponderanda fuit: quia ii quibus ex privilegio concessum est, ut tempore generalis interdicti possint audire, percipere, vel celebrare divina, id non possunt tempore interdicti particularis. Circa hæc

Not. 1mo. *si civitas, castrum, aut villa subjiciantur Ecclesiastico interdicto, illorum suburbia & continentiæ* seu vicina *ædificia eo ipso sunt interdicta*, ex c. 17. *De sent. excomm.* in 6. *nè* scilicet *vilipendi valeat sententia interdicti, quod fieret si posset in ipsorum suburbiis, vel continentibus ædificiis licitè celebrari ut priùs.* Pari de causâ, *si sit Ecclesia interdicto supposita, nec in Capella ejus celebrari, nec in cœmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguis, poterit sepeliri, secus si ei contigua non existant.* Ea porrò ædificia nobis videntur *continentia* esse, quæ ità parùm ab urbe distant, ut à civibus adiri commodè possint, adeòque in quibus si celebrarentur Officia, parvipenderetur interdictum; & hoc ex circumstantiis, prudentumve judicio, definiendum est, vel ab ipso Judice decernendum.

Ampliatur hæc doctrina, etiamsi suburbia civitatis sint alii Episcopo subdita; tunc enim vel à jure interdicuntur, vel à vicino Episcopo interdicta supponuntur, ne interdictum suo frustretur effectu. Unde ipsæ etiam Religiosorum exemptorum Ecclesiæ, licèt particulari interdicto subjici nequeant, subjiciuntur tamen generali, * quod proinde Religiosi servare tenentur. id tamen limitant aliqui, si Ecclesia Matrix, Cathedralis, aut Parochialis, interdictum servet, & non aliter.

Quod spectat ad cœmeteria, ea dicuntur Ecclesiæ esse contigua, quorum extrema Ecclesiam immediatè tangunt, ità ut & nullus inter ea mediet locus planus aut vacuus, & unum moraliter censeatur esse pars aut accessorium alterius. Hinc si duo cœmeteria ad duas pertinentia Ecclesias, parietem habeant intermedium, interdictâ ex his Ecclesiis unâ, interdicetur & cœmeterium ejus, eidem, ut suppono, contiguum; non tamen cœmeterium aliud, quod etsi verè contiguum dici possit, non est tamen moraliter aut pars, aut accessorium re-

spectu

* *Trident. Sess.* 25. c. 12. *de Regul.*

ſpectu Ecclesiæ vel cœmeterii interdicti, ſed totum aliquod ab aliis plenè independens. Unde si duæ totales Ecclesiæ, & à ſe prorsùs independentes, tam contiguæ eſſent, ut ambæ uno pariete inniterentur, interdictâ unâ, non cenſeretur alia interdici.

Ceterum interdicto cœmeterio non ideo interdicitur Ecclesia contingua: quia interdictum totius cadit in partes, non interdictum partis in totum.

Not. 2do. interdictum quodcumque locale complecti perſonale interdictum eorum qui ei cauſam dederunt; unde hi ubicumque privantur bonis, quibus privantur qui perſonaliter ſunt interdicti, ſecùs de iis qui criminis propter quod latum eſt interdictum conſcii non ſunt, ii enim extra locum interdictum *poſſunt licitè intereſſe divinis.*

Not. 3tio. interdictum perſonale, ſi particulare ſit, nullum complecti interdictum locale; ità colligitur ex cap. 16. *De ſentent. excomm.* in 6. Sed neque interdictum generale populi totius in civitate aliquâ exiſtentis, loci ipſius interdictum involvit: quia duo hæc interdicta omnino diſtincta ſunt: unde tunc extranei in Eccleſiis ejuſdem loci Officia divina facere poſſent, modò tamen abeſſent interdicti.

Not. 4to. interdictum generale loci cùm gravis ſit & communis pœna, non niſi ob gravem; eamque quadantenus communem culpam decerni poſſe. Culpa autem communis ea eſt, quam communitas aut ſaltèm communitatis caput, ut Princeps, Gubernator, Magiſtratus, Toparcha commiſerit.

Interdictum generale perſonale illud eſt, quod directè fertur in aliquam communitatem, prout certum aliquod corpus conſtituit, v. g. in populum Meldenſem; & hoc quidem interdicto comprehenduntur omnes qui ſunt de populo illo vel Univerſitate, præcisè quatenùs ſunt ejus pars.

Interdictum perſonale particulare, illud eſt quod fertur in unam pluresve perſonas particulares quâ tales ſunt: tale autem eſt, ſive aliqui nominatim interdicantur, ſive etiam generaliter interdicantur ii omnes qui v. g. furtum commiſerint, etſi mille ſint, & prorsùs ignoti. Ratio eſt, quia interdictum ſemper particulare eſt, niſi cadat in communitatem quatenùs talis eſt: atqui in caſu præſenti qui interdicuntur, non ſpectantur ut pars communitatis, ſed ſinguli immediatè per ſe ob proprium crimen feriuntur cenſurâ, perinde ac ſi ſinguli ſolitariè peccaſſent. Unde interdictum hoc non eſt generale unum, ſed particulare multiplex.

Eæ duæ perſonalis interdicti ſpecies in hoc conveniunt, quòd ſicut ſpecialiter interdicti, nullibi poſſunt divinis intereſſe,

esse, aut suscipere Sacramenta; sic & qui generaliter interdicti sunt, etiamsi sint innocentes vel absentes dum fertur interdictum, quandiu manent & sunt pars communitatis interdictæ, ubicumque sint, à divinis abstinere tenentur. Differunt verò, quòd specialiter interdicti non nisi per absolutionem ab hâc censurâ redimi possint; contra verò qui generaliter interdicti sunt, modò causam interdicto non dederint; statim ac desinunt esse pars illius communitatis quæ immediatè interdicta est, ab interdicto relevantur: unde a contrario sensu non interdicti, hoc ipso quòd communitatis alicujus interdictæ pars fiunt, subjacere incipiunt interdicto. Ratio est, quia ad tale interdictum requiritur & sufficit ut quis pars sit & membrum hujus communitatis: atqui priores ejusdem communitatis membra esse desinunt, incipiunt verò posteriores.

Ut cetera huc spectantia intelligantur,

Not. 1mo. *Si sententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur interdictus populus, nisi aliud sit expressum,* ex cap. 16. *De sent. excomm.* in 6. Tunc ergo populus potest alios accersere Sacerdotes qui sibi divina celebrent, & conferant Sacramenta.

Pariter interdicto populo, non interdicitur Clerus, aut personæ Religiosæ etiam Laicæ. Neque etiam interdicto Clero, Religiosi interdicuntur: quia etsi nomine Cleri veniant Regulares in favorabilibus, non tamen odiosis. Si tamen Regularis Pastoratum aut simile Officium habeat in civitate interdictâ; is interdicto sicut & Seculares ligabitur.

Not. 2do. interdictâ, familiâ interdici Clericos ejusdem familiæ, quia familiæ nomen tam Clericis quàm Laicis competit: pariter interdictâ Universitate quæ Laicis constat, Clericis & Regularibus, omnes interdicti manent.

Not. 3tio. aliquos esse ex omnium confesso qui interdicto quantumvis generali non ligantur. Tales sunt: 1mo. Episcopi, nisi expressa eorum mentio fiat, ex cap. 4. *De sent. excomm.* in 6. 2do. pueri, & quicumque doli incapaces sunt; ii tamen sepulturæ Ecclesiasticæ tradi non possunt, quia sepeliri non possunt absque ministerio Sacerdotum, qui eo per interdictum prohibentur; 3tio. peregrini, exteri, aliique qui per longum etiam tempus, inter interdictos commorantur: etsi enim hujusmodi homines locorum legibus tenentur, non tamen tenentur iis quæ afficiunt personas singulares, prout sunt pars hujus populi, qualiter afficit interdictum generale personale. Qui verò duplex habent domicilium, quorum aliud in medio populi interdicti situm est, aliud extra, si in

priori manent, interdicti sunt, quia sortem populi cujus sunt pars, subire debent; secùs si in alio commorentur.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De effectibus Interdicti.*

Effectus *per se* interdicti triplex, privatio quorumdam Sacramentorum, divinorum Officiorum, sepulturæ Ecclesiasticæ: hi effectus aliquando à se invicem separantur ad nutum Papæ, & Episcopi. Effectus *per accidens*, sunt pœnæ quas incurrit violator interdicti. Circa primum.

Quæres 1mo. quibus Sacramentis privet interdictum.

R. 1mo. Tempore interdicti conferri potest & recipi sive ab infantibus, sive ab adultis Baptisma, idque etiam in Ecclesiâ specialiter interdictâ, & quidem cum consuetis Baptismi solemnitatibus. Ratio est 1mo. quia cap. 19. *De sent. excomm.* in 6. interdicti tempore permittitur chrismatis confectio in die Cœnæ Domini, eò quòd chrismatis unctio in Baptismo adhibeatur: atqui unctio hæc non adhibetur nisi in Baptismo solemni: 2do. quia in pœnalibus illud licitum est quod non est prohibitum: porrò nullibi prohibitum est, ne Baptismus in Ecclesiâ interdictâ administretur. Non debet tamen Baptisma conferri à ministro specialiter interdicto, nisi in casu necessitatis, tuncque absque solemnitate Sacramentum hoc ministrari debet.

R. 2do. Potest etiam eodem interdicti tempore conferri & recipi Confirmatio, quia hæc pro quodam Baptismi complemento habetur. Haud tamen confirmari potest, qui specialiter interdictus fuit; quia specialiter & ob culpam suam interdictus, æquiparatur excommunicato quantùm ad passivam Sacramentorum receptionem, cap. 8. *De privil.* in 6.

R. 3tio. *Tempore interdicti ab homine, vel à jure prolati, tam sani quàm infirmi, ad pœnitentiam* (*quæ propter pronitatem ad peccandum summè necessaria est*) *licitè admittuntur*; iis tamen exceptis qui interdicto causam dedêre, eisve *consilium vel favorem* præbuerunt: isti enim ad pænitentiam admitti non debent, *nisi priùs satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem*. Ità habetur celebri cap. *Alma mater.* 24. *De sent. excomm.* Hîc nota Sacramentum Pœnitentiæ ab interdictis personaliter simul & specialiter licitè conferri non posse: validè tamen conferretur, quia licèt excommunicatus denuntiatus suâ spolietur jurisdictione, non

non tamen interdictus denuntiatus; unde is indulgentias concedere, Beneficia conferre, imò alios interdicere potest; cùm hæc pendeant à jurisdictione, cujus ablatio ad nullum ex tribus interdicti effectibus revocari potest.

R. 4to. Eucharistia nec interdicti tempore, nec interdictis etiam infirmis, conferri potest, nisi sint in mortis periculo. Interdicti specialiter Sacramentum hoc ministrare nequeunt, nisi desint à quibus conferatur. Cùm autem ad infirmos defertur viaticum, usurpari possunt solemnitates solitæ.

Porrò ut Eucharistia debitè pro morientibus consecrari ac renovari queat, licitum est. * *Ecclesiarum ministris semel in hebdomadâ tempore interdicti: non pulsatis campanis, voce submissâ, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis Missarum solemnia celebrare*; quod de loco etiam specialiter interdicto intelligitur, quia periculosum esset quòd Pastor ex alienâ Parochiâ, Sacramentum hoc subditis suis morientibus petere cogeretur.

R. 5to. nec Unctio extrema, etiam Clericis & Religiosis qui interdictum servarunt, nec Ordo conferri possunt tempore interdicti. Ità omnes. Si tamen infirmo Pœnitentia conferri non potuisset, posset eidem conferri Unctio extrema. Pariter si deessent Sacerdotes ad ea ministranda Sacramenta, quæ jura ministrari permittunt, licitum esset aliquos consecrare: quia dum aliquid conceditur, ea quoque conceduntur, sine quibus illud fieri non potest.

R. 6to. Rebus bene pensatis, incertum videtur, an matrimonium interdicti tempore contrahi possit; unde recurrendum esset ad Superiorem.

Quæres 2do. an & quatenus interdictum divinis privet Officijs. Hic, nomine divini Officii ea omnia munia intelliguntur, quæ ex Christi & Ecclesiæ intentione, per se à solis Clericis fieri debent, ut celebratio Missæ, benedictio solemnis nuptiarum, fontis baptismatis, aquæ, olei, chrismatis; itèm recitatio officiorum, prout à Ministris Ecclesiæ solemniter fieri solet; aut etiam à Monialibus, quibus per accidens committitur id quod per se solis Clericis competit. Jam

R. 1mo. Interdictum tam locale quàm personale, à divinis Officiis prohibet. Ità omnes ex cap. 16. *De sent. excom.* in 6. Unde non prohibetur eo tempore sacra Concio, quæ non ad recitandas Dei laudes, sed ad instruendum populum ordinatur; itèm nec mensæ benedictio, recitatio Litaniarum sine solemnitate, &c.

R. 2do. Jure novo quod continetur cap. *Alma mater*, concessum

* C. 17. De sentent. excomm.

cessum est 1mo. ut *singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur Officia sicut priùs submissâ tamen voce, & januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis*, & *campanis non pulsatis*. Unde etiam tenentur Clerici interesse Missæ festis diebus: quod enim jure tibi concessum est, si aliunde id implere tenearis, peccas nisi impleveris 2do. concessum est, ut *in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis*, (nec non & in festo Corporis Christi, ac Conceptionis, & utriusque Octavâ) *companæ pulsentur, & januis apertis, altâ voce Divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis ..... sic tamen quòd illi propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent.*

Circa hoc not. 1mo. concessionem capitis *Alma*, non extendi ad interdictum locale speciale, sed generale tantùm; 2do. licentiam Officii singulis diebus faciendi, non suffragari Laicis, sed Clericis, sub quorum nomine veniunt qui gaudent privilegio fori & canonis. Hinc Missæ privatis in Oratoriis interdicti tempore celebrari nequeunt, quia privata Oratoria nec sunt Ecclesiæ nec Monasteria; de quibus solùm loquitur Bonifacius VIII.

Quæres 3tio. quinam tempore interdicti generalis Ecclesiasticâ priventur sepulturâ. R. omnes prorsus, exceptis solùm Laicis qui privilegio gaudent; & Clericis, qui nec specialiter interdicti sunt, nec causam dederunt interdicto, nec illud servare omiserunt: hos enim in loco ad Fidelium sepulturam destinato, etiam specialiter interdicto, si alius desit, *sinè campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio* tumulari permittit Innocentius III. cap. 11. *De pœnis & remiss.* Non excipiuntur infantes, neque ii etiam quibus Sacramentorum susceptio specialiter indulta fuisset.

R. 2do. In interdicto locali speciali, qui nec specialiter interdicti sunt; nec causam dederunt interdicto, sepeliri possunt in alio loco sacro non interdicto: qui verò personaliter interdicti sunt, & denuntiati, in loco sacro sepeliri non debent.

R. 3tio. In generali loci interdicto sepeliendi sunt mortui in campo aliquo, vel loco non benedicto, ab iis quorum interest deputato; unde cessante interdicto, exhumari, & in locum sacrum deferri possunt, si nec specialiter interdicti sint, nec interdicto causam dederint. Rei verò non modò in locum sacrum post interdicti finem deferri non debent, sed etiam exhumandi, & in loco profano recludendi sunt, si corpora eorum ab aliis secerni valeant: secùs de iis qui in culpâ non

pâ non fuêre, etsi enim peccaverint qui eos in loco sacro sepelierunt, haud tamen eos exhumari necesse est, quia nulla lex id jubet, & multa prohibentur fieri quæ facta tenent.

Nunc paucis videndum: 1mo. quibus in casibus interdictum incurratur jure communi; 2do. cui obnoxii sint pœnæ, qui interdictum violant.

Dico 1mo. Interdictum locale in sex præcipuè casibus incurritur: 1mo. à civitate quâlibet, præter urbem Romam, quæ Cardinalem hostiliter insequentibus, percutientibus, &c. *consilium vel auxilium dederit, vel intra mensem saltèm taliter delinquentes, non duxerit puniendos.* Cap. 5. *De pœnis* in 6.

2do. Ab urbibus * quæ publicos usurarios recipiunt.

3tio. Ab eâ etiam quæ ** *quemvis Pontificem injuriosè vel temerè percusserit, aut ceperit; seu banniverit.*

4to. Eidem interdicto subjacent Ecclesiæ & cœmeteria Religiosorum, & secularium *** qui ibidem sepelierunt eos, quos induxêre ad vovendum, jurandum, aut aliter promittendum, *ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent.*

5to. Et loca in quibus Hæretici sepeliuntur.

6to. Ecclesiæ in quibus ad Officia admittuntur nominatim interdicti. Circa hæc notandum est, locale interdictum post Bullam *Ad evitanda scandala*, nullum esse nisi denuntietur. Ratio est, quia post eam Constitutionem, nullum est censuræ subjectum quod vitari debeat ante denuntiationem; ergo nec locus interdictus vitari debet, nisi interdictus denuntietur.

Dico 2do. Interdicuntur ipso facto ab Ecclesiæ ingressu: 1mo. qui celebrant in loco interdicto; 2do. qui ad Officia, Sacramentave aut Ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatos vel interdictos admittunt, donec satisfaciant ei cujus sententiam violarunt, cap. 8. *De privileg.* in 6. 3tio. Episcopi aut Superiores **** qui Beneficiariorum, & Ecclesiarum vacantium bona & hereditatem usurpant; 4to. qui præsumunt ferre censuram non servatâ solemnitate præscriptâ, c. 1. *De sent. excomm.* in 6. aut excommunicare omissis monitionibus; iique etiam à divinis Officiis per mensem suspenduntur, c. *Sacro* eod. tit. 5to. Episcopi qui in visitationis decursu aliquid recipiunt ultra id quod sibi debitum est, nisi intra mensem duplum restituant, cap. 2. *De censib.* in 6.

Celebre interdictum ***** secundùm quod *omnis utriusque sexûs Fidelis*, qui Paschali non fungitur officio, *vivens ab ingressu*

* C. 1. De usur. *in* 6. ** *Clement.* 1. De pœnit. *** C. 1. De sepult. **** C. 12. De Offic. ordin. *in* 6. ***** *C.* 8. De pœnit.

*ingressu Ecclesiæ* arceri *& moriens christianâ sepulturâ* privari debet, non est latæ sententiæ, sed ferendæ, nisi fortè ex locorum usu latæ sententiæ existimetur: & is usus circa quinque casus mox assignatos consuli debet. Ceterum Ecclesiastica sepultura non negatur nisi nominatim interdictis, aut saltèm nisi consulto priùs Episcopo.

Circa secundum; dico 1mo. Clericus qui scienter celebrat in loco interdicto denuntiato, irregularitatem incurrit, & fit passivè & activè ineligibilis ac impostulabilis ad Dignitates Ecclesiasticas. Qui personaliter interdictus aut suspensus vel ab ingressu Ecclesiæ, vel à divinis, Ordinis sacri functionem exercet, iisdem subjacet pœnis. Colligitur ex cap. 18. & 20. *De sent. excomm.* in 6. & cap. 1. *De postul.*

Dico 2do. Celebrans in loco interdicto, suspenditur insuper ab ingressu Ecclesiæ, donec ei satisfecerit cujus sententiam violavit. Idem dicendum tùm de eo qui coram excommunicatis aut interdictis non toleratis celebrat, vel celebrare facit; tùm de iis qui eosdem, * *excommunicatos vel interdictos, ad divina Officia, seu Ecclesiastica Sacramenta vel sepulturam admittunt:* imò qui sepeliunt excommunicatum vel interdictum in loco sacro, vel non interdictos contra juris permissionem in loco interdicto, excommunicantur.

Eidem excommunicationis censuræ subjacent, 1mo. Religiosi etiam exempti qui non servant interdictum quod Ecclesia Matrix aut Parochialis servat. 2do. domini temporales, qui cogunt aliquos, in locis interdictis celebrare divina: vel campanæ pulsu, aut aliter plebem etiam non interdictam convocant ad audienda iis in locis Officia; vel impediunt nè nominatim excommunicati aut interdicti, jussi egrediantur Templo; aut demum qui excommunicati & interdicti nominatim, moniti ut ab Ecclesiâ exeant, exire nolunt; atque hæc istorum excommunicatio Papæ reservata est. Vid. Clement. 2. *De sent. excomm.* Indubiè porro Laici aut Clerici violantes interdictum mortaliter peccant, nisi excuset tenuitas materiæ.

# APPENDIX.

## *De Depositione, Degradatione, &c.*

Depositio definitur, Pœna Ecclesiastica, quâ Clericus in perpetuum & sine spe restitutionis, privatur omni Officio & Be-

* 9. De priv. *in* 6. *Clem.* 1. De sepult. 1. *Clem.* 1. De sent. excom.

& Beneficio, retento tamen privilegio Clericali, seu fori & canonis. Depositio aliquando vocatur degradatio *verbalis*.

Degradatio simpliciter sumpta, quæ etiam *realis* nuncupatur, est pœna quâ Clericus privatur in perpetuum & sine spe restitutionis, non solùm omni Officio & Beneficio, sed etiam privilegio Clericali: unde qui Clericum hunc percuteret, posset quidem peccare, sed excommunicationem non incurreret; is tamen Clericus nec à castitatis voto, nec ab Horarum recitatione fieret immunis. Degradatio verbalis seu depositio, à Vicario generali fieri potest, ex Tridentino Sess 13. c. 4. realis à solo Episcopo, eoque consecrato, quia est actus Ordinis. Qui depositus est, ad ea omnia inhabilis est, ad quæ inhabilis est, qui totaliter suspensus fuit.

Ut suspensioni affinis est depositio, sic & interdicto vicina est cessatio à divinis. Ea verò definiri potest, Desistentia legitima à divinis Officiis & Sacramentis certo in loco peragendis. *Legitima*, inquam, id est, secundùm leges, & justam ob causam indicta, sive ab homine, qui eam per sententiam magis, aut minùs generaliter decernere potest; sive à jure, ut cùm Ecclesia polluitur, ideòque in eâ cessatur à divinis.

Circa hanc à divinis cessationem conveniunt Doctores: 1mò. illicitum esse tunc temporis, ulla præter unicum Sacrum in hebdomadâ, Officia celebrare: 2do. posse tunc Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam & Eucharistiam in mortis periculo administrari: unde sequitur posse etiam chrisma confici feriâ quintâ majoris hebdomadæ, & propter hostiarum renovationem, Missam semel per hebdomadam celebrari posse, prout interdicti tempore. Potest & juxta non paucos matrimonium celebrari, & Pœnitentiæ Sacramentorum iis qui infirmi non sunt administrari.

Ex his sequitur cessationem & interdictum in quibusdam convenire, in aliis non. Conveniunt in eo quod per utrumque Fideles iisdem spiritualibus bonis priventur: differunt verò 1mò. quòd interdictum sit censura, cessatio verò nec censura est, nec propriè pœna, sed simplex prohibitio divinorum in signum mœroris ab Ecclesiâ concepti, ob injuriam gravem DEO vel in se vel in ministrorum suorum personâ illatam; 2do. quia interdictum etiam locale semper aliquas afficit personas quæ eidem causam dederunt, cessatio à divinis non itèm; 3tio. quia nulla cessationis violatio irregularitatem inducit, secùs de violatione interdicti; Religiosi tamen qui cessationem violant, *excommunicationis sententiæ hoc ipso* subjacent, ex Clement. 1. *De sent. excomm.* Plura non congero, quia cessatio à divinis quâ multi abutebantur, in desuetudinem abiit.

Jam

Jam paucis agendum de violatione Ecclesiæ; tunc porrò Ecclesia pollui seu violari dicitur, cùm in eâ quædam fiunt adeò reverentiæ ejus contraria, ut in eâ non ampliùs liceat Officia divina celebrare priusquàm reconcilietur. Hæc violatio nunquam imponitur ab homine, sed solùm à Jure, idque in casibus, qui ut magis explicentur, sit

Regula I. Polluitur Ecclesia per homicidium in ea voluntariè & injuriosè factum; ità habetur cap. 4. *De consecr. Ecclesiæ.*

Dixi 1mo. *per homicidium*, sive Christiani, sive Gentilis, etiam sine effusione sanguinis: unde polluitur locus sacer, si quis in eo suffocetur, aut suspendatur.

Dixi 2do. *in eâ factum*, seu factum in qualibet ejus parte quæ verè sit locus sacer: locus verò sacer dicitur illud spatium quod spectat ad interius corpus Ecclesiæ à tecto interiori usque ad pavimentum. Unde si homicidium fiat in Sacristiâ, in campanili, supra fornicem Ecclesiæ, vel in specu subterraneo, modò non ad sepulturam Fidelium deputato, vel in cameris Ecclesiæ adhærentibus, non violatur Ecclesia, quia hæc non veniunt nomine loci sacri, cùm non ad Officium divinum, sed alios in usus deputentur, v. g. ad vestium sacrarum custodiam. Unde etiam si quis in exterioribus Ecclesiæ muris suspendatur, non polluetur Ecclesia; pollueretur tamen cœmeterium, si paries Ecclesiæ simul esset cœmeterii murus, quia tunc violaretur locus sacer.

Violatur quoque Ecclesia, si quis in eâ recipiat letalem ictum, etiam sine effusione sanguinis, unde extra moriatur, quia actio mortis illativa, in loco sacro posita est. Si quis ab homine intra Ecclesiam existente, letaliter extra eandem vulneretur, non inde polluitur locus sacer, etiamsi vulneratus Ecclesiam ingrediatur, ibique sanguinem effundat, aut moriatur. Pollueretur verò, si quis foris existens, jaculum aut glandem mittat, eumque, qui in Ecclesiâ est, occidat.

Dixi 3tio. *voluntariè* neque enim polluitur Ecclesia si quis fortuito casu, putà trabe corruente oppressus moriatur: itèm si quis mentis inops in eâ se occidat: secùs si qui se occidit sit sanæ mentis; non enim interest an alium, an teipsum perimas: ubi nota Ecclesiam eâ solùm occisione pollui, quæ satis voluntaria sit, ut ad peccatum mortale sufficiat.

Dixi 4to. *injuriosè*, id est, modo, qui graviter adversetur reverentiæ loci sacri: unde non polluitur Ecclesia, si quis ad sui defensionem & cum justo moderamine alium occidat; polluetur verò, si mors reo inferatur, etiam per sententiam Judicis: itèm si martyr ob fidem occidatur; etsi enim sanguis Sanctorum

Eccleſias conſecrat, eorum tamen cædes immane eſt ſacrilegium; unde tunc Eccleſiam polluit non ſanguis effuſus, ſed injurioſa effuſio.

Regula II. Polluitur Eccleſia per humani ſanguinis effuſionem injurioſam, etiam citra mortem. Ità habetur citato c. 4. *De conſecr. Eccleſiæ*. Si modicus ſanguis ex injurioſâ etiam percuſſione effuſus ſit, non polluitur Eccleſia; imò nec pollueretur ob effuſſionem copioſam ſanguinis è naribus in rixâ puerorum eliciti, præſertim ſi rixa hæc vacet à peccato mortali. Non pollueretur etiam ob percuſſionem caſu factam, vel ab amente, vel non injurioſam, ut ſi fiat ex joco; aut à Chirurgo; vel ad debitam ſui, aut juſtitiæ defenſionem. Si vulnus in Eccleſia infligatur, ſanguis verò extra Eccleſiam fluat, polluitur Eccleſia, quia per accidens eſt quòd ſanguis non fluat in ipsâ Eccleſiâ.

Ad violationem Eccleſiæ non ſufficit vulnus grave, v. g. carnium contúſio, fractio oſſium abſque effuſione ſanguinis; Canones enim loquuntur vel de morte illatâ, vel de vulneratione cum effuſione ſanguinis: in pœnalibus autem non eſt facienda extenſio. In dubio, an ex vulnere citra ſanguinis effuſionem illato mors ſecutura ſit; nec reconcilianda eſt Eccleſia, quæ non niſi in mortis inſtanti polluta evadet, nec tamen continuanda ibidem Officia ob imminentis mortis periculum.

Regula III. Violatur Ecclesia per quamcumque ſeminis humani effuſionem in eâ voluntariè factam, ſive in copulâ carnali, ſive non; ità habetur c. 10. *De conſecr. Eccleſiæ*. Hinc illuſio in ſomnis contingens, aut in vigiliâ, ſed coactè, Ecclesiam non violat. Imò nec, juxta multos, ſufficit vel effusio ſeminis voluntaria in causâ, vel diſtillatio mera ſeminis: ſufficit verò copula conjugatorum exercita etiam ad vitandum incontinentiæ periculum, ut tempore belli evenire poteſt. Si enim cùm maritus infirmatur, vel pro negotiis diù abeſt, conjux continere debet, cur non ſimiliter in præſenti caſu propter reverentiam loci ſacri?

Regula IV. Polluitur Ecclesia, cùm in eâ etiam ignoranter ſepelitur excommunicatus denuntiatus; habetur cap. 6. *De conſecr. Eccleſ.* in hoc autem caſu Ecclesia non niſi exhumato cadavere, ſi ab aliis diſcerni queat, vel collatâ à cenſuris abſolutione, ſi excommunicatus pœnitentiæ ſigna dederit, reconciliari poteſt. Sicubi obtinet uſus ut Hæretici cum Catholicis inhumentur, ut in Germania; Ecclesia vel cœmeterium inde non polluentur. Licèt autem interdicti & excommunicati in jure æquiparentur, non violatur tamen Ecclesia, ſi

interdicti

interdicti denuntiati in eâ sepeliantur, cùm id nullibi expressum sit.

Regula V. Ex c. 27. *De consecr.* dist. 1. polluitur etiam Ecclesia, si infidelis in eâ tumuletur; tùncque parietes radi debent, vel dealbari, ut alii explicant. Hâc de causâ violatur Ecclesia, si infans non baptisatus, extra matris uterum, in eâ sepeliatur;

Regula VI. Ecclesia de novo consecrari debet, cùm vel omnes Ecclesiæ parietes simul renovantur vel major eorum pars; secùs si successivè. Habetur cap. 6. *De consecrat.*

Circa hæc notand. 1mo. Ecclesiam non pollui per facta occulta, qualia ea etiam dicuntur, quæ per duos aut tres testes probari possunt; 2do. solam facti notorietatem sufficere, ut Ecclesia censeatur violata; unde si Sacerdote Missam coram pluribus celebrante, committatur in Ecclesiâ homicidium, dimittenda est Missa, ut præcipiunt Rubricæ, nisi jam Canon inchoatus sit; 3tio. cœmeterium Ecclesiæ contiguum pollui, cùm polluitur Ecclesia, adeòque illud anteà reconciliandum esse, quàm in eo quis sepeliatur: haud tamen polluitur Ecclesia polluto cœmeterio; 4to. tutius esse ut Ecclesia non censeatur per supervenientem sacrificii oblationem reconciliata; 5to. mortalis peccati reum fore, qui sine consensu Episcopi in Ecclesia violatâ celebraret, haud tamen irregularem, quia jus id non decernit.

Quæres quomodo fieri debeat Ecclesiæ pollutæ reconciliatio. * R. Vel Ecclesia hæc consecrata fuerat, vel solùm benedicta. Si 2. reconciliatio ejus ab Episcopo vel Vicario generali committi potest simplici Presbytero, atque is uti poterit aquâ benedictâ communi, &, ut aiunt, *exorcisata.* Si 1. censet Sylvius eam ità per Episcopum reconciliari debere, ut id non possit simplex Sacerdos, nisi de consensu summi Pontificis; tùmque utendum aquâ per Episcopum benedictâ, quæ *Gregoriana* dicitur: ità præcipit Gregorius IX. c. 9. eod. tit. Verùm hæc Constitutio in pluribus saltèm Galliæ Diœcesibus non observatur, ut notat Pontas.




Ll2 TRA-

* C. *final.* De consecr. *Sylv. p.* 396.



# TRACTATUS
## DE
# IRREGULARITATIBUS.

DIcam 1mo. de irregularitate in universum; 2do. de variis irregularitatis speciebus.



## PARS PRIMA.
### *DE IRREGULARITATIBUS IN GENERE.*

VIdendum hic 1mo. quid sit irregularitas & quotuplex 2do. quænam sint ejus causæ; 3tio. quos habeat effectus; 4to. quæ ab eâ incurrendâ excusent.



## CAPUT PRIMUM.
### *De natura & divisione Irregularitatis.*

IRregularitas definitur: Impedimentum canonicum, quo directè impeditur Ordinum susceptio, & secundariò susceptorum usus.

Dicitur 1mo. *impedimentum*; id est, moralis inhabilitas ex aliquâ indecentiâ non tamen semper ex culpa proveniens.

Dicitur 2do. *canonicum*, id est, per Ecclesiæ Canones constitutum: ut ostendatur, 1mo. nullam strictè loquendo esse irregularitatem juris divini: 2do. neminem nisi Ecclesiæ Canonibus subjectum adeoque baptisatum, propriè vocari posse irregularem; 3tio. non omnem inhabilitatem idem esse cum irregularitate: mulier enim sicut & infidelis non baptisatus ad Ordines promoveri non possunt, nec tamen dicuntur irregulares, quia eorum inhabilitas juris est divini.

Dicitur

Dicitur 3tio. quo *directè impeditur Ordinum susceptio*. Quibus verbis distinguitur irregularitas, 1mo. ab excommunicatione, quæ ab Ordinum susceptione & usu arcet, non præcisè quatenùs sunt Ordines, sed quatenùs sunt bona quæ important communicationem cum aliis Ecclesiæ membris, excommunicato prohibitam; 2do. ab interdicto, per quod privatur quidem aliquando Clericus usu Ordinum, sed non ut Ordines sunt, benè verò ut alicujus Officii divini auditionem, vel Sacramenti prohibiti collationem important; 3tio. à suspensione tùm quia irregularitas, quantùm est de se, hominem inhabilem facit ad Ordines, ipsamque tonsuram, suspensio verò tonsuram supponit, cùm non nisi Clericis possit imponi: tùm quia suspensio directè prohibet Ordinum functiones, irregularitas verò directè prohibet Ordinum receptionem. Unde nota & pondera Canones qui quempiam in culpæ pœnam Ordinum usu & functionibus primariò privant, suspensionem decernere, non irregularitatem; 4to. à depositione, & degradatione, quæ non solùm hominem arcent ab Ordinũ receptione, ut irregularitas, sed etiam acceptos tollunt quantùm humano modo possunt tolli; quod moraliter magis est contumeliosum quàm ab iisdem excludere; juxta vulgatum id: *Turpiùs ejicitur, quam non admittitur hospes.*

Dicitur 4to. & *secundariò* susceptorum usus; cui enim prohibitum est nè Ordines recipiat, vulgò prohibitum est ne susceptis utatur. Dixi *vulgò*, quia irregularitas partialis impedit quidem susceptionem Ordinis nondum recepti, non autem exercitium illius, qui jam receptus est.

Irregularitas dividitur 1mo. in perpetuam & temporalem. Perpetua ea est quæ dispensatione solâ tolli potest; talis est irregularitas ex homicidio. Temporalis est ea quæ solo temporis lapsu cessat; talis est irregularitas ex defectu ætatis, quæ adveniente ætate tollitur.

Dividitur 2do. in totalem, quæ absolutè & totaliter excludit ab omni Ordine, Ordinis usu, & Beneficio; & partialem quæ non omnes istos effectus parit, sed aliquos solùm ex ipsis. Quod ut intelligatur, quinque statuemus regulas, quarum aliquæ commodius explicabuntur cap. 3.

Regula I. Dantur irregularitates partiales, quoad usum Ordinum, id est, quæ ità excludunt ab exercitio unius Ordinis, ut non excludant ab omni aliorum Ordinum exercitio. Sic c. 12. *De homic.* permittitur ut Sacerdos dubitans an homicida esset in minoribus Ordinibus, non tamen in Sacris, ministret.

Regula II. Dantur etiam irregularitates partiales respectu

Beneficiorum, seu quæ ità excludunt ab uno, ut non excludant ab alio. Sic c. 11. *De filiis Presbyt.* filius etiam legitimus Beneficia à Patre possessa, immediatè post eum tenere nequit, adeòque ad hæc, licèt non ad alia, irregularis est.

Regula III. Irregularitas quam incurrunt Laici ex defectu, vel ex delicto, semper totalis est; exceptâ tamen eâ quæ oritur ex defectu ætatis, vel scientiæ; qui enim junior est aut nimis imperitus ut ad subdiaconatum promoveatur, non ideo inhabilis est ad tonsuram, & Ordines minores.

Regula IV. Irregularitas quam incurrunt Clerici, semper totalis est respectu promotionis ad Ordines, at non semper totalis est respectu functionum Ordinis jam suscepti; ut patet ex cit. cap. 13. *De homicidio.* Quod si susciperent eum ad quem irregulares sunt, in eo ministrare non possent.

Regula V. Toties irregularitas quam incurrunt Clerici, debet censeri totalis, quoad Ordines, & quoad Ordinum usum, quoties eadem irregularitas purè, simpliciter, & absolutè annexa est casui in quem iidem Clerici inciderunt; & id quidem in Tractatûs decursu, quâ datâ occasione detegemus.

Dividitur 3tio. irregularitas in eam quæ est ex defectu, & eam quæ est ex delicto. Hæc incurritur propter indecentiam propriâ culpâ contractam; illa oritur ex indecentiâ, quæ licèt inculpabilis sit, repugnat spiritui Ecclesiæ, vel ejus ministros in contemptum adducere potest.

Differunt eæ duæ irregularitatis species: 1mo. in eo quòd irregularitas ex delicto sit semper voluntaria, irregularitas ex defectu non itèm; 2do. irregularitas ex delicto, si facti infamiam excipias solâ dispensatione tollitur, quæ verò est ex defectu non raro cessat cessante defectu; 3tio. irregularitas ex delicto occulto, eâ exceptâ quæ oritur ex homicidio voluntario, ab Episcopis relaxari potest, quæ autem est ex defectu, communiter Papæ reservata est.

Irregularitatum ex defectu species octo recensentur: 1. natalium, 2. animi, 3. corporis, 4. ætatis, 5. libertatis, 6. famæ, 7. bigamiæ, 8. lenitatis. Irregularitatem ex delicto pariunt, 1mo. homicidium; 2do. Iteratio baptismatis; 3tio. mala Ordinum receptio; 4to. pravus eorumdem usus; 5to. demum hæresis.

CAPUT

# CAPUT SECUNDUM.

## *De causis Irregularitatis.*

QUÆRES 1mo. quænam sit causa finalis, seu quis finis irregularitatis. R. Finis irregularitatis est tuenda Sacrorum majestas, & servandum Religionis decus. Exigunt enim decus & honos Religionis, ut sacra ministeria decenter & irreprehensibiliter exerceantur: porrò ad id necesse fuit ut instituerentur irregularitates, quarum ope arcerentur à Christi ministerio ii qui vel certa admisêre delicta, vel quosdam habent defectus, qui Ecclesiæ spiritui vel majestati adversantur.

Quæres 2do. quæ sit causa efficiens irregularitatis. R. Jus instituendæ irregularitatis soli Ecclesiæ, vel Romano Pontifici competit. Quòd Ecclesia vel Pontifex irregularitates instituere possint, patet, quia omnes quæ extant irregularitates, vel à Papâ, vel à generalibus Conciliis institutæ sunt, ut ex faciendâ omnium inductione patebit in decursu. Quòd autem potestas illa Ecclesiæ soli vel Papæ conveniat, prob. ex cap. 18. *De sent. excom.* in 6. ubi *qui in Ecclesiâ sanguinis aut seminis effusione pollutâ* celebravit, *irregularitatis laqueum* non incurrisse dicitur, quia id *in jure expressum non est*: hic autem nomine juris non intelligitur, nisi jus canonicum & commune, ut fatentur omnes: porrò jus illud ab Ecclesiâ solâ, solove Papâ condi potest, non à privatis Episcopis.

Hinc colliges 1mo. nullam esse irregularitatem, quæ vel peculiaribus Diœceseon Statutis, vel ipsâ simplici consuetudine introducatur. Prima pars ab omnibus recepta est, & sequitur ex dictis. Altera pars quæ plùs habet difficultatis, probatur tamen, quia licèt consuetudo possit inducere jus novum & antiquum obliterare, id tamen non potest, cùm jus cui ipsa derogat, resistit, & manet in robore suo: porrò jus omnem rejiciens irregularitatem quæ in ipso juris corpore non continetur, in robore suo manet, cùm Papa, Episcopi & Doctores unanimi consensu nullas agnoscant irregularitates præter eas quæ in jure continentur. Si tamen lis sit de aliquâ irregularitate, quæ non ità clarè exprimatur in jure, quamque in usu esse testetur consuetudo communi Doctorum sensu agnita, tunc irregularitas hæc admittenda erit; quia satis expressum est in jure, quod in eodem exprimi declarat Docto-

rum sensûs, & Ecclesiæ consuetudo, qui optimi sunt Canonum Interpretes.

Colliges 2do. in irregularitatibus non valere argumentum à simili vel à fortiori: quia similis vel major instituendæ irregularitatis ratio non efficit, ut hæc de facto instituta fuerit: unde malè quis dicat, Irregularis est qui duas uxores duxit; ergo & qui cum duabus fornicatus est.

Colliges 3tio. eum, qui irregularitate aliquâ etiam ex delicto innodatus Ordines recipit, vel exercet, novam irregularitatem non incurrere, quia id nullibi expressum est in jure.

Quæres 3tio. quæ sit causa materialis irregularitatis. R. 1mo. Causa irregularitatis aliquando est defectus sine peccato, qualis est defectus natalium; aliquando actio peccaminosa.

R. 2do. Ad irregularitatem ex delicto requiritur culpa mortalis, eaque exterior, & in genere suo consummata; sed non requiritur culpa publica.

Prob. 1. pars. Pœna gravis pro levi culpâ infligi non debet, ex cap. 5. *De pœnis*, in 6. atqui irregularitas quæ ob delictum incurritur, est pœna gravissima; cùm per se in perpetuum privet rebus maximi momenti, & difficilè relaxetur; ergo.

Hinc colliges 1mo. irregularitatem ex delicto non incurri, si actus eam inducere natus, ex aliquâ circumstantiâ excusetur à mortali; 2do. id quod vetitum est sub irregularitatis pœnâ, vetitum esse sub mortali, quia aliàs culpa venialis irregularitatem induceret.

Prob. 2. pars; quia Ecclesia vel non potest, vel saltèm non vult peccata merè interna pœnis plectere, juxta id Juris, * *Non habent latentia peccata vindictam.* Hinc qui vehemens habuit hostis sui interficiendi desiderium, quod exequi non potuit, non incurrit irregularitatem.

Prob. 3. pars, quia lex non ligat ultra legislatoris intentionem; ergo si legislator ad irregularitatem requirat opus consummatum, irregularitas ante plenam effectûs executionem non incurritur: quare: si irregularitas non nisi propter homicidium inferatur; non incurret eam qui vel mortem attentaverit, vel letalia vulnera inflixerit, nisi mors de facto sequatur, etiamsi solo miraculo eam averti contingat. Rursùs si verba legis requirant duntaxat actum inchoatum & attentatum, eodem posito nihil deest, ut incurratur irregularitas: talis enim effectus in genere suo consummatus dici potest.

* C. 23. XXXII. q. 5.

Prob. 4. pars: 1mo. quia Tridentinum sess. 24. c. 6. *De reform.* loquitur de *irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus*; ergo supponit quasdam esse irregularitates quæ propter delicta occulta contrahuntur; 2do. quia si censuræ ob actionem secretam, v. g. secretam libri sub excommunicatione prohibiti lectionem incurrantur, quidni incurratur irregularitas propter occultam alicujus rebaptisationem? 3tio. quia ubi lex non distinguit, nec nos nisi temerè distinguere possumus: atqui lex cùm loquitur de irregularitatibus ex delicto occulto, purè & simpliciter loquitur; ergo.

At, inquies, si pœna occulta subjaceret irregularitati, cogeretur aliquando Sacerdos occultum suum scelus manifestare, abstinendo, scilicet à functionibus suis, donec dispensationem obtinuisset: quod repugnat.

R. neg. maj. quia leges Ecclesiæ cum gravi diffamationis periculo non obligant, ut alibi probatum est: unde qui commisit culpam occultam irregularitati obnoxiam, aliquando celebrare potest; non quia irregularis non est, sed quia non intendit Ecclesia, ut leges suæ cum tanto detrimento observentur.

Quæres 4to. quæ sit formalis causa irregularitatis. R. ea solùm verba irregularitatem inducere, quæ vel eam disertè continent, vel effectus ejus proprios, atque imprimis inhabilitatem ad accipiendos Ordines: hinc verba comminatoria quæ significant effectum de futuro, irregularitatis signum esse nequeunt; quia verba hæc requirunt sententiam Judicis, quæ ab homine sit: irregularitas autem ab homine non imponitur.

---

# CAPUT TERTIUM.

## *De effectibus Irregularitatis.*

CErtum est nullam esse irregularitatem, quâ privetur homo iis actionibus quæ Clericis ac Laicis ex æquo conveniunt: unde irregularis potest Sacramenta quæcumque, præter Ordinem, recipere; cum aliis communicare, in loco sacro sepeliri, minorum Ordinum officia exercere, quia hæc nunc passim à Laicis peraguntur; potest & Officia publica cum aliis decantare, modo tamen abstineat ab iis quæ ex Ecclesiæ usu, sacro sunt Ordini annexa: potest demùm absolvi à quolibet peccato, atque ab eo etiam propter quod irregularitatem contraxit. Neque, quia irregularitas reser-

vata erit, reservatum idcircò erit peccatum propter quod contracta est, quia absolutio peccati, non habet necessariam cum irregularitatis dispensatione connexionem. Difficultas est de aliis effectibus, qui ut magis intelligantur

Dico 1mo. Irregularitas totalis impedit susceptionem Ordinum, & eorum executionem.

Probatur utraque pars tùm ex simplici irregularitatis notione; tùm ex unanimi Doctorum omnium suffragio, qui id colligunt omnes, ex Can. 9. & 11. dist. 34. & ex cap. 17. *De temp. ordinat.*

Tria hîc notanda: 1mo. irregularitatem non impedire quin Ordines validè recipiantur aut exerceantur; unde validè consecrat Sacerdos irregularis; 2do. irregularitatem arcere ab ipsâ etiam tonsurâ. Ratio est 1mo. quia id demonstrat totius Ecclesiæ praxis. Nemo enim spurius tonsuram sine dispensatione recipere ausit; 2do. quia irregularitas primariò inducta est, ut arceantur à statu clericali ii quos ad eum admitti non decet: porrò irregularitas eum habere effectum non posset, nisi etiam excluderet à tonsurâ. Hinc mortaliter peccat irregularis tonsuram recipiens, eamve ipsi scienter conferens, quia uterque Ecclesiæ præceptum transgreditur in materiâ quæ pro levi haberi non potest, cùm non sit quid leve hominem fieri membrum Cleri, privilegiorum ejus participem, habilemque ad Beneficia. Validè tamen recipitur tonsura ab irregulari, quia licèt tonsura, utpotè ab Ecclesiæ nutu dependens, ab eâ irritari possit, non tamen irrita est; 3tio. irregularitatem aliquando omnes suos habere effectus, aliquando quosdam solùm. Omnes habet, si sit totalis; unde qui simpliciter irregularis est, nec communicare sub duplici specie, nec ex præsanctificatis communicare se potest, quia hujusmodi actus, Ordinis sacri executionem continent. Contra verò qui partialiter irregularis est, solùm arcetur ab usu cujusdam Ordinis, vel à possessione cujusdam Beneficii: sic Sacerdos * qui *duos digitos cum medietate palmæ*, amisit, *Missam non permittitur celebrare*; potest tamen *ceteris Officiis sacerdotalibus fungi*, ac proinde baptisare solemniter, assistere matrimonio, alia ministrare Sacramenta, &c.

Credimus porrò irregularitatem quæ solùm partialis est respectu illius, qui jam Ordinem aliquem recepit, esse generalem respectu illius qui necdum ullo Ordine initiatus est; ac proinde eum qui ex pollicis defectu inhabilis est ad Sacerdotium, non posse ad alios promoveri Ordines, si iis necdum initiatus sit: 1mo. quia ita statuit Rota, cujus decisionem

* *C.* 2. De Cleric. ægrot.

nem refert Garcias; 2do. quia expressè prohibitum est Can. 2. dist. 33. nè bigamus in Clericum ordinetur; & Can. 59. dist. 50. nè corpore vitiati *divinis* applicentur *ministeriis*: atqui, ait Rota, *in confesso est eum qui ad clericalem admittitur tonsuram, divinis applicari ministeriis*: alioqui bigami, de quibus etiam loquitur citatus Canon, ad tonsuram inhabiles non essent; ergo tutius est & probabilius eos qui etiam sine suâ culpâ ad Sacerdotium irregulares sunt, nè ad tonsuram quidem sine dispensatione admittendos esse; 3tio. quia ea est irregularitatis natura, ut non ab uno tantùm Ordine, sed à toto clericali statu separet.

Dico 2do. Beneficii collatio irregulari facta, non solùm illicita est, sed & invalida.

Prob. 1mo. ex variis Juris textibus. Cap. *dudum.* 22. *De electíon.* dicitur irregularem impediri per Canonum sanctiones, quominùs possit ad Officium Præpositura promoveri. Cap. 2. *De Clerico pugnante in duello;* dicitur dispensari posse cum Clerico irregulari, ut Beneficium possideat. Cap. 7. Concilii Trident. sess. 14. *De reform.* statuitur, ut homicida *nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum conferri liceat.* Unde sic. Ideò ex iis textibus colligi non posset irregulares ad Beneficia validè recipienda inhabiles esse, quia iidem textus nimis ambigui sunt, nec expressè satis collationis ipso facto irritæ pœnam continent: atqui hæc ratio nulla est. Textus enim, licèt fortè ambigui, legitimè & efficaciter probant, cùm flectuntur ad sensum cujus absque vi ullâ capaces sunt, & ad quem rationabiliter determinari debent: atqui sic se habent citati textus: 1mo. quidem capaces sunt sensûs quem iis adscribimus, ut fatentur adversarii, qui solùm negant eos satis expressos esse; 2do. & ad eum rationabiliter determinari debent: textus enim qui certo aliquo sensu semper aut penè semper intellecti sunt, eodem intelligi debent, usus enim & praxis, legitimi sunt Canonum interpretes; & meritò, cùm qui primi sensum ambigui Canonis explicuêre, non rarò ejus conditorem per se consuluerint, aut mentem illius ex testibus fide dignis compertam habuerint: atqui adducti Canones, aliique qui adduci potuissent, sic semper aut penè semper intellecti sunt; cùm opinio nostra iisdem Canonibus innixa, sit aliâ longè communior & receptior, ut etiam fatentur adversarii; ergo.

Prob. 2do. quia in iis quæ tanti sunt momenti, non licèt à tritâ viâ recedere absque gravissimo fundamento, quod probabiliter elidi nequeat: atqui adversarii fundamentum nullum

lum habent, quod probabiliter non elidatur; rationi enim admodum congrua est probatio præcedens, quâ potior eorum ratio convellitur.

Prob. 3tio. quia irregularitas est impedimentum, quod tam grave reputatur in Jure, ut à toto statu clericali removeat; ergo & à Beneficiis removere debet, non prohibendo solùm, sed & eorum collationem irritando.

Prob. 4to. quia irregularitas invalidam facit receptionem pensionum, ut ex stylo Romanæ Curiæ docent Navarrus, Collat. Andeg. pag. 495. ergo à fortiori & Beneficiorum.

Ex his sequitur 1mo. irregularem non facere suos Beneficii in irregularitate accepti, fructus; unde eosdem restituere debet juxta regulas alibi de possessoribus malæ fidei præscriptas. Quòd si quis irregularitatem suam invincibiliter ignorasset, sufficeret id ab eo restitui quod adhuc retineret, vel id quo factus esset ditior. Debet autem irregularis Beneficium dimittere, nisi irregularitatis dispensationem, & insuper novam collationem obtineat, neque irregulares juvat clausula in Apostolicis Litteris apponi solita; hæc enim absolvit solùm à censuris, non verò dispensat in irregularitatibus.

Sequitur 2do. actus eligendi, præsentandi, Beneficia conferendi, ipsumve Beneficium in irregularitate acceptum administrandi, aliosque similes, invalidè ab irregulari exerceri. Ratio est, quia deficiente fundamento, deficiunt omnia quæ ipsum præsupponunt. Quòd si jus præsentandi, non à Beneficio oritur, sed aliunde, v. g. à jure patronatûs, valeret utique præsentatio ab irregulari facta. Nemo enim hactenus dixit invalidam esse præsentationem factam à bigamo vel homicidâ.

Sequitur 3tio. irregularem esse inhabilem ad recipiendam de novo jurisdictionem ordinariam sive in interiori, sive in exteriori foro: quia jurisdictio ordinaria non convenit, nisi ratione Beneficii vel Dignitatis; adeoque cùm collatio Beneficii vel Dignitatis irregulari facta, sit nulla, nulla etiam esse debet jurisdictio quæ in his fundatur, nisi interveniat, prout frequenter, error communis.

Aliud est de jurisdictione delegatâ & de eâ omni quæ non ex intrinseco titulo, sed ex commissione procedit; hanc enim Suarez licitè & validè ab irregulari recipi posse censet pro utroque foro; exceptâ tamen jurisdictione ad audiendas confessiones, quam putat, illicitè quidem ut per se patet, sed validè tamen ab irregulari recipi posse & exerceri. Et verò jurisdictio delegata non pendet à Beneficio, sed solùm à voluntate delegantis; & hæc quidem voluntas nullâ lege irritatur quoad irregulares. Ità Suarez, Babin, &c.

Quòd si irregularitas superveniat jurisdictioni ordinariæ jam obtentæ, tunc ejus exercitium non invalidat, nisi publica sit: porrò irregularitas publica non fit, nisi post denuntiationem, aut aliquid denuntiationi æquivalens; quale est decretum apprehensionis corporalis à Judice Ecclesiastico * emissum, & debito modo intimatum, satisque promulgatum. Ratio est, quia de irregularitate toleratâ disserendum est sicut de censuris toleratis; cùm rationes quæ suam ab excommunicato tolerato jurisdictionem exerceri permittunt, locum habeant in irregulari.

Dico 3tio. Aliqua irregularitas, saltèm ratione criminis cui annexa est, privat Clericum Beneficiis anteà obtentis, at non omnes, imò paucæ sunt irregularitates quæ eum effectum operentur.

Prob. 1. pars, ex iis quæ diximus agendo de Beneficiorum vacatione. *Vide pag.* 372.

Prob. 2. pars. Si quæ irregularitas ipso facto hominem Beneficiis suis privaret, ea utique quæ est ex delicto: atqui non omnis irregularitas ex delicto privat ipso facto..... Nullum enim citari potest jus Ecclesiasticum quod generatim Clericum irregularem ipso facto privet Beneficiis anteà legitimè obtentis; ergo.

Confirm. irregularitas ex homicidio contracta, omnium ferè gravissima est, ut patet ex cap. 4. dist. 50. atqui tamen hæc irregularitas non privat hominem Beneficiis ante Judicis sententiam, ut colligunt omnes ex cap. 10. *De excessib. Prælator.*

Ad uberiorem materiæ hujus intelligentiam, not. 1mo. quòd licèt irregularitas Beneficio superveniens, eodem possessorem ipsius non privet, privat tamen omni jure *ad rem*, quod quis anteà habere potuisset, ut sunt Graduatorum nominationes, aliæque gratiæ expectativæ. Ità judicant Curiæ seculares.

2do. Quamvis regulariter loquendo, collatio Beneficii irregulari facta pleno jure irrita sit, quatuor tamen sunt casus in quibus eadem collatio valet. Siquidem Beneficium ad honestam sustentationem sufficiens conferri potest, sive Subdiacono qui culpâ suâ morti alterius occasionem dedit; sive Presbytero ex cujus percussione secuta est mors alterius, sive ei qui factum aliquod duello probaturus, ** pugilem in sui locum commisit à quo alter interfectus est; sive demùm Diacono, *** qui *Missarum celebrationem usurpare præsumpsit.* Ideo autem

* *Gibert.* Usages. *&c.* pag. 610. ** *Vid. tit.* De Cler. pugn. *** *Cap.* 2. De Cleric. non ord. *&c.*

autem hujusmodi irregulares à Beneficiis non arcentur, quia cùm à Sacerdotio ejusve functionibus in perpetuum arceantur, cùm iis *misericorditer* agendum fuit, *nè sustentatione privati ad seculi negotia reverterentur*, aut quid indecens peragerent.

3tio. Qui post obtentum Beneficium irregulares evadunt, tenentur Beneficium dimittere, si irregularitatis dispensationem obtinere nolint, vel non possint, (& tunc possunt de Beneficio etiam in alterius favorem disponere, nisi obstet Beneficii conditio; aut crimen, propter quod irregularitatem contraxerunt, tale sit, ut ipso facto Beneficii vacationem inducat.) Ratio est, quia nemo potest id retinere unde oritur obligatio quam nunquam licitè implere potest. Si tamen irregularitas sit solùm ex defectu, putà ex ægritudine, Beneficiarius nec à Judice spoliandus est Beneficio, nec eidem renuntiare tenetur, quia * *afflictio afflicto* non est *addenda*; tunc tamen Beneficiario coadjutorem associari necesse est. Qui irregularitatis dispensationem prosequitur, etiamsi eam non obtineat, retinere potest quos dispensationem expectando percepit Beneficii fructus, modò nec sit negligentior in prosequendâ dispensatione, nec temerè eam speret, & interim ex reditibus Beneficii curet ejusdem Beneficii servitium præstari.

Dico 4to. Irregularis qui ordines quoscumque, imò & tonsuram recipit, peccat mortaliter.

Prob. 1mo. quia severam Ecclesiæ legem transgreditur in materia gravi; 2do. quia irregularitas est vinculum excommunicatione minori gravius; & tamen letaliter peccat qui minori solùm excommunicatione ligatus recipit Ordines, saltèm sacros, ut patet ex cap. 10. *De cleric. excomm.*

---

## CAPUT QUARTUM.

### *De iis quæ ab incurrendâ irregularitate excusant,*

CErtum est: 1mo. hominem ab incurrendâ irregularitate ex delicto excusari per ea omnia quibus à peccato mortali excusatur: unde ignorantia juris vel facti, oblivio, inadvertentia, bona fides, materiæ levitas, quatenùs à culpâ gravi excusant, impediunt nè incurratur irregularitas ex delicto; quia hæc, utporè gravis pœna, pro culpa vel nulla vel levi incurri non potest. ** Aliud est de irregularitate ex defectu; hæc enim

* *C.* 5. De Cleric. ægrot. ** *Supr. pag.* 536.

enim poſito etiam inculpabiliter defectu, ſemper contrahitur, niſi fortè talis ſit defectus ille, ut irregularitatem non pariat, niſi oriatur ex actu voluntario. Hinc irregularis eſt Judex qui latronem debitæ morti addicit; ſecùs ſi eum vel nolens, vel amens, aut inculpabiliter ebrius occidat.

Certum eſt, 2do. ignorantiam verè hîc & nunc vincibilem, non excuſare ab irregularitate, quia non excuſat à gravi culpâ. Ità Gregorius IX. c. 9. *De Cleric. excomm. miniſt.*

Sed duplex hîc remanet difficultas: 1mo. an incurrat irregularitatem, qui facit aliquid, homicidium v. g. quod ſcit quidem jure divino prohibitum eſſe, ſed neſcit prohibitum eſſe lege Eccleſiaſticâ; 2do. an eandem irregularitatem incurrat, qui legis quidem Eccleſiaſticæ prohibitionem novit, ſed pœnam irregularitatis ab eadem lege contra ipſius tranſgreſſores latam omnino ignorat. Quod de ignorantia dictum fuerit, de oblivione, inadvertentia & inconſideratione, intelligendum eſt. Ut ſolvatur utraque difficultas, incipiendo à ſecunda quæ facilior eſt,

Dico 1mo. Ignorantia ſolius irregularitatis ab ea non excuſat eum qui ſciens & volens violat legem Eccleſiaſticam, cujus tranſgreſſioni annexa eſt irregularitas.

Prob. 1mo. ut ignorantia ſolius irregularitatis ab eadem non excuſet, tria ſufficiunt: 1mo. ut irregularitas in hoc caſu ſit pœna mera; 2do. ut generaliter verum ſit ignorantiam pœnæ, ab eadem non excuſare; 3tio. ut id non minùs in irregularitate verum ſit, quàm in aliis pœnis: atqui hæc omnia videntur admodum certa: 1mo. quidem irregularitas ex delicto, de qua ſola difficultas movetur, eſt pœna pura, cùm imponatur in vindictam delicti, nec ſit pœna medicinalis, ut eſt cenſura; 2do. generaliter verum eſt neminem ob ignorantiam pœnæ ab eadem pœna excuſari: & id quidem patet in omni crimine: blaſphemus enim, fur, & alii, de facto obnoxii fiunt pœnis à Deo vel ab homine ſancitis, tametſi eas ignoraverint; 3tio nulla eſt ſpecialis ratio cur cognitio irregularitatis magìs neceſſaria ſit, ut hæc incurratur, quàm neceſſaria ſit cognitio aliarum pœnarum, ut quis iiſdem obnoxius evadat; ergo.

Dices: Ignorantia cenſuræ ab eadem excuſat, ergo à pari.

R. neg. conſeq. Cenſura enim eſt eſſentialiter pœna medicinalis, quæ ſupponit hominem formaliter contumacem, qualis ut ſit, debuit antea *moneri* de pœna ſibi per Eccleſiam infligenda: at verò irregularitas quando eſt pœna, non fertur ut medicinalis, ſed in vindictam delicti; ergo non minùs quàm aliæ pœnæ incurri poteſt abſque prævia ejuſdem cognitione.

Pro-

Probatur 2do. Irregularitas fundatur in indecentiâ, propter quam certos quosdam homines ab Ordinibus arceri convenit: atqui ignorantia irregularitatis indecentiam hanc non tollit; etsi enim ignoravit homicida annexam esse crimini suo irregularitatem, utique tamen indecens est, ut qui manus suas humano sanguine fœdavit, Ecclesiæ à sanguine abhorrentis, minister constituatur; ergo.

Dico 2do. Neque etiam ignorantia Ecclesiasticæ legis, excusat reum ab irregularitate.

Prob. 1mo. quia sicut qui irregularitatem ignorando, committit crimen cui eadem annexa est, non desinit contrahere indecentiam propter quam ab Ordinibus arceri debet, sic eandem contrahit indecentiam qui perpetrat crimen, quod ab Ecclesiâ prohibitum esse ignorat.

Prob. 2do. quia meritò præsumitur Ecclesiam actu & de facto statuisse, ut qui certa contra jus naturale aut divinum committeret delicta, certis subjaceret pœnis, putà irregularitati. Quoties enim legislator simpliciter decernit pœnam contra aliquod crimen, nihil aliud explicans, sed solùm exigens criminis positionem ad hoc ut subeatur pœna, toties, si nihil aliud obstat, qui crimen ponit, incurrit pœnam: atqui ut subiretur irregularitas, nihil unquam exegit legislator, nisi commissionem criminis: quod quidem crimen tale est, ut per se hâc pœna puniri possit, & quadantenus debeat ob indecentiam quam invehit; ergo.

Obj. Clerici de quibus sermo est cap. 2. dist. 82. & qui ad hanc usque diem impurè vixerant, non ignorabant libidinem tàm à natura quàm à Deo prohibitam esse: atqui tamen iidem Clerici eximuntur à pœnâ depositionis, si ignoraverint Constitutionem Siricii Papæ, quâ hujusmodi crimina sub pœna depositionis prohibentur; ergo ignorantia legis ecclesiasticæ eximit à pœna.

R. 1mo. plura requiri ad depositionem quæ gravissima est pœna, quàm ad irregularitatem; 2do. in pœnis non valet ratiocinatio à pari; ergo si ad depositionem requiritur contemptus legis ecclesiasticæ, non ideo requiritur; ut quis irregularitati obnoxius fiat.

Hæc Conclusio in principiis nostris vera est de iis etiam qui ex metu gravi legem naturalem aut divinam violant, non itèm si transgrediantur legem solùm ecclesiasticam quæ cum gravi incommodo obligare non solet.

Quæres an in dubio incurratur irregularitas. Nota, dubium aliud est juris, aliud facti. Dubium juris est quando lex canon ca ità obscura est, ut peritiores ambigant, an irregu-

laritas

laritas per eam feratur, necne. Dubium facti est cùm aliquis ambigit, an eum posuerit actum cui lex irregularitatem expressè annectit; dubium facti vel concernit homicidium, ut si dubites an occideris in bello justo: vel respicit aliquid ab homicidio diversum, ut si dubites an rebaptisaveris eum qui baptisatus jam erat.

Certum est eum qui dubitat an irregularitatem incurrerit, teneri expendere dubium priusquam operetur; quia aliàs exponeret se periculo violandæ irregularitatis, quam fortè pleniori rerum examine à se contractam deteget; sed quæritur quid fieri possit, si consultis Doctoribus, aut rebus bene pensatis dubium perseveret.

R. 1mo. In dubio juris nemo censeri debet irregularis. Ità penè omnes Theologi & Canonistæ.

Prob. quia ex c. 18. *De sent. excom.* in 6. irregularitas non incurritur, nisi in casibus in jure expressis; expressis, inquam, disertè vel probabiliter: atqui casus verè dubii, nec disertè, nec probabiliter expressi dici possunt, ut per se notum est. Quod enim tam dubium est, tam ambiguum, ut prudentes quique & rerum periti, suum de eo judicium suspendere cogantur, eo ipso nec disertè, nec probabiliter expressum dici potest; vera enim probabilitas importat motivum grave, ex quo licèt fallibili mens judicat hoc potius esse quàm illud: ubi autem res verè est dubia, deficit illud motivum, ut ex terminis patet; ergo extra dubium est nullam in dubio juris irregularitatem incurri.

Quòd si res non sit simpliciter dubia, sed cadat sub opinionem, quæ à dubio longè discrepat, tunc sequenda erit pars regulæ alibi circa opiniones probabiles constitutæ, adeò ut, quis pro irregulari habendus sit, si opinio quæ irregularitatem hac vel illa lege contineri dicit, longè sit probabilior oppositâ: secùs si utraque opinio æquè sit probabilis. Is enim ipse est dubii juris casus, in quo definiit irregularitatis author, neminem pro irregulari habendum esse.

Qui verò non discusso juris dubio in quo versabatur Ordines recepit; poterit, adhibitâ deinceps debitâ diligentiâ, & perseverante dubio juris, Ordinis recepti functiones obire. Is enim solùm peccavit peccato negligentiæ, cui licèt gravi nulla alligata est in jure irregularitas vel censura.

R. 2do. In dubio facti homicidium concernentis debet quisquis pro irregulari se gerere.

Prob. ex cap. 18. *De homicidio volunt.* ubi statuit Innocentius III. *quòd si discerni non possit ex cujus ictu interiit fur à pluribus percussus, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi*

*Sacerdos, & à Sacerdotali officio abstinere, etsi fortè homicida non sit: cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.*

Idem decernit Clemens III. cap. 22. ibid. Consultus enim de Presbytero, qui *volens corrigere quemdam de familiâ suâ*, eum *aliquantulum* vulneraverat *in dorso*, eo *quòd cultellus de vaginâ quæ cingulo adhærebat, elapsus* esset, sic respondet: *Quia utrùm occasione vulneris*, an ex alia graviori infirmitate, quæ eidem jam convalescenti supervenerat, decesserit, *dubium habetur*, judicamus: *quòd cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*, injungendum sit *Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret*; ergo in dubio homicidii, sive voluntarii, sive casualis, abstinendum est ab iis omnibus à quibus abstinere debent irregulares.

Hinc colliges medicum qui cum rationabili fundamento suspicatur ægrotum sua mortali culpa interiisse; eum itèm qui cùm abortûs causa sit, dubitat an fœtus animatus esset; aut qui dato homicidii consilio, dubitat an consilium suum in alterius mortem efficaciter influxerit, non posse citra dispensationem ordinari. Idem dicendum de eo qui dubitat hominemne an cervum occiderit. Est enim id dubitare an homicida sit.

R. 3tio. In dubio facti quod homicidium non sit, non incurritur irregularitas. Ità Suarez, Avila, Cabassut. Babin, &c.

Prob. 1mo. quia odia restringi debent, non extendi: atqui irregularitas est quid odiosi; ergo restringi debet, nisi clarè fuerit expressa: clarè autem expressa non est pro facto dubio, nisi sit homicidii; cum quæcumque allegantur jura de solo homicidii facto loquantur, ut agnoscunt adversarii; ergo.

Prob. 2do. quia in dubio juris nemo irregularis præsumi debet: atqui ubi est dubium facti alterius præter homicidium, ibi est dubium juris. Ibi enim est dubium juris, ubi jus expresse non decernit irregularitatem, imò ubi tam ambiguè loquitur, ut omnes penè Theologi nullum in ipso irregularitatis vestigium hactenùs sibi deprehendere visi sint: atqui jus propter alia quàm homicidii facta, irregularitatem non decernit expresse, &c.

Obj. Romani Pontifices, etsi pro causa homicidii responderint, generali & antiquitus recepto usi sunt principio, eam scilicet in dubio tenendam esse partem quæ nihil habet periculi, eam verò dimittendam quæ à periculo non vacat; atqui principium hoc in cujuscumque facti dubio locum habet.

habet. Abstinere enim à divinis in dubio facti alterius præter homicidium, nihil habet periculi; magnum verò est periculum si tunc celebretur, quia ut abesse, sic adesse potest irregularitas.


R. dist. maj. in dubio tenenda est pars tutior, id est, ea pars quæ magis removet à culpâ, C. id est, ea pars quæ magis removet ab indecentiâ, subd. tenenda est ea pars, si lex ipsa non tollat hujus indecentiæ periculum, C. secùs N. itaque ut in præsenti casu possit quis se pro irregulari non habere, sufficit ut nullum subsit culpæ vel indecentiæ periculum: atqui in ceteris facti extra homicidium dubiis, nullum est culpæ vel indecentiæ periculum. Totum enim culpæ periculum fundaretur in periculo indecentiæ; cùm ideò solum prohiberi possit Ordinum susceptio vel usus ei qui de irregularitate suâ dubitat, quia non decet Ordines suscipi vel exerceri ab eo qui irregularis esse potest: atqui nullum est in præsenti casu periculum indecentiæ. Ratio est quia Ecclesia tunc virtualiter dispensat ab irregularitate eum omnem qui verè & seriò dubitat an posuerit actionem cui annexa est irregularitas, nisi actio illa sit homicidii.

Et verò tota adversariorum ratiocinatio contra eos retorqueri potest pro dubio juris. Quin & is qui certus de facto, scilicet de crimine suo, solùm est dubius de jure, minùs indulgentiæ meretur, quàm qui certus de jure, verè dubitat de facto, an nempe nocens sit vel reus. Si cui autem hæc responsio minùs placet, recurrat is ad Episcopum, ad quem dubiorum hujusmodi decisio nativo quodam jure pertinet.

Ex his colligunt Salmanticenses, 1mo. Laicos nè in ipso quidem dubio facti ad homicidium pertinentis, pro irregularibus habendos esse, quia citata jura non nisi de Clericis loquuntur, sed malè: quia eadem ratione dici posset, irregularitatem in dubio homicidii à solis Presbyteris contrahi, cùm de iis solùm citata jura loquantur. Colligunt 2do. & bene, in dubio mutilationis neminem debere gerere se pro irregulari, quia mutilatio non est verè & propriè occisio. Colligunt 3tio. Clericos in dubio homicidii quoad Ordinum susceptionem aut usum irregulares esse, non autem quoad Beneficia, quia jus de solis Ordinibus loquitur, * non autem de Beneficiis. Huic opinioni favet 1mo. quod jus quibusdam homicidis Beneficia indulgeat; 2do. quòd in materiâ pœnali qualis est irregularitas, ab Ordinibus ad Beneficia non valeat illatio. Quia tamen Beneficium datur propter ministerium ecclesiasticum, à quo excluditur dubius homicida, nolim in hoc casu quidpiam fieri inconsultô Episcopô.

Mm 2 PARS

* *Vide. sup. p. 541.*



# PARS SECUNDA.

## DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Irregularitatibus ex defectu natalium.*

DEfectu natalium laborant illegitimi: quorum alii *physicè* illegitimi sunt, alii illegitimi sunt *canonicè*. Illegitimi physicè & naturaliter dicuntur ii qui ex parentibus verô matrimoniô non conjunctis procreati sunt. Canonicè illegitimi sunt ii qui suscepti sunt ex vero & legitimo conjugio, sed cujus usus evasit illicitus per solemne castitatis votum, seu in Ordinis sacri susceptione, seu in Professione Religiosâ legitimè emissum. De utrisque sit.

Conclusio. Illegitimi tàm physicè quàm canonicè, irregulares sunt, sive illegitimitas eorum occulta sit, sive publica.

Prob. 1. pars de illegitimis physicè, tùm ex c. 1. & ult. *De filiis Presby.* tùm ex c. 1. ejusd. tituli in 6.

Prob. 2. pars de illegitimis canonicè ex cap. 14. *De filiis Presbyt.* utraque tenetur ab omnibus.

Ratio cur hanc irregularitatem invexerit Ecclesia, triplex. Prima est periculum incontinentiæ ex imitatione paterna: nam *sæpe solet similis filius esse patri, & vitia parentum etiam ad posteros transferuntur.* Secunda est, justa ratio metuendi, nè hoc vitio laborantes, populorum ludibrio & dicteriis exponantur. Tertia est, *ut paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo consecratis .... longissimè arceatur.* Trid. Sess. 25. c. 15. *De reform.*

Prob. 3. pars, de iis etiam quorum illegitimitas occulta est, tum quia lex generaliter loquitur, nec distinguit inter occultos & notos; tùm quia non magis necessaria est notorietas ad inducendam irregularitatem ex defectu natalium, quàm necessaria sit in aliis casibus; atqui in aliis casibus (infamiam excipio)* non requiritur notorietas; ergo nec in casu

* *Dist.* 56. c. 10.

casu defectûs natalium; qui non parit irregularitatem ratione infamiæ, sed ob alias rationes paulò antè memoratas.

Hinc si noverit Titius se esse illegitimum, quamvis alii id ignorent, necessum est, ut antè petat dispensationem, quàm Ordines vel Beneficium recipiat. Aliud esset si quis urgeretur ad suscipiendos Ordines, & dispensationem obtinere non posset, absque gravi sui diffamatione, apud Pontificem vel Episcopum.

Quæres, possitne mater suadere filio quem sola illegitimum esse cognoscit, ut Clericatum ingrediatur. R. posse, si legitimæ vocationis indicia præ se ferat. Ratio est, quia mater hoc suadens, nec peccat, cùm ipsa turpitudinem suam filio aperire non teneatur, nisi fortè, id exigant causæ multò graviores; nec causa est cur peccet filius, cùm & illud quod ei suadet, per se bonum sit, & supponamus eum invincibiliter ignorare irregularitatem suam. Quòd si quis inculpabiliter ob ignorantiam ad Ordines promotus, certò comperiat irregularitatem quâ ligatur, necesse est, ut statim ab Ordinum usu abstineat, donec dispensationem obtinuerit. Qui verò sciens & volens, ordinari se permittit, nunquam, aut raro, nec sive labore magno rehabilitari potest.

Quæres iterum, an filius qui pro legitimo habetur, teneatur habere fidem patri vel matri, qui in extremis declarant eum esse illegitimum. R. non teneri, nisi rationibus validis convincatur: tùm quia alleganti etiam cum juramento suam turpitudinem in præjudicium alterius, nulla debetur fides, ut docent Canonistæ; tùm quia favor matrimonii semper prævalet, unde receptum istud. L. 5. ff. *De in jus vocando: Pater is est quem nuptiæ demonstrant.* His accedit praxis Senatûs Parisiensis, qui an. 1656. pro legitimo haberi voluit filium mulieris cujus maritus impotentem se esse contendebat, quod & ab uxore ejus confirmabatur.

Aliud esset si illegitimitas validis & quasi invictis rationibus probaretur, ut si mater demonstraret maritum suum toto conceptionis & nativitatis filii tempore abfuisse. Quod si filius matris authoritate pressus, ei fidem habeat, seque illegitimum putet, tunc etsi fortè legitimus sit, dispensationem petere debet, priusquàm Ordines suscipiat, iisve fungatur; alioqui peccaret agendo contra conscientiam. Si verò dubius permaneat, non tenetur gerere se ut irregularem, quia in dubio facti extra homicidium, non subsistit irregularitas.

Quæres 3tio. quid juris de infantibus expositis. R. eos prò illegitimis haberi debere: 1mo. quia *in obscuris quod verisimilius est attenditur*, ex Leg. 114. ff. *De div. reg. juris:* atqui

atqui multò verſimilius eſt, infantes expoſitos, eſſe illegitimos, & longè ſæpiùs contingit ut exponantur illegitimi quàm alii, prout agnoſcunt qui majorem hujuſce rei notitiam habent: unde teſtatur Hugolinus ſe per annos multos quibus animarum curam geſſit, nunquam vidiſſe expoſitos qui ex legitimo matrimonio procreati eſſent; & Garcias certum eſſe ait ex centum qui exponuntur, pluſquam 90. eſſe illegitimos.

2do. Quia ex praxi Galliæ nullus ad tonſuram admittitur, niſi probet ſe ex legitimo matrimonio ortum eſſe.

Fatentur tamen communiter hujus opinionis aſſertores, Epiſcopum poſſe cum expoſitis diſpenſare, ut ſuſcipiant Ordines, & in iis bonâ fide ſuſceptis miniſtrent; quia irregularitas quæ non eſt penitùs certa ab Epiſcopo relaxari poteſt. Ità Covarruvias, Bonacina, Suarez, Habert, & alii plures quorum opinio etſi intrinſecè difficilis, practicè teneri poſſe videtur, quia communis.

Ex dictis ſatis quidem intelligitur illegitimos ab Ordinibus excludi; ſed necdum intelligitur quid requiratur aut ſufficiat, ut quis relativè ad Ordines legitimus cenſeatur. Itaque.

Dico: Legitimi ſunt relativè ad Ordines & Beneficia: 1mo. qui nati ſunt de matrimonio vero, etiam in ratione contractûs civilis, quale eſt matrimonium Infidelium, quorum filii adhuc eſſent legitimi, etiamſi eorum parentes in gradibus ab Eccleſia prohibitis contraxiſſent ut docet Innocentius III. cap. 15. *Qui filii ſunt legitimi.*

2do. Qui nati ſunt de matrimonio, nullo quidem & invalido propter aliquod impedimentum dirimens, ſed invincibiliter ſaltem ab uno contrahentium, ignoratum; idque verum eſt, etiamſi impedimentum poſteà innotuerit, & partes per Judicis ſententiam à ſe invicem ſeparatæ fuerint. Ità ſtatuitur cap. 2. & 14. eodem tit. Si tamen parentes aut clandeſtinè contraxiſſent, aut bannorum promulgationes omiſiſſent, non cenſerentur impedimentum quo ligati erant bonâ fide ignoraſſe; unde filii reputarentur illegitimi & irregulares.

3tio. Qui licet ex fornicatione nati ſint, per matrimonium deinceps contractum legitimati ſunt: *tanta* enim *eſt vis matrimonii, ut qui anteà ſunt geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur*, cap. 6. *Qui filii ſint legitimi.*

Extenditur hæc doctrina, 1mo. ad filios quorum parentes nonniſi poſt intermedias nuptias, matrimonium contraxiſſent. Quare ſi Petrus ex Luciâ concubinâ filium habuerit, deinde Mariam duxerit, eâque defunctâ, Luciam, filius Luciæ,

non-

non obstante intermedio Petri cum Mariâ conjugio, legitimus fiet; 2do. ad matrimonium invitis etiam illegitimis contractum; quia matrimonio ipsi annexus est favor ille, cui proinde à filio renuntiari nequit; etsi aliud fortè sit de jure civili.

Hic tamen notandum, 1mo. legitimationem quæ fit per matrimonium subsequens, non sufficere ut quis promoveri possit ad Beneficium quod ex fundatione sua non nisi verè legitimis conferri debet; legitimati enim non sunt strictè legitimi, sed solùm fictione juris: porrò fundationes strictè intelliguntur.

Not. 2do. ad hoc, ut filii ex illicita copulâ concepti, per matrimonium subsequens legitimentur, necessum esse, ut coitûs tempore parentes matrimonium non quidem licitè, sed validè contrahere potuerint: unde * *si vir vivente uxore suâ aliam cognoverit, & ex eâ prolem susceperit, licèt post mortem uxoris eam duxerit, nihilominus spurius erit filius*, ex cit. cap. 6. *Qui filii sint legitimi.* Eadem de causâ, si consanguineus cum consanguinea, vel affinis cum affine, in gradibus ab Ecclesia prohibitis, rem habuerit, filii inde concepti non legitimabuntur per matrimonium deinde contractum, quia conceptionis tempore, parentes ob impedimentum consanguinitatis aut affinitatis, validè contrahere non potuissent. Hinc receptum illud filios naturales legitimari, non spurios.

Atque hujus nostræ responsionis veritas constaret, 1mo. etiamsi ante prolis nativitatem, parentes ex dispensatione legitimum matrimonium contraxissent; quia semper in hoc casu verum est prolem formatam fuisse eo tempore quo parentes contrahere nequibant.; 2do. etiamsi matrimonium mala fide invalidum, subinde revalidatum esset per dispensationem solùm concessam ad contrahendum de novo. Ratio est quia dispensatio non operatur ultra terminos ejus; ergo cùm termini solùm ferunt ut matrimonium validari possit, non autem ut proles antè concepta legitimetur, proles quæ tempore invalidi matrimonii concepta est, non legitimatur per solam dispensationem de novo contrahendi, adeoque novâ opus est dispensatione quæ prolem ipsam legitimet.

Not. 3tio. filios legitimos aliquando à Beneficiis, imò & ab Ordinibus perinde ac illegitimos arceri. Sic 1mo. filius legitimus Beneficia à patre possessa, immediatè post eum tenere nequit, ex cap. 11. *De filiis Presbyt.* & hoc in nepotibus relativè ad avos locum habet ex Rebuffo. Sic 2do. *Hæretici, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filii,* us-



* *Pont. lib.* 11. c. 2. n. 9.

que ad secundam lineam paternam, ad primam verò maternam, sunt inhabiles ad Beneficia; ex cap. 15. *De Hæret.* in 6. quod in Galliâ Germania & Polonia erga Hæreticos toleratos locum non habet, ut alibi dixi.

Quæres, quot modis tolli possit irregularitas ex defectu natalium. R. eam tolli quatuor modis: Primo enim tollitur Professione Religiosâ, sed solùm partialiter, ut constat ex c. 1. *De filiis Presbyt.* Ratio hujus privilegii est, quòd Professio Religiosa per se removeat ab occasionibus in quibus filii paternæ incontinentiæ imitatores esse possint: unde sequitur Religiosum qui vota sua cassari curat, nequidem receptis in monasterio Ordinibus uti posse, multò minùs ad alios quos nondum recepit promoveri, quia Professio nulla nullum parere potest effectum, ac proinde nusquam extinxerat irregularitatem, sed extinxisse putabatur. Qui ejiciuntur à Religione, manent ab irregularitate immunes, ut qui non desinant esse verè Religiosi. Haud tamen eis prodest hæc irregularitatis immunitas; cum juxta Decretum sacræ Congregationis, ejecti à Religione perpetuò suspendantur ab exercitio Ordinum, hujusque suspensionis laxandæ facultas Ordinariis tollatur.

Dixi 1mo. *Professione Religiosâ*; sola enim habitûs susceptio non sufficit, ut docent vulgò Canonistæ.

Dixi 2do. *solùm partialiter*; nempe quoad Ordines & Beneficia simplicia, quia cit. cap. 1. *De filiis Presbyt.* præcipitur ut illegitimi, etiam professi, *Prælationes nullatenùs habeant*; unde etiam inferri solet collationem Prælaturæ cujuslibet, sive secularis, qualis est Episcopatus, Abbatia Commendata, &c. sive Regularis, qualis est Superioritas monastica, Dignitas, aut Personatus, Monacho vel Canonico Regulari illegitimo factam absque prævia Romani Pontificis dispensatione, esse jure communi invalidam: huic tamen juri aliquando derogant specialia Religionum privilegia.

Secundò tollitur irregularitas ex defectu natalium, per legitimationem: hæc autem vel fit per matrimonium, ut paulò antè dictum est; vel absque matrimonio, eaque vel à Papâ conceditur, vel à Principe. Quæ fit à Principe, non inservit, nisi ad effectus civiles; unde vi ipsius nemo ad Ordines vel Beneficia idoneus efficitur, (exceptis tamen extraneis, qui, modò nihil aliunde desit, obtentis à Principe iis Literis quas *Naturalitatis* vocant, Beneficiorum in hoc Regno possidendorum capaces efficiuntur.) Quæ verò à Papâ conceditur, non inservit ad effectus civiles; sed solùm ad Ecclesiasticos: unde sic legitimatus, & ad Ordines omnes evehi potest,

& ad

& ad quælibet Beneficia promoveri, iis, ut jam dixi, solùm exceptis quæ à fundatione habent, ut non nisi legitimis conferri possint: unde legitimatio eò solùm differt à dispensatione, quòd hæc generalis non sit.

Quartò, tollitur eadem irregularitas per dispensationem, circa quam hæc notanda sunt.

1mo. Solus Papa * dispensat *ad Ordines majores, vel Beneficia curam animarum habentia*; Episcopi proinde dispensant solùm ad tonsuram, & Ordines minores, eaque Beneficia quibus *animarum cura non imminet*, modò Beneficia hæc Ordinem sacrum hîc & nunc non exigant; modò etiam non sint Dignitates, vel Personatus, quæ non intelliguntur nomine Beneficiorum simplicium, &c.

2do. Necessitas recurrendi ad Papam pro dispensatione ad Ordines sacros, & Beneficia duplicia, locum habet, etiamsi illegitimitas omnino occulta sit; quia facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto, per Tridentinum Episcopis concessa, de iis solùm intelligitur, quas quis ex proprio delicto incurrit, uti docet probabilior opinio. Ubi tamen irregularitas penitus occulta est, haud necesse est, ut ad Datariam, sed sufficit ut ad Pœnitentiariam recurratur.

3tio. In hac dispensatione petenda omnino exprimendum est, an illegitimus sit ex soluto & soluta; ex soluta & conjugato; ex Sacerdote an ex Laico, tùm quia qui ex graviori nati sunt crimine difficiliùs dispensantur; tùm quia iidem aliquando duplici egent dispensatione: sic illegitimus qui in eadem Ecclesia in qua pater suus Sacerdos Beneficium habet vel habuit, Beneficium habere vult, indiget dispensatione gemina, qua & ad Beneficium ut sic, & ad Beneficium in tali Ecclesia obtinendum idoneus reddatur.

4to. Quod potest Episcopus respectu illegitimorum, hoc potest Capitulum Sede vacante, & Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes. Ratio pro Capitulis est, quòd Capitulum succedat in jurisdictionem ordinariam Episcopi in iis omnibus quæ jure non prohibentur. Ratio pro Abbatibus est, quòd in nullo præterquam in consecratione differant ab Episcopis, nisi jus aut consuetudo resistat.

5to. Etsi probabile est posse Episcopum cum illegitimo dispensare ad effectum possidendi Canonicatûs in Ecclesiâ Cathedrali; quia Canonicatus ille reipsâ est Beneficium simplex, & potestas Ordinariorum, utpotè favorabilis, non est absque gravi fundamento restringenda; nihilominùs ob sententiarum diversitatem, & vitandas lites quæ intendi possent, suadendum est

* C. 1. De filiis Presbyt. *in* 6.

est illegitimis, qui ad Cathedralium Canonicatus nominantur, ut ab Apostolicâ Sede dispensationem obtinere curent.

6to. Qui à proprio Episcopo dispensationem obtinuit ad effectum possidendi Beneficii simplicis, ubique dispensatus censetur, adeoque in aliâ etiam Diœcesi Beneficiis simplicibus donari potest.

7mo. Dispensatio, prout à legitimatione distinguitur, strictè interpretanda est: unde dispensatus ad Ordines, non intelligitur dispensatus ad Ordines sacros, nisi aliud de mente S. Pontificis colligatur ex circumstantiis. Dispensatus ad Diaconatum, censetur quidem & ad Subdiaconatum dispensatus, non verò ad Sacerdotium; dispensatus ad unum Beneficium non est dispensatus ad plura; dispensatus ad Beneficium simplex, non est dispensatus ad Curatum; neque ad Episcopatum, qui simpliciter ad Dignitates dispensatus fuit. Ratio est, quia recessus à jure communi odiosus est, odia verò restringenda sunt, non amplianda.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Irregularitate ex defectu animi.*

DEfectus animi tres irregularitatem inducunt; scilicet defectus rationis, scientiæ, & fidei confirmatæ.

Primò quidem irregulares sunt qui totaliter carent usu rationis, quales sunt pueri & perpetuò amentes; qui proinde nec ad Ordines promoveri, neque eorum quos fortè suscepissent, actiones exercere possunt, durante rationis deliquio.

2do. Ex eodem rationis defectu irregulares sunt, non ii solùm qui habitualiter & perpetuò, sed & ii quoque qui variis temporum intervallis à rationis usu excidunt; ut *lunatici*, qui lucida quædam habent rationis intervalla, sed & quasdam ejus eclipses patiuntur; *energumeni* seu arreptitii, qui à malo dæmone vexantur, & ideo suî compotes non sunt; *furiosi*, qui irruente furoris accessu, non sunt liberæ mentis, *epileptici*, qui morbo comitiali, quod malum caducum vocant, ità corripiuntur, ut cadant quasi exanimes. Horum & similium irregularitas colligitur, tùm ex dignitate ministerii sancti quod ab iis tractari non decet; quos nè mundani quidem rerum suarum participes esse vellent; tùm ex Can. 2. d. 33. ubi *qui in furiam aliquando versus insanivit*, ab Ordinibus excluditur.

Circa

Circa hæc quædam ſunt notanda: 1mo. faciliùs lunatici, & alii, ab Ordinibus arcentur antequam ſuſceperint, quàm ab eorumdem jam ſuſceptorum exercitio: unde qui verè amentes fuerunt, licèt omnino ſani videantur, vix unquam admitti ad Ordines poſſunt; tùm quia ſemper timendum eſt, nè malum idem redeat quod priùs; tùm quia rarò fit, ut ii homines ſanâ penitùs mente fruantur. Si tamen juſta quandoque cauſa poſtulet, ut qui olim inſanivit, ad Ordines, evehatur, ante omnia conſulendi erunt periti Medici, ut judicetur an planè convaluerit: deinde obtinenda ei erit diſpenſatio, quæ etiam neceſſaria eſt Energumenis, ſaltèm ad Ordines ſacros, ut docet ſanior opinio.

2do. Etſi epileptici verè ſunt irregulares, uſu tamen receptum eſt, ut irregularitas non inducatur per affectus epilepticos qui acciderunt ante pubertatis annos; quia ut docet Hypocrates, epilepſia ſæpe curatur, & omninò recedit in iis qui pubertatem attingunt. Qui verò poſt pubertatem eo morbo corripiuntur, irregulares cenſeri debent, quod, juxta Navarrum & Sylveſtrum, de iis etiam verum eſt qui nonniſi ſemel hoc morbo capti fuiſſent. Expectandum igitur eſt donec 25. ætatis annum attigerint: qui enim poſt ætatem hanc morbo illo affligi pergunt, vix unquam ab eo liberantur: unde qui epilepſiæ acceſſus poſt annum 25. ætatis ſuæ expertus eſt, nec Ordines ſuſcipere, nec iiſdem ſive bonâ, ſive malâ fide ſuſceptis uti poſſet, niſi obtentâ diſpenſatione, à Pœnitentiariâ quidem, ſi res occulta ſit, Datariâ verò, ſi acceſſus mali palam contigerint.

De iis verò qui ſolùm poſt acceptos Ordines morbis modò recenſitis obnoxii eſſe incipiunt, hæc nobis videntur ſtatuenda: * 1mo. qui frequenter his morbis corripiuntur, ab Ordinum exercitio removeri debent, ob indecentiam & periculum casûs.

2do. Si quis horum Dei miſericordiâ convaluerit, permittunt Canones ut Ordinum functiones exercere poſſit, poſtquam competenti tempore probatus fuerit ab Epiſcopo, ut habetur Can. 3. diſt. 33. Imò poterit Epiſcopus cum eo diſpenſare ut ad Ordines ſuperiores promoveatur. Porrò probatio committenda eſt examini peritorum Medicorum, qui non permittant iis vexatos malis, antea functionum ſuarum exercitio reſtitui, quàm judicaverint eos perfectè convaluiſſe.

3tio. Qui rarò iis morbis impetuntur, vel graviter impetuntur, ità ut ſpumas jactent, confuſas voces emittant, &c. vel impetuntur leviter. Si 1. adhuc abſtinere debent; ſi 2. non

* *Vid. cap. 1. VII. q. 2.*

*non prohibentur ab officio Missæ, dum tamen habeant juxta se alium Sacerdotem; ut si illi cadant, vel deficiant, iste suppleat*; verba sunt S. Antonini pag. 3. tit. 28. c. 5. Quæ tamen ob periculum nè morbus ingruat quo tempore calix elevabitur, difficilia videntur Giberto.

4to. Demùm iisdem morbis obnoxii, non ideò privati sunt Beneficiis suis, sed Vicariis uti debent.

Etsi qui vertigine laborant, non sint strictè irregulares, quia Canones nullibi de vertiginosis loquuntur; si tamen vertigines tam graviter afficiant Sacerdotem, ut is sine indecentiæ & reverentiæ periculo Sacra facere non possit, tunc utique à celebrandâ Missâ abstinere debet: si verò nullum vel leve subsit irreverentiæ periculum, poterit quidem celebrare; sed omnia prævideri præcaverique necessum est; nè quid suboriatur mali, putà celebrando in loco humili, cùm altaria excelsa vertiginem pariant, &c.

Secundus animi defectus qui irregularitatem parere potest, est carentia scientiæ, pro cujus intelligentia, not. 1mo. majorem ad majores dignioresque Ordines scientiam requiri, ut patet ex Concilio Trid. * secundùm quod ad primam tonsuram requiritur ut eâ initiandi, *Sacramentum Confirmationis susceperint, & fidei rudimenta edocti fuerint, legereque & scribere sciant.* Ad Minores, ut iis donandi, ** *saltèm latinam linguam*, & quæ ad eosdem Ordines pertinent, *intelligant*, ità ut nemo iis initiari possit, *quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat.* Ad Subdiaconatum & Diaconatum, ut ad eos promovendi, *literis, & iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi.* Literæ quibus Subdiaconos ac Diaconos imbutos esse præcipit S. Synodus, complectuntur Sacramenti Ordinis notitiam, & intelligentiam Officii divini, ad cujus recitationem tenentur qui sunt in Sacris. Ad Presbyteratum, ii solùm promovendi sunt qui idonei sunt *** *ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & administranda Sacramenta.*

Not. 2do. duplicem distingui scientiam: **** alia dicitur eminens, alia competens, quæ & mediocris nominari potest. Scientia eminens, ea est quâ quis arduas quæstiones discutere & definire novit, & in promptu sine librorum revolutione respondet præsertim de fide, moribus & disciplina interroganti. Scientia competens ea est, ait Innocentius IV. quâ quis, licèt ad omnia in promptu respondere nesciat, *scit* tamen *aliquo modo examinare negotia, & in libris quærere veritatem eorum quæ*

* *Sess.* 4. *c.* 4. ** *C.* 11. & 13. *** *Trid. ibid. c.* 14. **** *Vid. Cap.* Nisi. 10. De renunt.

*quæ sibi proponuntur*; seu scit solvere & respondere in his quæ admodum intricata non sunt, in difficilioribus verò & magis arduis, libros, vel homines se peritiores consulere: quæ quidem dubitandi facultas, longè rarior est difficilior in Sacerdotibus quàm sentiant multi, cùm supponat generalem quandam omnium Theologiæ partium notitiam; unde rudes & imperiti nunquam aut rarò dubitant. His præmissis,

Dico 1mo. Qui caret scientiâ competente, nec Ordines suscipere sine gravi peccato, nec in susceptis ministrare potest. Ità Theologi, etiam non rigidi.

Prob. 1mo. Peccat qui in materiâ gravi violat jus naturale, divinum & Ecclesiasticum: sed qui absque sufficienti scientiâ Ordines recipiunt, eosve exercent, in materiâ quæ non nisi ab impiis pro levi haberi potest, violant 1mo. jus naturale; cùm ipsa natura dictet non admittendos esse ad munus spirituale, qui munus illud vix aliter quàm Mechanicè exercere possunt: 2do. jus divinum; cùm Deus, etiam in antiquâ lege, cujus ministerium quasi carnale erat eos semper à suis altaribus repulerit, qui scientiam repulerant, ut patet ex cap. 4. Oseæ; 3tio. jus Ecclesiasticum, ut constat tùm ex Can. *Illiteratos* statim citando; tùm ex jam relatis Concilii Trid. textibus; ergo.

Dico 2do. Qui caret scientiâ competenti, qualem exigit Trid. Synodus, habendus est pro irregulari.

Prob. 1mo. ex cap. 1. dist. 36. ubi sic loquitur Gelasius *Illiteratos, aut aliquâ parte corporis vitiatos, vel imminutos, nullus præsumat ad Clericatûs Ordinem promovere; quia literis carens, sacris non potest esse aptus officiis*; unde sic: Illiterati, de quibus in hoc Canone loquitur Gelasius, verè sunt irregulares, non secùs ac illi qui aliquâ corporis parte imminuti sunt: atqui illiterati illi non ii solùm sunt, qui ità ignari sunt, ut nequidem legere sciant, prout falsò locum hunc interpretatur Gibalinus; sed & ii etiam qui scientiâ competente & necessariâ carent: 1mo. quia illiterati quos Gelasius ad Clericatûs Ordinem promoveri vetat, ii sunt qui ex literarum defectu non possunt sacris apti esse officiis: atqui non ii solùm qui legere nesciunt, sed & ii etiam qui scientiâ competenti carent, sacris Officiis inepti sunt, ut etiam fatentur adversarii; cùm concedant tales illiteratos graviter peccare, si se ad Ordines promoveri permittant; 2do. illiterati quos Gelasius ab Ordinibus excludit, ii utique sunt quos alii Canones præcipiunt graviter puniri unà cum Episcopis à quibus ordinati sunt: atqui ignari illi sunt ii etiam qui scientiâ competente carent, non ii verò tantùm qui adeò rudes

sunt

sunt ut legere nesciant. Totum hoc argumentum constat ex solâ lectione capitis 14. *De ætate*, &c. ergo.

Prob. 2do. quia ridiculum est, ut ea solùm ignorantia in Diacono vel Sacerdote irregularitatem inducat, quæ eam in juniore Clerico inducit: atqui si vera sit Gibalini opinio, Diaconus vel Sacerdos eo solùm scientiæ defectu irregulares erunt, qui in Clerico irregularitatem inducit; sicut enim Clericus ille non est irregularis; juxta Gibalinum, nisi cùm legere nescit; sic nec irregulares erunt Diaconi vel Sacerdotes, nisi cùm eò usque illiterati erunt, ut legere nesciant.

Hinc colliges provisionem Beneficii concessam illiterato scientiâ competente destituto, invalidam esse. Ratio est, tùm quia qui ad Clericatum inhabilis est, ad Beneficia habilis esse nequit; tùm quia incapacitas ex defectu scientiæ orta, una est è præcipuis incapacitatibus: porrò collatio Beneficii incapaci facta, jure communi & Gallico invalida est.

Dico 3tio. irregularitas ex illiteraturâ aliquando indispensabilis est, aliquando ad tempus dispensari potest. Ratio primæ partis est, quòd ignorantia aliquando tanta esse possit, ut qui eâ laborat, Beneficii vel Ordinis sui munia sine peccato neque nunc, neque longo post tempore exercere queat: quo in casu ignorantia hæc juri naturali & divino contraria est. Ratio secundæ partis sumitur à contrario.

Conditiones dispensationis quæ illiteratis conceditur, quatuor in jure recensentur. Prima est ut scientiæ defectus non sit gravis, utque subjectum quîcum dispensatur, scientiæ quæ deest comparandæ capax sit. Secunda est, ut qui dispensatur, pietate polleat, adeoque spem præbeat se studio vacaturum ut decet. Tertia, ut abstineat à functionibus quæ scientiam quam nondum assecutus est, postulant. Quarta, ut non occurrant alii qui absque dispensatione ad idem officium evehi possint. Quod limitarem, si brevi futurum sit, ut qui actu ceteris inferior est scientiâ, eosdem longè superaturus sit.

Dispensatio illiteratis à Papâ concedi potest, verùm, ait Fagnan. *Episcopi contra hoc Decretum Concilii dispensare non possunt etiam ex magnâ causâ: unde sacra Congregatio Concilii, etiam in locis ubi maxima est Sacerdotum inopia, nunquam censuit ignaros posse promoveri ad Sacros.* Addit alibi idem Canonista, * Episcopum in casu necessitatis non debere exquirere tam exactè ab iis qui nec ad ministranda Sacramenta, nec ad animarum curam deputati sunt, habilitatem à Tridentino requisitam, prout declaravit Summus Pontifex eâ de re interrogatus. Jam de Neophytis.

Neo-

* *In c.* Quæris. De ætate *&c. n.* 9.

Neophyti nomen idem est ac nova planta; unde neophyti dicuntur qui de novo à priori statu recesserunt, aliumque diversum amplexi fuêre. Hinc multiplex distinguitur genus neophytorum. Nam neophyti sunt: 1mo. qui recens in Christo per Baptismum renati sunt; 2do. qui nuper ad Religionem Christianam conversi sunt; 3tio. qui ab hæresi, vel à mundanâ vivendi ratione, ad fidem puram aut pietatis exercitium transierunt; 4to. & ii olim inter neophytos censebantur qui Baptismi receptionem differebant; donec gravi morbo decumberent, unde Clinici vocabantur. His positis,

Dico: Neophyti recens ad fidem conversi, sunt irregulares.

Prob. 1mo. ex Apost. * qui vult non ordinari *neophytum, nè in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Et verò vel neophytus ad Ordines promoveri ambit, vel non. Si 1. suam ipse superbiam arguit. Si 2. facile est, ut qui tam præproperè evehitur, Ecclesiæ necessarium se credat, sibique complacens, Luciferi è cœlis dejecti sortem experiatur.

Prob. 2do. quia indecens est, ut qui vix discipuli fuêre, magistri esse incipiant; ut qui necdum satis edocti sunt, & in fide confirmati, alios erudire & confirmare aggrediantur; ut qui adhuc quasi sontes sub proprii criminis pondere gemunt, aut gemere debent, aliorum peccatis onerare se ausint, & pro iis gratiam efflagitare, quam necdum pro semetipsis consecuti sunt. Ecquis ** *quem paulo ante vidit jacentem, veneretur Antistitem?* sanè *præferens..... criminis labem, non habet lucidam Sacerdotii dignitatem.*

Hæc momenta probant Neophytos cujuscumque sint generis ab ordinibus excludi debere; & insuper eos ex ipsis irregulares esse de quibus id in jure constitutum fuerit, quales sunt neophyti in fide.

Ex his colliges, 1mo. Laicos recens ad Clerum coaptatos, non posse licitè ad superiores Ordines præproperè & non servatis interstitiis promoveri. Unde is qui tot in juvenibus emicat rapidè ab Ordine in Ordinem convolandi furor, perpetuæ Canonum definitioni, nec non & ipsi Apostolo adversatur. *** *Sicùt* enim tempore S. Pauli *neophytus dicebatur, qui adhuc noviter in sanctæ fidei erat conversatione plantatus; sic modò neophytus habendus est, qui adhuc novus est in sanctâ conversatione.* Hujusmodi tamen, cùm strictè & in rigido Canonum sensu neophyti non sint, non sunt etiam strictè irregulares.

Colliges 2do. neophytos omnes non ante vel ad Clericatum, vel ad majores Clericatûs gradus esse promovendos quàm

* *I. Timoth.* 3. ** *C.* 3. *dist.* 61. *** *S. Greg. Lib.* 4. *Ep.* 10.

quàm sufficienti tempore probati fuerint: quod quidem relinquitur Episcopi arbitrio, cujus est perpendere, an recenter ad fidem conversi, tantæ sint virtutis & constantiæ, ut nihil ab illis ob fidei novitatem timeatur, ipsisque Ecclesiastici Ordinis gradus committi valeant.

De Clinicis unum extat Caput in toto Juris corpore, * his conceptum verbis: *Si quis ægritudine constitutus fuerit baptisatus, Presbyter ordinari non debet..... nisi fortè posteà ipsius studium & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit.* Verùm hîc diutiùs sistere non vacat; quia rarum est hodie ut baptisentur adulti, rarius ut non nisi premente morbo baptizentur.

---

## CAPUT TERTIUM.

### *De Irregularitate ex defectu corporis.*

CErtum est 1mo. corpore vitiatos per plura secula nè ad Episcopatum quidem irregulares fuisse, nisi vitium corporis tale foret ut eo laborans sacrarum functionum incapax efficeretur. Patet id ex celebri historia Ammonii Anachoretæ, ** qui nè Episcopus crearetur aurem sibi abscidit, existimans *integri corporis Sacerdotem constitui* oportere. At nè hac quidem expeditione Episcopatum declinasset, quia pro certo tunc habebatur, *Ecclesiam de corpore non curare, dummodò Sacerdos integer sit moribus.* Unde refert Palladius, *** *fuisse Episcopum qui* dixit *Ecclesiam Legi *veteri in hoc puncto non esse subjectam; seque paratum ordinare virum bonæ vitæ etiam naso amputato.*

Certum est 2do. à quinto Ecclesiæ seculo & deinceps, vitium corporis irregularitatem induxisse; idque constat ex cap. 1. 3. & 12. dist. 55. in quibus *corpore vitiati, aliqua membrorum damna perpessi, debiles corpore,* generaliter & indistinctè à Clero & Ordinibus arcentur. Ratio autem cur hoc in puncto disciplinam suam mutaverit Ecclesia, hæc esse potuit, quòd primis Ecclesiæ seculis multi ex Fidelibus ob solam fidei defensionem corpore vitiati aut debiles effecti essent; indignum autem fuisset eos ab Ordinibus ob corporis defectum arceri, quorum dignitas vel hoc ipso defectu commendabatur. At post redditam & firmatam Ecclesiæ pacem, factum est, quod & hodie contingit, ut corporis defectum non compen-

sare

* *Dist.* 57. ** *Sozom. lib.* 6. *cap.* 30. *** *Hist. Lausiac. cap.* 12. * *Levit. cap.* 21, *v.* 18.

ſaret animi robur, & ut ſacro miniſterio applicarentur, qui fortè ad profanum admiſſi non fuiſſent; cui malo ut occurrerent Pontifices, vetuerunt nè corpore vitiati Clerum ingrederentur abſque Superiorum licentiâ. Sed ut palàm fiat quo corporis defectu invehatur irregularitas, ſit.

Conclusio. Ille ſolùm corporis defectus hominem facit irregularem, quo qui laborat, vel *ſecurè propter debilitatem*, vel *ſine ſcandalo*, ſeu notabili indecentiâ quæ miniſtri adeoque & miniſterii ipſius contemptum pariat, *propter deformitatem*, functiones ſuas exercere non poteſt. Ità habetur c. 2. *De Clerico ægrot.* Multò igitur magìs irregularis eſt qui ex eodem defectu omnino * *impotens redditur ad exequendum officium Paſtorale.* Ratio eſt, quia ab Ordinibus arceri debet qui eos vel tutò, vel ſine adſtantium horrore exercere non poteſt.

Ob impotentiam vel periculum irregulares ſunt, 1mo. qui *manu alterâ* mutilati ſunt cap. 6. *De corp. vit.*

2do. Qui *tantùm de digito* ad ſacras functiones neceſſariò perdiderunt, ut *ſine ſcandalo ſolemniter celebrare* non poſſint, cap. 1. ibid. Circa quæ nota eum qui caret pollice, jure naturali irregularem eſſe. Qui verò alios præter pollicem & indicem digitos non haberet, eſſet irregularis, non ſolùm ob deformitatem & ſcandalum; ut docet Ugolin, ſed etiam quia aliqui ſaltèm ex his digitis adhiberi ſolent ut benedictio detur. Unius tamen digiti imò nec duorum qui ad ſacras functiones neceſſarii non ſint, defectus irregularitatem non parit. Si quis verò unguibus in totum careat, irregularis non erit, ſi nec inde notabilis naſcatur deformitas, nec ſubſit periculum in celebrando: ſecùs, ſi defectus ille vel inducat magnam deformitatem, vel impediat nè hoſtia contrectari, frangive ſatìs decenter poſſit, aut Calix ſine effuſionis periculo attolli, unde etiam irregulares cenſendi ſunt qui manus tremulas habent. In dubio recurrendum eſt ad Epiſcopum, cujus eſt dijudicare, an & quando deformitas vel periculum ſufficiant ad irregularitatem.

3tio. Eâdem de causâ irregulares ſunt muti, ſeu à naturâ, ſeu vi morbi tales ſint. Idem dic de iis qui tantam loquendi difficultatem habent, ut riſum penè invitis pariant, aut qui ità balbutiunt, ut nullam distinctè & integrè vocem pronuntient; ſecùs ſi licèt tardè, verba benè exprimant.

4to. Omninò ſurdi, qui verò alterâ tantum aure ſurdi ſunt; ſurdaſtri itèm & difficulter audientes, modò utramque habeant; promoveri poſſunt, conſulto priùs, ſi res dubium patitur, Epiſcopo.



* C. 10. De renunt.

5to. Qui non vident, sive oculi eruti sint aut effossi, sive non. Si Sacerdos fiat cæcus, perdit *executionem Ordinis quantùm ad consecrationem Eucharistiæ*, ex S. Thomâ * Monoculus, seu qui uno oculo, quisquis ille sit orbatus est, etiam *invitus*, adhuc irregularis dici debet, ex Can. 13. dist. 55. quia membro privatus est. Sed si utrumque habens oculum, unius solùm visu privatus sit, non ideò irregularis erit, etiamsi oculus cujus visu caret, sit oculus sinister, qui etiam oculus Canonis dicitur: modò tamen ea sit oculi dextri vis, ut absque indecenti conversione Canon legi possit; tunc enim cessat ratio irregularitatis, cùm nec desit membrum, nec adsit deformitas.

6to. Abstemii, seu qui vinum bibere non possunt, aut retinere quin evomant, non tam irregulares sunt quàm jure naturali Presbyteratûs incapaces. Neque in hoc dispensare potest Papa, juxta communem Doctorum sententiam, quia facere non potest, ut Missæ Sacrificium solâ panis & non vini consecratione peragatur.

Propter nimiam deformitatem, & quæ ex eâ consequuntur horrorem & scandalum, irregulares sunt, tùm ii qui certam corporis, membrorumve & faciei præsertim conformationem habent, quæ populos notabiliter offendit, tùm ii qui laborant morbis quibusdam qui eundem pariunt effectum: unde irregulares censendi sunt, 1mo. qui habent os turpiter distortum; labia corrosa aut abscissa, adeò ut vix dentes operiant; dentes extra os prominentes, qui tamen si resecari possint, cessabit unà cum deformitate irregularitas.

2do. Qui notabilem habent maculam in oculo ex cap. 2. *De corp. vitiat.* quamvis oculus sit integer & bene perspiciat. Item strabones, seu qui oculos distortos habent; aut ità lippos, ut putridum quid & acre distillent, quod ab adstantibus absque subtili inspectione percipi possit. Qui brevem habent visum, aut sine conspicillis non vident, irregulares non sunt; sicut nec ii qui oculum unum habent altero grandiorem, nisi notabilis sit excessus, & sic notabilis deformitas.

3tio. Qui naso carent; qui autem nasum solito grandiorem aut breviorem gerunt, Episcopi arbitrio, atque pro modo deformitatis, irregulares vel non, judicabuntur.

4to. Qui carent auriculis, id est, externâ illâ cartilagine quæ organo auditûs adhæret, irregulares sunt, nisi vitium hoc capillorum velamine celare possint: sed æquum est, ut in casibus hujusmodi consulatur Episcopus, cujus est de hisce defectibus arbitrari.

5to.

* 3. p. q. 82. art. 10.

5to. Qui ventrem gerunt præturgidum, vel ità gibbosi sunt, ut vix erigere se & recto capite stare possint: secùs si deformitas quæ ex eo corporis situ procedit, notabiliter oculos non offendat.

6to. Monstruosi, quales sunt qui duo capita habent, quatuorve manus aut faciem adeò fœtidam, ut horrorem vel risum intuentibus facilè procreent. Qui verò sex digitos habent non judicantur irregulares, nisi digitus superfluus aliorum usum impediat, ut contingere potest cùm pollex & index per modum unius sub ungue communi existunt; tunc enim hostia difficilè contrectari solet.

7mo. Qui carent altero pede, aut qui absque baculi auxilio functiones altaris exequi nequeunt, cap. 57. dist 1. *De consecrat.* Idem dicendum videtur de eo qui licet vero pede non careat, indiget tamen pede ligneo; hoc enim magnam habet indecentiam.

Quæres an privatio membri occulti, quæ nec periculum in celebrando, nec horrorem inducit, irregularitatem inducat: membrum hìc latè sumo prout etiam partem significat. R. non inducere per se; sed tunc solùm, cùm quis vel sibi membrum hoc culpabiliter resecavit, vel suâ culpâ meruit illud ab aliis resecari: atque hinc nonnulli solvuntur casus: 1mo. itaque qui *abscidit semetipsum*, seu *sibi virilia amputavit*, irregularis est, cap. 4. dist. 55. & hoc procedit, etiam si quis se absciderit causâ castitatis, & existimans se obsequium præstare Deo, cap. 5. ibid. A fortiori irregulares sunt qui se abscindunt, vel permittunt ab aliis abscindi ad conservandam vocem. Ratio est, quia vix ullus est qui invincibiliter ignorare possit Deum hâcce abscissione graviter offendi. Adde virilium resecationem, nedum medium sit ad castitatem, majoribus carnis stimulis exponere.

2do. *Qui à Medicis* * *propter languorem desectus est, aut à barbaris excisus, si alias dignissimus invenitur, ad Clerum* admitti potest. Qui verò *semetipsum* ob morbum aliquem, v. g. *propter epilepsiam curandam eunuchisavit*, *secundùm rigorem Canonum*, *nec ad altiorem gradum promoveri*, *nec in eo in quo erat Ordine ministrare* potest, ex Yvone Carnot. Epist. 231. ** *quod ei non interdiceretur, si esset sectus à medicis.*

3tio. Et is quoque irregularis est cui in pœnam delicti, sive Judicis mandato, sive à marito adulteræ abscissa sunt virilia.

Quæres 2do. an eadem sit ratio defectuum corporis qui



* *Can. 7. ibidem* ** *Coll. And. pag.* 104.

Ordines & Beneficia præcedunt, ac eorum qui ſubſequuntur. R. negat. ſed differunt tripliciter: 1mo. quia defectus qui præcedunt Ordines, ab omni Ordine excludunt; qui verò Ordinum receptionem ſequuntur, ab eorum duntaxat functionibus removent, quos ii defectus exerceri non ſinunt; 2do. defectus qui tonſuram præcedunt, ab omni Beneficio excludunt, qui verò poſt tonſuram ſuperveniunt, ab iis ſolùm arcent Beneficiis quorum hominem reddunt incapacem: 3tio. defectus qui promotionem ad Beneficia antecedunt, impediunt nè eadem Beneficia ſine diſpenſatione conferri poſſint homini qui iiſdem ut decet defungi nequit; defectus è contra quibus Beneficiarium affligi contigit, haud permittunt eum ſuo privari Beneficio, quia *afflicto non eſt addenda afflictio, ſed miſeriæ miſerendum* ex cap. 5. *De Cleric. ægrot.*

Quæres 3tio. cujus ſit judicare an ordinandi ex defectu corporis irregulares ſunt. R. in dubio ſtandum eſſe judicio Epiſcopi eorum qui ad Ordines promoveri exoptant, ut patet tùm ex cap. 3. *De corp. vitiat.* tùm ex unanimi Doctorum conſenſu: unde colliges Prælatos Religionum non poſſe per ſemetipſos dijudicare an ſubditi ſui corpore vitiati, irregulares ſint necne: quia privilegium hoc nullo jure iis conceſſum eſt. Si Epiſcopus diœceſano ſuo quem ex corporis vitio irregularem eſſe non judicavit, dimiſſorias literas conceſſerit, eæque ad aliquem dirigantur, cui idem defectus irregularitatem inducere videatur, poterit is, imò & tenebitur ab eo ordinando abſtinere.

Irregularitas ex defectu corporis, ceſſat, 1mo. per ceſſationem defectûs, ut ſi curetur morbus quo quis irregularis efficiebatur; 2do. per diſpenſationem; & hæc Papæ reſervata eſt, non quidem jure communi, ſed ex uſu conſtanti tùm eorum qui diſpenſatione indigent, quique ad Curiam Romanam recurrere conſueverunt, tùm ipſius Curiæ Romanæ, quæ diſpenſationem hanc tantâ cum cautione concedit, ut ejus executionem ipſi & ſoli locorum Epiſcopo committat.

Poſſunt tamen Epiſcopi diſpenſare cum eo qui * *credens ſe obſequium præſtare Deo, fecit ſibi virilia amputari*, vel amputavit ipſe; aut qui voluntariè aliquam corporis partem ſibi abſcidit, vel ab aliis abſcindi, culpâ ſuâ promeruit. Eæ enim irregularitates non ſunt ex puro defectu, ſed ex delicto. Porrò licitum eſt ** *Epiſcopis in irregularitatibus omnibus.... ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum diſpenſare.*

CAPUT

* C. 2. De corp. vitiat. ** *Trid. Seſſ. 2. cap. 6.* De ref.

# CAPUT QUARTUM.

## *De Irregularitate ex defectu ætatis.*

JUxta præſentem quæ jam diù viget diſciplinam, *nullus ad Subdiaconatûs Ordinem ante 22. ad Diaconatûs ante 23. ad Presbyteratûs ante 25. ætatis ſuæ annum* promoveri poteſt. Ita Trid. ſeſſ. 23. cap. 12. cujus praxis Articulo 29. Edicti Bleſenſis comprobata eſt. In his porrò materiis annus inceptus habetur pro completo.

Quod pertinet ad Ordines minores, *Congregatio Concilii reſpondit* die 20. Maii an. 1592. *nullam eſſe à Tridentino Concilio præſtitutam ætatem tonſuræ & quatuor minoribus Ordinibus, ſed eam attendendam quæ à ſacris Canonibus præſcribitur.* Sed quia variant eâ de re Canones, meliùs ſentiunt qui docent minùs eſſe periculi in differendis, quàm in concedendis præmaturè tonſurâ, & minoribus; & hæc videtur eſſe mens Concilii Trid. * vult enim S. Synodus, ut *primâ tonſurâ* ii ſolùm *initientur ..... de quibus probabilis conjectura ſit eos ..... ut Deo fidelem cultum præſtent hoc vitæ genus elegiſſe*; vult inſuper *ut nullus primâ tonſurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus, ante 14. annum Beneficium poſſit obtinere:* atqui vix unquam pueri ſeptennes, nugis ludoque potiùs quàm Deo devoti probabilem conjecturam, noſtro præſertim ævo, injicere poſſunt, ſe ſolo Deum fideliter colendi intuitu, ſtatum Clericalem amplecti. Adde quòd ubi quis tonſurâ initiatus eſt, eo ipſo in Galliâ capax ſit Beneficii; ergo Epiſcopi qui Tridentini Concilii mentem ſequi volunt, tonſuram, niſi graves urgeant cauſæ, & inſolitæ tonſurandi diſpoſitiones, ante annos 14. conferre non debent. Minores Ordines ante 18. ætatis annum multis in Diœceſibus non conferuntur, eique conſuetudini, ubi viget, tenaciter adhærendum eſt.

Jus commune & Gallicum non ſemper conveniunt in aſſignandâ ætate ad Beneficiorum poſſeſſionem neceſſariâ; quod ut probetur, ſatis erit ætatem ad ſingulas Beneficiorum ſpecies utroque jure requiſitam exhibere.

1mo. Ad Epiſcopatum jure communi requiritur, ut promovendus *jam trigeſimum ætatis annum exegerit*, cap. *In cunctis*, 7. *De elect.* Jure Gallico *Rex Franciæ unum gravem magiſtrum in 27. ætatis ſuæ anno conſtitutum nominare* poteſt: unde



* *Seſſ. 23. cap. 4.*

unde cùm in 27. ætatis anno constitutus sit, qui annum 27. inchoavit, meritò judicant plerique è nostris, ad Episcopatum sufficere annos 26. & diem, ut aiunt.

2do. Jure communi Beneficia quæcumque curam animarum annexam habentia, seu sint Parochialia, seu Dignitates sint aut Personatus, putà Decanatus, Archi-Diaconatus, Abbatiæ, Prioratus Conventuales, iis solùm conferri possunt qui *jam 25. annum ætatis attigerint*, ex citato cap. *In cunctis.* * Excipiuntur ab hâc lege, 1mo. Pœnitentiariæ quæ annos 40. exigunt, in quo tamen dispensat Episcopus, 2do. ** Abbatiæ & Prioratus Monialium, ad quorum possessionem eæ solùm eligi possunt quæ vel annis 40. minores non sint, vel saltèm annum trigesimum excesserint.

*Ad Dignitates* autem *vel Personatus quibus animarum cura nulla subest*, sufficit ex Trid. Sess. 24. cap. 12. ut qui eliguntur 22. *annis minores* non sint; circa quem textum S. Congregatio declaravit, 1mo. eum esse intelligendum de anno vigesimo secundo completo; 2do. eum extendi debere etiam ad Dignitates Ecclesiarum Collegiatarum, tametsi iis Dignitatibus nulla animarum cura annexa sit.

Quod ad alia Beneficia, quæ curam animarum non habent, sed tamen de jure Sacerdotium, Diaconatum aut Subdiaconatum exigunt, etiamnum, ut olim, sufficere puto ut provisus in tali ætate sit constitutus ut in intra annum ad Ordines requisitos promoveri valeat, & ità statuit Sacra Congregatio. Aliud erit si Beneficium ex ipso fundationis titulo aliquem ex sacris Ordinibus requirat; tunc enim ei solùm conferri potest qui jam Ordines illos susceperit; alioqui irrita est collatio, etiam post dispensationem Papæ.

Circà ætatem ad Canonicatus & Præbendas, sequimur communiter regulam 17. Cancellariæ Romanæ, quæ exigit annos 14. completos ad Canonicatus Cathedralium, & decem itidem completos ad Canonicatus Collegiatarum. In Regionibus subactis, seu, ut aiunt, conquisitis, Cathedralium Canonicatus, annos 21. & diem, Collegiatarum verò, annos 13. & unam quoque diem prærequirunt.

Ad Beneficia simplicia requiruntur à Tridentino anni 14. Prioratus simplices, qui etiam Prioratus *simplicis tonsuræ* nominantur, si in Commendam conferantur, exigunt annos 14. completos.

Ad pensiones Ecclesiasticas sufficit eadem ætas quæ ad tonsuram.

Quæres 1mo. unde computetur ætas ad Beneficia vel Ordines

* *Trid. Sess. 24. cap. 8.* ** *Ibidem Sess. 25. cap. 7. De Reg.*

dines requisita. R. eam non computari à tempore conceptionis, vel Baptismi, sed à puncto nativitatis, prout resolvit sacra congregatio.

Quæres 2do. an in supputandâ ætate Ordinandorum, eorumve qui Religionem aliquam profiteri debent, enumerandus sit dies bissextus. R. affirmat. 1mo. quia annus computari debet juxta ritum & consuetudinem Ecclesiæ; ergo cùm Ecclesia plures in anno dies numerat, plures quoque nos debemus numerare; præsertim cùm dies bissextus optimè quibusdam in annis superaddatur, propter horas quæ singulis annis supersunt ultra 365. dies, quibus constant anni communes; 2do. quia si dies bissextus anni in quo quis ordinari debet, non deberet computari, neque etiam computandi essent dies alii bissexti qui per totam ejus vitam occurrerunt, sed habendi per accidens: id autem absurdum est; aliàs posset quis natus die primâ Junii, ordinari post annos viginti quatuor, die 25. Maii, extractis scilicet à computatione diebus sex bissextis qui annorum 24. spatio concurrerunt. Imò censet Fagnan computari debere has circiter horas sex, ex quibus quarto quoque anno conficitur annus bissextilis, & verò cur eæ horæ minus numerandæ sint, cùm singulis annis fluunt, quàm cùm quarto quoque anno diem integram constituunt. Sit jam

Conclusio. I. Defectus ætatis irregularitatem inducit quoad Ordines, & quoad Beneficia.

Prob. 1. pars, 1mo. ex pluribus decretis quæ habentur dist. 77. ubi qui necdum præscriptam ætatem attigerunt, ordinari prohibentur; 2do. ex Clementinâ ult. *De ætate*, ubi qui certam ætatem habent, ordinandi dicuntur, nisi aliud obstet impedimentum canonicum; ergo supponit Pontifex defectum ætatis esse canonicum impedimentum; 3tio. ex communi Doctorum consensu; 4to. quia si certa quædam ætas ad munia secularia requiritur, quantò magis eadem necessaria erit ut canonicè recipiantur Ordines, qui plus consilii & maturitatis exigunt, quàm mundanæ dignitates.

Quia verò qui sacris ante legitimam ætatem initiantur, sunt etiam ab eorumdem Ordinum usu suspensi, hinc si suspensionem violent, Ordinis recepti functiones exercendo; novam irregularitatem incurrunt, à quâ nisi dispensentur, celebrare non possunt, etiamsi ætatem requisitam jam attigerint; quia ætas superveniens, nec suspensionem, nec suspensionis effectus tollere potest. Si verò non celebraverint, possunt, post obtentam, tùm suspensionis quam incurrerunt absolutionem, tùm ætatem legitimam, functiones Ordinis sui

exercere: quia cessavit eorum irregularitas per ætatis complementũ. Quòd si quis bonâ fide existimans se ætatem canonicam habere, Sacris initietur, suspensionem non incurret, adeòque obtentâ ætate, celebrare poterit absque ullo ad Superiorem recursu.

Prob. 2. pars; tùm ex cap 14. *De elect.* in 6. ubi collatio Parochialis Ecclesiæ homini legitimam ætatem non adepto *viribus carere* dicitur; tùm ex aliis Canonibus suprà relatis, qui cùm certam ætatem postulant ad Beneficia, ità semper in foro civili & ecclesiastico intellecti sunt, ut collatio aliter facta, pleno jure irrita sit.

CONCLUSIO II. In defectu ætatis solus Papa dispensat.

Prob. tùm ex cap. final. *De temporib. ordinat.* in 6. tùm ex unanimi Doctorum etiam nostrorum consensu; tùm quia is solus dispensat ab irregularitate, qui eam posuit, nisi extet privilegium: atqui nullum extat privilegium quo liceat Episcopo cùm Diæcesanis, aut Prælato cum Religiosis suis quoad ætatem dispensare: quod enim Regularibus à Pio. V. concessum erat, hoc à Gregorio XIII. abrogatum est per Bullam in quâ statuit, ut Tridentini Concilii Decreta observentur, etiam in iis quæ spectant ad Regulares.

Quæres an irregularitas ex defectu ætatis non possit contrahi per nimiam & decrepitam ætatem. R. negat. nullibi enim Canones præfixerunt terminum ultra quem illicita sit Ordinum susceptio; & meritò, cùm ætas quò maturior est, eò sit Ordinum gravitati accommodata magis. Si tamen talis sit senectus, ut in morbum declinet, eive æquivaleat, ità ut obstet, nè sacræ functiones eo quo par est modo exerceri possint, tunc instar morbi perpetui pariet irregularitatem; vel si mavis, incapacitatem quandam, in qua utpotè quæ juris naturalis esse possit, nè ipse quidem Papa dispensare queat. Ità Suarez ibid. n. 5.

---

# CAPUT QUINTUM.

## *De Irregularitate ex defectu libertatis.*

DEfectum libertatis relativè ad Ordines habent, tùm servi, tùm curiales, tùm ad reddenda ratiocinia obligati, tùm conjugati.

De servis strictè & propriè dictis qui etiam mancipia dicuntur

tur, gallicè *Esclaves*, hæc præcipiuntur jure communi: 1mo. * *Nullus Episcoporum servum alterius ad Clericatus officium promovere* debet. Ratio est, tùm quia servus, domini obsequiis mancipatus, ad divina ministeria, sicut Clericum decet, expeditus esse nequit; tùm quia ** *vilis persona manens, Sacerdotii dignitate fungi non potest.*

2do. Si tamen *** domini *petitio aut voluntas accesserit* servus ordinari potest: imo **** *si servus sciente & non contradicente domino, in clero fuerit ordinatus, ex hoc ipso ..... liber & ingenuus erit*, liber, inquam à temporalibus officiis, non autem à spiritualibus, c. 4. *De servis non ordin.* Sed hæc fusiùs non prosequor, quia servitus in Galliâ locum non habet; quanquam certis in locis extent homines gallicè dicti, *Serfs de main morte*, qui ad Ordines promoveri non debent, nisi vel dominus consenserit, vel si dissentiat, illatum ei damnum compensent.

Irregulares quoque erant jure antiquo Curiales, seu Magistratus, qui populi, cujus obsequio, unà cum familiâ suâ bonisque suis mancipati erant, quasi servi esse videbantur. In Galliâ Curiales & Officiales Regii ordinantur, retentis etiam officiis, si ea cum oneribus Ecclesiasticis sint compatibilia.

Eodem jure communi à statu Clericali excluduntur alieni boni administratores, quales sunt *Procuratores* ad lites, *Actores* seu aliena negotia agentes, *executores seu curatores* adultorum vel *pupillorum*; iique omnes nonnisi *post deposita onera & reddita ratiocinia*, ad Ordines assumi possunt, ex tit. *De obligat. ad ratiocinia.* Ratio hujus prohibitionis est, tùm quia hujusmodi Officiales in reddendis rationibus, doli redargui, magnisque litibus vexari possent, quod in damnum & infamiam Ecclesiæ redundaret; tùm quia ii nequidem ad publicos honores & munia idonei sunt *L. 6.* ff. *De munerib.*

Ab hâc lege excipiuntur: 1mo. administratores bonorum Ecclesiæ, vel cujuslibet alterius causæ piæ, seu publicæ, seu privatæ; 2do. defensores miserorum, quibus cùm opem suam negare non debeat Ecclesia, nec eos qui eam impendunt ab Ordinibus removere debet; 3tio. qui legitimam proximorum agnatorum tutelam susceperunt, &c.

Circa conjugatos qui suo modo servi sunt, quia corporis sui potestatem non habent, hæc tenenda: 1mo. conjugati sunt irregulares, & nè ad tonsuram quidem admitti possunt, c. ult. *De*

* *Dist.* 54. c. 1. ** *Ibid.* c. 6. *** *Ibid.* c. 1. **** *Ibid.* c. 20.

*De temp. ordin.* in 6. 2do. iidem consequenter inhabiles sunt ad Beneficia, cùm nequidem ea retinere possint, quibus ante conjugium donati fuerant, sed iis ipso facto priventur; 3tio. cum conjugatis dispensari nequit ut ordinentur, aut Religionem ingrediantur, invita uxore; nisi vir legitimam habeat divortii causam, v. g. ob uxoris adulterium; 4to. non potest conjugatus ad minores etiam Ordines promoveri, *nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus*, c. 5. *De convers. conjugat.*

An autem sufficiat, ut uxor continentiæ votum emittat in seculo, an non verò Religionem profiteri debeat, distinguendum est. * Vel enim *ità uxor senex est & sterilis*, seu extra periculum incontinentiæ posita, *quòd sine suspicione possit esse in seculo, & tunc dissimulare*, potest Episcopus, *ut eâ in seculo remanente & castitatem promittente, ad Religionem*, vel, ut satis communiter à quâdam paritate rationis inferunt Interpretes, ad statum Clericalem *transeat vir ipsius*: vel hæc mulier juvenis est, & tunc non ante ordinari debet vir ejus, quàm ipsa Religionem professa fuerit, ex Can. 6. dist. 77. Et verò exigunt alii Canones, ** ut juvenis uxor illius qui Religionem ingredi exoptat, & ipsa Religionem ingrediatur; ergo & id magis exigendum est cùm quis ità ordinari vult, ut in seculo manere debeat: majus enim subesset periculum incontinentiæ, quia Clericus secularis uxorem faciliùs invisere posset quam Regularis.

---

# CAPUT SEXTUM.

## *De Irregularitate ex defectu famæ.*

INfamia opponitur famæ: unde cùm fama sit bona existimatio quæ publicè habetur de alicujus excellentiâ, consequens est infamiam nihil aliud esse quàm publicam diminutionem seu amissionem boni nominis & rectæ æstimationis. Duplex porrò distingui solet infamia juris scilicet, & facti.

Infamia juris contrahitur: 1mo. per commissionem criminis cujus executioni infamia jure civili vel canonico annexa est; 2do. per sententiam Judicis; 3tio. per exercitium officii vel professionis licitæ vel illicitæ, quam qui exercent in jure reputantur infames.

Infames

* *Cap.* 4. De convers. conjugat. ** *Cap.* 4. 8. 18. *Ibid.*

Infames sunt ob crimen: 1mo. *homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, venefici, criminosi, perjuri, qui raptum fecerunt, vel falsum testimonium dixerunt, seu ad sortilegos, divinosque concurrerunt*, belli desertores, & alii quos videre est cap. 9. III. q. 5. & c. 17. VI. q. 1.

2do. In duello pugnantes, adjuvantes, spectantes, Trid. sess. 25. c. 19. de reform. Itèm hæretici, schismatici, simoniaci, sodomitæ, lenones, rei læsæ majestatis, usurarii, famosum libellum facientes, consentientes, & invenientes si non frangant; & alii qui jure civili infames sunt, * *nam infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant*: quod tamen aliquam patitur exceptionem, ut notat Gratianus in cap. 7. II. q. 3.

3tio. Neque ii solùm jure infames sunt qui crimen admisère, sed & aliquando eorum filii: quia parentum scelus nonnunquam adeò enorme est, ut in filios redundet. Hinc infames sunt, tùm filii eorum qui de crimine læsæ majestatis damnati sunt, c. 22. VI. q. 1. tùm qui ex muliere palàm meretrice, tametsi conjugatâ nati sunt.

Infames sunt per sententiam Judicis: 1mo. qui, etiamsi non damnentur ob crimina quæ in jure infamiam important, damnantur tamen ad pœnam infamantem, v. g. ad triremes, vel ad exilium etiam ad tempus; itèm qui è certo districtu vel loco relegantur, (quanquam ex literæ quæ vulgò dicuntur *de cachet*, per se non infamant;) qui officii sui exercitio interdicuntur; qui cæsi sunt fustibus, notati stigmate, ferreo collari ad palum adstricti, numellis publicis versati, ignominiosè traducti, reprehensi à Judice, secùs si solùm admoniti sunt, itèm qui mulctâ pecuniariâ in materiâ criminali, mulctati sunt; secùs si solùm in eâdem materiâ propter aliquod peccatum damnentur ad eleemosynam.

2do. Qui à Judice sententiâ definitivâ, (interlocutoria enim ad infamiam non sufficit,) declarantur rei criminis cui annexa est de jure infamia, ** etiamsi ad pœnam infamantem non condemnentur.

Infames sunt ob exercitium professionis: 1mo. comœdi, mimi, histriones, & quisquis *artis ludicræ, pronuntiandive causâ in scenam prodierit*, sive *in publico privatove, vel in vico: quo tamen loco passim homines spectaculi causa admittantur*, *l.* 1. & 2. ff. *De his qui notantur infamiâ*; & cap. 1. IV. q. 1. 2do. qui *macellariorum aut tabernariorum officium publicè & personaliter* exercent, & ab eo desistere nolunt: colligitur ex Clementinâ I. *De vitâ & honest. Clericor.* Non loquor de tortoribus, quos infames

* *Can.* 2. V. *q.* 1. ** *Vid. tit.* De his qui notantur infamiâ, *ff.*

infames esse constat, & qui insuper ex lenitatis defectu ab Ordinibus arcentur.

Infamia facti ea est quam quis contrahit ex commissione delicti, quod infame censetur apud graves viros, etsi crimen illud non sit ex eis quæ in jure reputantur infamia. Dixi *apud graves viros*; quia personæ leves & quæ facilè moventur, non sufficiunt ad infamiam etiamsi plures sint.

Alii aliter definiunt infamiam tùm juris, tùm facti. Infamia juris, inquiunt, ea est quæ contrahitur seu per sententiam Judicis declaratoriam aut definitivam, seu per juridicam rei confessionem, prout supra dixi. Infamia verò facti, ea est quæ contrahitur ipso facto & ante quamlibet sententiam, & hæc duplex est, legalis alia, alia popularis. Infamia legalis facti, ea est quæ oritur ex solo facto, sed cui annexa est infamia; unde infamia hæc non incurritur, nisi per exercitium professionis, aut commissionem criminis, cui annexa est à legibus infamiæ nota. Infamia popularis, ea est quæ incurritur ob crimen quod licèt infamiâ non notetur in jure, tale tamen est, ut ex prudentum & bonorum æstimatione, boni nominis amissionem pariat. Juxta hanc distinctionem quæ clarior & strictior videtur, loquemur in decursu Capitis. Itaque sit

Conclusio I. Infamia saltèm aliqua parit irregularitatem.

Prob. 1mo. ex c. 27. VI. q. 1. *Infames esse eas personas dicimus, quæ pro aliquâ culpâ notantur infamiâ .... hi omnes ad sacros gradus provehi non debent*; 2do. ex regulâ 87. in 6. *Infamibus portæ non pateant Dignitatum*: porrò ordo Clericalis est dignitas. Et verò cùm de constituendis Diaconis cogitaverunt Apostoli, id primum consideravêre, ut eligerentur viri *boni testimonii* Act. 6. & Paulus id præsertim in Episcopo requirit, ut *testimonium* habeat *bonum ab iis* etiam *qui foris sunt*, *I.* Timot. 3.

Conclusio II. Nullum crimen quantumlibet grave & enorme, infamiam & irregularitatem inducit, quandiù manet occultum, exceptis paucis.

Prob. 1mo. ex cap. 4. *De temporib. ordinat.* ubi Alexander III. consultus de Clerico qui tam graviter deliquerat, ut *si peccatum ejus esset publicum, degradaretur ab Ordine quem suscepit*, mandat Episcopo ut ei condignam pœnitentiam imponat, & suadeat, ut *parte pœnitentiæ peractâ, Ordine suscepto utatur, eôque contentus existens, ad superiores non ascendat. Verùmtamen*, ait Alexander, *quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliquâ ratione prohibere.*

Prob.

Prob. 2do. quia infamia in suâ definitione involvit notitiam publicam: atqui ubi crimen occultum est, implicat reperiri notitiam publicam; ergo & implicat crimen occultum inducere infamiam.

Dixi, *paucis exceptis*; quædam enim sunt crimina, quæ ex dispositione juris per se & ratione sui, sine notorietate & perconsequens sine infamiâ formali irregularitatem inducunt. Tale est homicidium voluntarium, & alia de quibus infra loquemur ubi de irregularitatibus ex delicto.

Quæres an nefandum sodomiæ crimen ex iis sit, quæ licèt occulta, irregularitatem inducunt. R. negat. quia id nullibi expressum est in antiquo jure: Bulla autem 72. Pii V. quæ *omnes & quoscumque Clericos seculares & regulares cujuscumque gradûs & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni privilegio Clericali, omnique Officio Dignitate & Beneficio* privat, solùm spectat ad forum exterius. Docet tamen Pontas, eos qui in hoc scelus prolapsi sunt, etiamsi pœnitentiam egerint, ab accipiendis Ordinibus abstinere debere; quia is est Ecclesiæ spiritus, ut qui tam fœdè prolapsi sunt, à sacris altaribus in perpetuum recedant. Hæc tamen temperanda puto, nisi urgeat Ecclesiæ necessitas, & eximia promovendorum emendatio.

CONCLUSIO III. Probabile est infames, infamiâ juris, & facti legalis, verè esse irregulares.

Prob. 1mo. quia jura quæ infames irregularitate plectunt, exigunt solùm ut eorum crimina, (vel *ordine Judiciario comprobata* fuerint, *vel* alio modo sint *notoria*; ergo nihil ampliùs exigere possumus.

Prob. 2do. quia mimi, & alii id genus, ante Judicis sententiam irregulares sunt; ergo sola facti publicitas ad inducendam ex infamiâ irregularitatem sufficit. Non nego hisce professionibus annexam fuisse à jure infamiæ notam, sicut hæc multis criminibus annexa est; sed quæstio est an infamia hæc solâ facti notorietate, & ante processum juridicum operetur: operatur autem indubiè quoad eos qui artem infamantem exercent; ergo & quoad alios.

Prob. 3tio. quia ut infamia facti legalis irregularitatem pariat, duo sufficiunt: 1mo. ut Ecclesia possit eos quorum publica est infamia, irregularitate plectere; 2do. ut id velit: atqui utrumque constat, 1mo. enim tam potest Ecclesia criminibus legaliter & publicè infamantibus irregularitatem annectere, vi cujus sic infamati Beneficiorum incapaces fiant, quàm possit Communitas politica eosdem infames ab Officiis suis repellere: atqui id potest politica Communitas; ergo, & idem

potest

potest Ecclesia: præsertim cùm possit ob crimina etiam occulta, v. g. ob homicidium secretum, irregularitatem imponere; 2do. vult Ecclesia ut publicè infamati, irregulares sint, cùm, ut jam dixi, generatim & indistinctè decernat irregularitatem in eos qui palàm horumce criminum reos se constituerint.

Prob. 4to. quia in Galliâ & alibi, infames facto, multis in punctis æquiparantur iis, qui sunt juridicè infames: unde neutra species efficaciter testatur in judicio, neutra ad Magistratus evehitur. Unde à fortiori colliges infames legaliter, non minùs irregulares esse, quàm qui juridicè infames sunt.

Dixi, *probabile est*; neque enim desunt viri graves qui sentiant neminem in Galliâ reputari infamem ex delicto, quantùm ad inducendam irregularitatem sufficit, nisi præcesserit Judicis sententia criminis declaratoria, aut modo infamanti condemnatoria, aut saltèm decretum comprehensionis corporis. Ratio opinionis hujus est, quòd quantumcumque leges alicui crimini infamiam alligaverint, infamia hæc non contrahatur, nisi certò & publicè constet de commissione criminis: atqui inquiunt, in Galliis, ubi, in iis quæ juris sunt positivi, notorietas facti locum non habet, nihil certò & publicè constare potest, nisi per sententiam Judicis; ergo. Quia tamen principium hoc non secùs ac alia, exceptiones habet suas: ità ut in ipsâ Galliâ comœdi & duellistæ ipso facto Ecclesiasticâ sepulturâ priventur, idcircò in re tanti momenti ad Episcopi judicium recurrendum esse puto. Imò Clerici publicè concubinarii seclusâ quâcumque judicis sententiâ aut reorum confessione, sunt irregulares, & aliquando indispensabiliter.

Ceterùm infamia multis modis auferri potest.

1mo. Enim infamia popularis tollitur emendatione sceleri proportionatâ & publicâ. Ratio est, quia ex cap. 4. dist. 54. *Ad meliora conversum nequaquam prior vita commaculat.*

Dixi, *emendatione*, non autem, pœnitentiâ; quia pœnitentia solemnis quæ describitur cap. 64. dist. 50. nedum solveret irregularitatem, eam inducebat è contrà, & *ab infimis etiam officiis Clericorum* excludebat, ut patet ex cap. 55. 56. & 60. eâd. dist.

Dixi 2do. *proportionata, &c.* quæ nimirum prioris vitæ maculas in opinione hominum deterserit, adeò ut deteriori famæ succedat bona existimatio ex contrariis virtutis operibus sæpe ac diù repetitis, diù, inquam, quantùm moraliter sufficit,

ut

ut prudentum arbitrio homo vere conversus intelligatur; ad quod triennium requirunt Barbosa, Navarrus, &c.

2do. Infamia per sententiam contracta, prout irregularitatem inducit, non tollitur per emendationem, sed per Ecclesiæ dispensationem. Ratio est quia non magis emendatio sufficit ad tollendam infamiam, quàm ad tollendas alias pœnas, ab homine, vel à jure impositas; atqui pœnitentia non sufficit ad tollendas hujusmodi pœnas, ut patet tùm in censuris, tùm in exilio, aliisque pœnis quæ à Curiis secularibus decernuntur; ergo necessaria est dispensatio. Hæc autem concedi potest; 1mo. à Papa, quamvis indecens esset eum cum infami nondum bonum nomen publicè adepto dispensare, nisi gravissima urgeret causa, quæ vix fingi potest; 2do. ab Episcopis, sed cum duplici limitatione: 1mo. ut non dispensent in criminibus adulterio gravioribus; 2do. ut non dispensent, ut quis de novo ad Ordines vel Beneficia promoveatur sed tantum ut acceptis uti possit. *Vid. interpretes in cap.* 4. De judiciis.

3tio. infamia facti legalis solâ etiam dispensatione tollitur in opinione eorum qui irregularitatem ei annexam censent: quia, inquiunt, hæc irregularitas est vera pœna juris; pœnæ autem juris tandiù durant, donec à juris authore tollantur, ut patet in censuris.

Quæres an infamis in uno loco, si in alium ubi ignota est ejus infamia trasmigret, desinat esse irregularis. R. infamia facti tollitur per mutationem loci; sive autem tollatur per eandem mutationem infamia juridica, sive non, non tollitur irregularitas inde contracta.

Prob. 1. pars, quia qui alicubi ignotus est, ibidem infamis esse nequit, præsertim cùm *tandiù debeat quisque præsumi bonus, donec constet eum esse malum.*

Prob. 2. pars: 1mo. quia irregularitas est impedimentum personale, & perpetuum cùm illimitatè ponitur à jure: atqui impedimentum hujus generis, personam ubique comitari debet, donec eâdem tollatur authoritate quâ constitutū est; 2do. quia alioqui jus irregularitatem hanc decernens, facilè eluderetur.

# CAPUT SEPTIMUM.

## *De Irregularitate Bigamiæ.*

Monogamiæ,* quæ est conjunctio cum uxore unicâ, opponitur bigamia, quæ est conjunctio cum duabus: unde

* *Ad tit.* 21. *lib.* 1. *Decretal.*

de ſtrictè loquendo ii ſolùm bigami dicendi eſſent, qui duo, vel plura matrimonia contraxêre. Triplex tamen diſtinguitur bigamia, vera ſcilicet ſeu realis, interpretativa, & ſimilitudinaria.

Bigamia realis eſt, cùm quis plures legitimas ſucceſſivè duxit & cognovit uxores.

Interpretativa eſt, cùm quis fictione juris cenſetur plures habuiſſe uxores, licèt reipsâ plures non habuerit: id autem contingit: 1mo. cùm quis ante uxoris ſuæ mortem, bonâ vel malâ fide de novo contrahit cum alia eamque carnaliter cognoſcit.

2do. Cùm quis duo contrahit matrimonia invalida, ut ſi duas ducat quibuſcum propter aliquod impedimentum dirimens contrahere non poterat; & cum ipſis copulam habeat. Quod addo, quia nulla unquam eſt bigamia vera vel interpretativa, niſi ad copulam ventum ſit: unde qui legitimo matrimonio accipit virginem quam non cognoſcit, eâque mortuâ ducit alteram quam cognoſcit, non eſt bigamus; ſicut nec ille qui duceret uxorem alterius, nec ab eo, nec ab alio cognitam: quia *nec ipſe*, nec illa *carnem ſuam diviſit in plures*, cap. 5. *De bigamis, &c.*

3tio. Cùm quis viduam alterius ab eo cognitam; vel puellam cum alio fornicatam, ducit uxorem & cognoſcit, ſive ſciat eam corruptam fuiſſe, ſive neſciat: is enim licèt reipsâ bigamus non ſit, bigamus tamen reputatur ab Eccleſiâ. Ratio eſt, quia matrimonium ejus non repreſentat perfectè ſpirituale matrimonium, ſeu conjunctionem Chriſti cum Eccleſiâ: unio enim Chriſti cum Eccleſiâ fuit viri qui aliam non habuit ſponſam, & ſponſæ quæ alium non habuit virum; ergo bigamus reputari debet, ſive qui carnem propriam cum multis uxoribus diviſit, ſive qui duxit, uxorem quæ cum viris pluribus carnem diviſit.

4to. Et is quoque bigamus juris fictione cenſetur ob rationem mox tactam, qui unicam & virginem duxit ſed eam poſt adulterium ab ipsâ commiſſum, carnaliter cognoſcit; is enim jam incipit eſſe ſponſus illius quæ adulterando carnem ſuam diviſit in plures.

Bigamia ſimilitudinaria eſt, cùm quis poſt emiſſum ſolemne caſtitatis votum, contrahit matrimonium, ſive cum jam cognita ab alio, ſive cum virgine, eamque cognoſcit: is enim bigamus æſtimatur quaſi qui duplex contraxerit matrimonium aliud ſpirituale, verum; aliud carnale, vulgò nefandum. Sit jam

CONCLUSIO. Bigami, quocumque ex aſſignatis modis tales ſint, ſunt irregulares. Prob.

Prob. 1°. de bigamiâ reali, ex Apoſtolo, qui I. Ad Timoth. 3. & ad Titum 1. eos ſolùm in Epiſcopos, Preſbyteros, aut Diaconos eligi permittit qui *unius* ſint *uxoris viri*: cùm ergo qui ad ſuperiores Ordines aſcendere prohibentur, nequidem ad inferiores admitti poſſint; conſtat bigamos reales à toto Clericatu arceri debere, juxta id Innocentii I. * *Ne is qui ſecundam duxit uxorem, Clericus fiat.*

Ratio cur bigamia irregularitatem invehat, triplex. Prima: Miniſtri Eccleſiæ non à vitiis ſolùm deterrere; ſed ad perfectionem fideles ſibi commiſſos adhortari debent: ** *Quomodo autem poteſt hortator eſſe* virginitatis aut ipſius *viduitatis*, quæ novarum nuptiarum ſtatu longè perfectior eſt, *qui ipſe conjugia frequentaverit*, ait S. Ambroſius. Secunda: Non debent ſuſpecti eſſe incontinentiæ, qui ** *divinarum rerum ſervitio* ſunt dedicati; atqui incontinentiæ ſuſpecti ſunt qui uxore prima minimè contenti, ad ulteriores nuptias convolant. Tertia, eaque univerſalior, eſt defectus Sacramenti. *Qui* enim, ait Auguſtinus lib. de bono conjugii cap. 18. *exceſſit uxorum numerum ſingularem..... normam quandam Sacramenti amiſit...... ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam.*

Prob. 2do. de bigamiâ interpretativâ ex cap. 4. 5. & 7. *De bigamis.*

Prob. 3tio. de bigamia ſimilitudinaria, ex cap. 4. *De bigamia* ubi vult Innocentius III. ut *cum Clericis, qui quantùm in ipſis fuit*, ſuſceptis Ordinibus *ſecundas mulieres ſibi matrimonialiter conjunxerunt, tanquàm cum bigamis non liceat diſpenſari licèt in veritate bigami non ſint.* Ut quædam exponantur.

Quæres 1mo. circa bigamiam realem, an ex bigamia irregularis ſit qui duas duxit uxores, alteram ante Baptiſmum, alteram poſt, vel utramque ante Baptiſmum. R. affirmat. 1mo. quia ità ſentiunt SS. Auguſtinus lib. de bono conjug. cap. 18. Innoc. I. Ambroſius, lib. 1. Offic. cap. ult. S. Thomas & alii complures; 2do. quia irregularitas ex bigamia non eſt ex delicto, ſed ex defectu ſignificationis matrimonii: porrò defectus ille ſignificationis tam reperitur in eo qui plures ante Baptiſmum uxores duxit, quàm qui poſtea.

Quæres 2do. an, & quæ matrimonii conſummatio requiratur ad bigamiam realem.

R. 1mo. ex matrimonio, niſi conſummatum ſit; non exurgit bigamia realis; unde ſi ſponſa poſt ratum matrimonium nec conſummatum, Religionem profiteatur, ſponſus qui alteram ducet, non eſt bigamus. Idem eſt de eo qui



* *Epiſt.* 2. *ad Victric. cap.* 6. ** *C.* 3. *diſt.* 26. *** *Gelaſ. Ep.* 9.

vel plures duceret uxores, & cum nulla, vel una tantùm matrimonium consummaret;* vel *ab alio viro ductam, sed minimè cognitam* duceret. Ratio est, quia *nec illa, nec ipse*, in ullo ex propositis casibus, *carnem suam divisit in plures*, cùm caro non nisi per copulam dividatur: porrò ubi non est divisio carnis, non potest esse defectus Sacramenti.

R. 2do. matrimonium non consummari sola copula, nisi accedat seminis emissio; & quidem intra vas debitum. Ità vulgò Theologi.

Quæres 3tio. circa bigamiam interpretativam, an bigamus sit qui secundum matrimonium invalidè contraxit defectu consensûs, ac proinde non ex animo contrahendi, sed illusoriè & ad extorquendam copulam. R. affirm. 1mo. quia Christianus qui vivente primâ uxore scienter secundas nuptias contrahit, fit irregularis, ut tenent *S. Thomas & omnes*, ait Suaresius: atqui impossibile est, ut Christianus qui vivente primâ uxore secundas nuptias contrahit, sinceram habeat intentionem verum efficiendi matrimonium, eique intùs & ex animo consentiat; ergo. 2do. quia si vera matrimonium contrahendi intentio ad hancce bigamiam necessaria foret, Sacerdos qui ex ignorantiâ secundas nuptias contraheret fieret irregularis, non verò si scienter & ex malitiâ: atqui absurdum est consequens.

Quæres 4to. an conjugatus vel Sacerdos, qui plures habent concubinas, fiant irregulares. Videtur quòd sic: si enim irregularis est qui ducit uxorem à priori marito justè cognitam, à fortiori irregularis esse debet qui ipsemet carnem suam divisit in plures; cùm unicuique factum suum plus nocere debeat, quàm factum alterius. R. tamen negat. & id quoad Sacerdotes decisum habetur cap. 6. *De bigam.* Quod spectat ad difficultatem propositam, dico 1mo. In his quæ à jure positivo pendent, non esse à pari nec à fortiori discurrendum. Objectio proposita ostendit quidem eum qui cum pluribus fornicatus est, potuisse declarari irregularem, non probat verò eum de facto irregularem esse. Dico 2do. eo tempore quo bigamiæ irregularitas instituta fuit, impudicitiæ scelus irregularitatem longè majorem invexisse, quàm quæ per bigamiam incurrebatur: at temporum lapsu, rebus propter morum intemperantiam mutatis, abrogata est irregularitas ex impuritate ob quam plures è Clero arcendi fuissent; remanserunt verò res in eodem ac erant statu erga irregularitatem bigamiæ quæ rarior est. Dico 3tio. crimina impuritatis communiter occulta esse, bigamiam verò communiter esse publicam:

* *C.* 5. De Bigam.

cam: Unde faciliùs hujus quàm illorum irregularitas perseverare potuit.

Quæres 5to. an bigamus sit qui puellam non ab alio, sed à seipso priùs violatam ducit. R. negat. 1mo. quia id nullibi expressum est in jure, cùm textus qui requirunt, ut quis virginem ducat, nè bigamus sit, sic facilè intelligi possint, ut non debeat ducere ab alio corruptam; 2do. quia in hoc casu nec sponsus nec sponsa carnem suam diviserunt in plures.

Quæres 6to. an irregularitatem contrahat qui ad uxorem adulteratam accedit, sed invitus putà quia ad id coactus est per censuras. R. affirm. cùm enim hæc irregularitas non ex delicto sed ex defectu proveniat, contrahi debet quoties dividitur caro, nec servatur significatio perfecta Sacramenti: atqui in proposito casu dividitur caro, &c. Hinc nec bona fides excusat à bigamiâ, nec ipsa, ut ità dicam, æquitas: quare qui carnaliter cognoscit uxorem suam, quæ auditâ mariti morte, alteri bonâ fide nupserat, bigamus est & irregularis. Hinc etiam irregularis est, qui accedit ad uxorem suam ab alio cognitam per vim vel dolum: quia quamvis mulier oppressa, non sit adultera, non est tamen apta ad repræsentandam unionem Christi cum eâ sponsâ quæ virum nunquam experta est.

Quæres 7mo. circa bigamiam similitudinariam, an ut Religiosus; sic & Subdiaconus fiat irregularis si matrimonium contrahere & consummare attentet. R. affirm. 1mo. quia ex c. 24. XXVII. q. 1. *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricati sunt, professione contemptâ, inter bigamos haberi* debent; atqui non Monachi solùm, sed & Clerici in Sacris virginitatem polliciti sunt; ergò *inter bigamos haberi* debent, si ad nuptias transire ausint; 2do. quia vult Alexander III. ut Sacerdotes qui nuptias sacrilegè attentarunt, * *post longam pœnitentiam .... officio suo restitui* possint, *& ex indulgentiâ Episcopi, ejus executionem habere*; ergo supponit eos manere irregulares, donec peractâ pœnitentia ab Episcopo dispensentur.

Quæres 8vo. an Laicus irregularis sit, si ducat Monialem professam. R. negat. jura enim decernunt quidem ut irregularis sit qui post emissum castitatis solemne votum, nuptias contrahit; at id non decernunt de eo qui ab omni voto liber contrahit cum Moniali professâ: porrò non incurritur irregularitas, nisi in casibus jure expressis.

Quæres 9no. an irregularitas ex bigamia sit dispensabilis. R. esse; idque patet 1mo. ex penè unanimi Doctorum consensu;



* *Cap.* 4. De Cler. conj.

2do. ex praxi antiquâ: Lucius enim III. cum Episcopo Panormitano, qui bigamus erat dispensavit; 3tio. ideò irregularitas ex bigamiâ auferri non posset, quia instituta est ab Apostolo: atqui hæc ratio non valet; cùm Constitutiones Apostolorum præcisè ut tales non transcendant jus humanum, & Ecclesia in his quæ ad jurisdictionem spectant, eandem cum ipso Petro potestatem habeat.

Quæres 1omo. quis in bigamiâ dispensare possit.

R. 1mo. Solus Papa in bigamia vera & interpretativa, saltèm quoad Ordines sacros dispensare potest. Ratio est, quia hæc potestas nullibi Episcopis conceditur in jure, imò iisdem expressè interdicitur c. 2. *De bigam.* ubi *Ordinatores, privandi* dicuntur *potestate & officio ordinandi*, si quempiam ex bigamis *ad sacros Ordines* promoverint. Ità Theologi & Canonistæ.

R. 2do. Probabiliùs est eosdem bigamos nè ad tonsuram quidem & minores Ordines, ab Episcopis dispensari posse; nisi fortè contrarium antiquo usu firmatum sit. Ratio est 1mo. quia Concilium Lugdunense II. Can. 16.* declarat *bigamos omni privilegio Clericali nudatos, & ipsis sub anathemate* prohibet *deferre tonsuram, vel habitum clericalem*: Tridentinum verò sess. 23. c. 17. de reform. vetat nè bigami ad *Ordinum minorum munia* applicentur: sed qui jam acceptis Tonsurâ & Minoribus, eorum ministeria exercere non possùnt, multò minùs ad ea possunt promoveri; ergo bigami nè ad Tonsuram quidem dispensari possunt ab Episcopis, qui contra Conciliorum generalium statuta nihil valent; 2do. quia ità definitum est à S. Congregatione, & à Sixto V. apud Fagnan. in c. *Quoniam, De Constitution.* Atque hinc colligit Suarez Episcopos nequidem ad usum Minorum cum bigamis dispensare posse, quia id etiam nullo jure Episcopis concessum est, imò satis eisdem per citatos Canones interdictum.

Hæc assertio limitatur in casu necessitatis gravis, & cùm ad Papam recurri non potest: quia Ecclesia tacitè consentit ut non reserventur leges, quæ sine gravi populorum damno, servari non possunt.

R. 3tio. Episcopus dispensare potest in bigamiâ similitudinaria non solùm ut qui eam contraxerunt, peracta pœnitentia suis Ordinibus utantur, sed etiam ut ad altiorem gradum promoveri possint. Ità habetur c. 4. *de Clericis conjugat.* & c. 1. *Qui Clerici*, &c.

Excipe 1mo. cùm quis post emissum solemne castitatis votum, contrahit cum viduâ, vel non virgine; 2do. cùm contrahit quidem

* C. *unic.* De big. in 6.

dem cum virgine, ſed jam ante Ordinum ſuſceptionem contraxerat cum alia, poſt cujus mortem Ordines ſuſceperat. Ità omnes ex c. 4. & 7. *De bigam.* Ratio eſt, quòd in his caſibus jungatur bigamia interpretativa ſimilitudinariæ.

Hic duo notanda: 1mo. Prælatos Regulares, ſpectato jure communi & ſecluſis privilegiis, nihil aliud cum ſubditis ſuis poſſe, quàm quod cum Diœceſanis ſuis poſſunt Epiſcopi: unde cum iis nè ad minores quidem Ordines diſpenſare poſſunt in bigamiâ vera vel interpretativa; ſecùs ſi agatur de ſimilitudinaria; 2do. in petenda diſpenſatione explicandum eſſe quot quis contraxerit matrimonia: quia in ſupplicatione id exprimendum eſt quod diſpenſationis aſſecutionem longe difficiliorem reddit. *Vidimus* autem, ait Corradus, *quandoque fuiſſe trigamo, nempe ei, qui cum virgine & ſucceſſivè cum viduâ contraxit, denegatam diſpenſationem: quidquid dicat Navarrus.*

# CAPUT OCTAVUM.

## *De Irregularitate ex defectu lenitatis.*

NEmo ambigit quin generatim loquendo irregularis ſit omnis & ſolus baptizatus, qui actu conſummato & voluntariè hominem occidit vel mutilat, aut ad homicidium vel mutilationem proximè concurrit. Patet id ex Clementina unica *De homicidio.* * Et verò cùm Ordines omnes referantur ad Euchariſtiæ Sacramentum, in quo repræſentatur paſſio Chriſti, qui in toto vitæ decurſu mitem ſe exhibuit, & qui inſtante tenebrarum hora cùm pateretur non comminabatur, evidens eſt hominem juſta etiam de cauſa homicidam à norma & exemplo Chriſti deficere, ac proinde meritò conſtitui irregularem.

Dixi 1mo. *generatim loquendo;* propter quaſdam exceptiones, de quibus in decurſu.

Dixi 2do. *omnis & ſolus baptizatus;* quia jura de eo ſolum loquuntur qui *homicidii poſt Baptiſmum conſcius fuerit*, cap. 8. & 61. diſt. 50.

Dixi 3tio. *qui actu conſummato;* lex enim factum requirit. cap. final. xv. q. 1. Hinc ab irregularitate immunes manent 1mo. qui ſolùm conantur occidere vel mutilare, ſed id exequi non poſſunt; 2do. qui vulnerant, lacerant ſanguinem



* *S. Thom.* 2. 2. q. 40. a. 2.

effundunt, nisi sequatur mors aut abscissio membri, directè vel indirectè; sive mors per miraculum aut aliter impediatur.

Dixi 4to. qui *voluntariè*; quia furiosus, infans, dormiens, ebrius, &c. si occidant, irregulares non fiunt, ob rationis defectum. Excipitur dormiens qui prævidet se, cùm, v. g. interdiù iratus est per noctem arma rapere, & iis obvios ferire; is enim nisi arma sibimet subtrahat, irregularis fiet, etiam in somnis occidendo. Idem de ebrio dicendum.

Dixi 5to. *occidit vel mutilat*; homicidium enim & mutilatio quantùm ad incurrendam irregularitatem æquiparantur in citata Clementina *De homicid.* quanquam irregularitas ex homicidio semper Papæ reservata est, non autem quæ est ex mutilatione. Ut intelligatur quid ad mutilationem sufficiat vel non.

Quæres, 1mo. quid sit mutilatio. R. est membri truncatio, seu amputatio. Hinc irregularis non est qui membrum incidit, debilitat, aut aridum reddit: quia mutilatio significat separationem, abscissionem aut diminutionem membri, non incisionem meram aut percussionem. Undè rursùs sequitur Judicem absque irregularitatis periculo condemnare sive ad torturam, licèt hæc debilitet membra, sive ad flagella.

Quæres, 2do. quid intelligatur nomine membri.

Nota triplex esse partium genus: aliæ non pertinent, nisi ad ornatum, ut barba & mammæ in viris; aliæ non tantùm pertinent ad integritatem individui, sed etiam proprium habent officium ab aliis partibus distinctum, ut oculi ad videndum; aliæ demum pertinent non solùm ad ornatum corporis, sed & ad ejus integritatem; ità ut tamen non habeant operationem ab aliis distinctam, sed accessoriam & conjunctam cum aliquâ parte præcipua, tales sunt digiti qui manibus, dentes qui linguæ & ori inserviunt. His positis,

R. Partes quæ proprium & distinctum ab aliis officium exercent, seu quæ sunt quasi integrum instrumentum proximum alicujus actionis, eæ, inquam, solæ partes sunt veri nominis membra; ac proinde ex istarum non item ex aliarum amputatione nascitur irregularitas. Ratio est 1mo. quia hæc membri acceptio Juri canonico satis consentanea est. Nam c. 6. *De corpore vitiat.* is cui deest manus altera, dicitur simpliciter mutilatus: at verò c. 2. *De Clerico ægrot.* qui *duos digitos cum medietate palmæ* amisit, non dicitur membro truncatus, sed debilitatus & deformis; 2do. quia in odiosis non est extendenda vocum significatio, sed strictè accipienda; ergo licèt digiti, v. g. utcumque vocari possint membra, quia tamen rigorosè membra non sunt, non debent intelligi

membri

membri nomine in materia irregularitatis, quæ ut ſuo modo pœnalis, eſt odioſa; 3tio. quia ſi membrum dici poſſet ea pars quæ aliis partibus ſocia eſt & adjutrix in earum officio pars digiti quæ certè manum in officio ſuo adjuvat, membrum dici deberet; ſicque qui partem digiti amputaret, eſſe irregularis, quod nè ipſe quidem Cajetanus admittit.

Obj. Non minùs qui pollicem aut indicem abſcindunt alicui, irregulares eſſe debent, quàm is qui abſciſſionem illàm patitur; imò magis, cùm culpa ſit in mutilante, non in mutilato: atqui is cui abſcinditur pollex, eſt irregularis; ergo & qui abſcindit; ergo & pollex verum eſt membrum.

R. neg. maj irregularitas enim non incurritur, niſi in caſibus jure expreſſis: atqui expreſſum eſt in jure, ut qui certos habent defectus, etiam ex aliorum culpa, ſint irregulares, non autem ut qui horum defectuum cauſa ſunt, & ipſi ſemper irregulares ſint: unde omnino falſum eſt quod aliqui regulæ inſtar aſſumunt, irregularem eſſe eum per quem alter efficitur irregularis. Nam irregularis non eſt qui manum alterius debilitavit, & tamen irregularis eſt cujus manus debilitata eſt & enervata. Neque etiam irregularis eſt qui potione alium in amentiam vertit, qui filium ſpurium genuit, qui ad neceſſariam vitæ ſuæ defenſionem alium mutilavit; tametſi amentes, & alii mox enumerati, irregulares efficiantur. A contrario poteſt quis irregularis fieri ex actione quæ alium irregularem non reddat, ut patet in eo qui alii injuſtè membrum virile reſecat.

Ex his infero irregularem non fieri qui alterius auriculam amputat; quia auricula ſeu cartilago quæ eſt circa aurem, non eſt membrum, cùm auditui neceſſaria non ſit. Aliud eſt de eo qui feminæ mamillam abſcindit; quia mamilla quælibet in feminis officium nutriendi habet per ſe diſtinctum, ſicut quilibet oculus officium habet videndi.

Dixi 4to. qui *hominem* occidit aut mutilat; hinc irregularis eſt qui Paganum vel Hæreticum, aut alium quemlibet interficit, quia & ii homines ſunt. A contrario irregularis non eſt: 1mo. qui invento cadavere inimici cui mortem parabat, in ipſum ex rabie deſævit, ejuſque membra abſcindit; 2do. qui virum aut mulierem ſterilem reddit; cùm nè is quidem irregularis ſit qui fœtûs nondum vivificati abortum procurat.

Dixi 5to. *vel concurrit*, &c. ſive phyſicè ut carnifex; ſive ſolùm moraliter, idque vel poſitivè, ut mandans, conſulens, &c. vel negativè ut non obſtans, qui ex officio obſtare tenetur. Quæ ut ex parte in Capite præſenti ſolvantur, variæ hic pro-

ponendæ ſunt quæſtiones circa quadruplex hominum genus, qui ſine peccato, & aliquando meritoriè alios necant aut mutilant, quales ſunt 1mo. Judices & quotquot morti reorum legitimè cooperantur; 2do. milites qui in bello juſto pugnant; 3tio. Chirurgi, qui ut toti conſulant, partem abſcindunt; 4to. qui ut vitam ſervent, alienam invadunt. Ab ultimis exordium ducam.

---

## ARTICULUS PRIMUS.

*An irregularis ſit qui occidit ad defenſionem vitæ, &c.*

Conclusio. Qui ut vitam ſuam ab injuſto invaſore tueatur eundem mutilat vel occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ non fit irregularis.

Prob. ex Clementina unica. *De homicid.* ubi ſic: *Si furioſus aut infans, ſeu dormiens, hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit; & idem de illo cenſemus qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit vel mutilat invaſorem.*

Si tamen, ut ſæpe fit, dubitetur, an invaſus intra moderatæ defenſionis limites ſteterit, tunc ad majorem cautelam, tollendamque omnem ſcandali, propriive ſcrupuli occaſionem, res tota Epiſcopo aperiri debet, ut videat an homicida indigeat diſpenſatione; prout præcipit Trident. Seſſ. 14. c. 7.

Dixi 1mo. ut *vitam ſuam* ſervet; quia Clemens de eo ſolùm loquitur *qui mortem aliter vitare non valens*, occidit vel mutilat: hac occaſione.

Quæres 1mo. an irregularis ſit qui ſuâ culpâ conſtituit ſe in neceſſitate vel occidendi vel moriendi: putà qui in adulterio deprehenſus, maritum occidit alioqui ab eo occidendus. R. eum qui in tali neceſſitate ſe conſtituit, aliquando eſſe irregularem aliquando non. Non erit quidem irregularis, ſi non obſtante neceſſitate in quam ſe conjecit, ſervet jus ad vitam ſuam, & occidendi neceſſitatem nec præviderit, nec prævidere potuerit, erit verò irregularis, ſi deſit alterutra conditio. Secunda pars quæ primæ partis probationem importat.

Prob. 1mo. quia qui occidit quando non habet jus vitam ſuam cum vitæ alienæ diſpendio conſervandi, eſt injuſtus occiſor: atqui injuſtus occiſor eſt irregularis; ergo qui occidit cùm non habet jus vitam ſuam per alterius occiſionem conſervandi, eſt irregularis: unde irregulares ſunt, qui ut propriæ vitæ conſulant,

lant,

lant, occidunt vel hostes in bello injusto, vel satellites à quibus justè quæruntur ad mortem.

Prob. 2do. quia qui formaliter homicida est, irregularitatem incurrit: atqui potest quis servare, jus ad vitam suam, & tamen esse formaliter homicida injusti invasoris. Potest enim quis alium quem ad effusionem sanguinis promptum esse cognovit, conviciis insequi: sed qui sic provocat & insequitur alium, servat jus in vitam propriam, cum alter non habeat jus occidendi eum à quo injuriis afficitur; aliunde verò est idem formaliter homicida; cùm sciens & volens homicidii causam posuerit; ergo tunc erit uterque irregularitati obnoxius; ergo falsum est id quod aliqui dicunt toties aliquem ab irregularitate immunem esse, quoties vitam suam tuetur contra eum à quo injustè invaditur; ergo melius diximus, ad hoc, ut quis irregularitatem ex homicidio non contrahat, duo requiri, nempè ut servet jus ad vitam suam, & ut nec præviderit, nec prævidere potuerit homicidium ex injustâ suâ actione secuturum; ergo rursus, ad judicandum an quis irregularitatem incurrerit, inspiciendæ sunt singulæ rei circumstantiæ, ut intelligatur an qui malâ aliquâ actione se implicavit, in eâ tanquam in causâ homicidium virtualiter voluisse conseatur.

Quæres 2do. an irregularis sit qui cùm fugere potest, iniquum invasorem mutilat. R. affirm. quia Clementina citata eum duntaxat ab irregularitate eximit; *qui mortem aliter vitare non valens*, mutilat vel occidit: porrò qui fugâ vitæ suæ consulere potest, potest aliter quàm occidendo mortem vitare. Hinc si invasor ipse jam arriperet fugam, irregularis esset invasus, etiam ab eo graviter vulneratus, si eum insequeretur, & occideret; quia jam non esset defensio licita, sed ultio privatis personis prohibita. Eâdem de causâ irregularis est qui occidit, cùm sufficeret mutilare, quia non sistit intra limites licitæ defensionis.

Quæres 3tio. an irregularis sit, qui parantem insidias ad inferendam necem, prævenit & occidit. R. Insidiæ vel tales sunt, ut instet mors, nisi præveniantur: vel aliâ quàm occisionis viâ declinari possunt. Si 1. irregularis non est qui occidit, quia cùm nullum aliud habeat medium salvandi vitam, vera est defensio. Si 2. irregularis est quia non occidit pro vitâ quam aliter servare potest.

Quæres 4to. an qui ob honoris vel bonorum defensionem, alium occidit, exinde irregularis evadat. R. affirmat. quia homicidium & mutilatio semper pariunt irregularitatem præterquam in casibus jure exceptis: atqui in jure non excipi-

tur

tur casus, nisi defensionis vitæ propriæ. Qui autem honorem vel fortunæ bona defendit, non defendit vitam propriam, nisi in casu ferè metaphysico, quo quis eripere vellet bonum sine quo vita sustentari non posset.

Quæres 5to. an irregularis sit qui alium necat, ut servet vitam patris, fratris, alteriusve consanguinei, aut proximi innocentis, quam aliter servare nequit. R. probabilius est quòd sit: quia citata toties Clementina eos solùm ab irregularitate eximit, qui occidunt cùm aliter mortem propriam vitare non possunt: id autem non habet locum, quando quis non ob propriæ sed ob vitæ alterius defensionem, alium occidit.

An autem incurrat quis irregularitatem cùm non solùm occidere licitè potest, sed & ad occidendum tenetur jure naturali vel divino, ut si Rex qui invaditur, defendi debeat; non convenit inter præcedentis responsionis assertores. Negat Avila: 1mo. quia si occidens ad defensionem vitæ corporalis, ab irregularitate immunis sit, à fortiori ab eâ liber erit, qui occidit, nè spiritualiter moriatur, transgrediendo præceptum naturale; 2do. quia vix credi potest Ecclesiam aliquem damnificare eo quòd præceptum naturale impleat, 3tio. quia alioqui multi metu irregularitatis ab executione præcepti naturalis impedirentur; 4to. quia homicidium ut inducat irregularitatem, debet esse volitum saltèm in causâ, ut in Judice, qui professionem Judicis amplexus est quia voluit: porrò tale non est homicidium de quo loquimur in præsenti.

Dixi 2do. in Conclusione, *cum moderamine inculpatæ tutelæ;* est porrò moderamen illud evitatio excessûs in suî suorumque defensione, ità ut non fiat plùs quàm secundùm rectam rationem necesse sit ad propulsandam injuriam. Unde excedit modum justæ defensionis, ac proinde irregularis fit; qui occidit aut mutilat ut calumniam, minas & similia propulset; ista enim non sunt propriè *vis*, ac proinde aliâ viâ, judicii scilicet, vel saltèm patientiæ & mansuetudinis repelli debent.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De occidentibus in ordine judiciario.*

NOta 1mo. potest quis ad alterius mortem in ordine judiciario concurrere, vel cooperando ad prolationem sententiæ, & sic concurrunt accusator, denuntiator, testes, Judices,

ces, capitalium causarum Libellio;* &c. vel cooperando ad ejusdem sententiæ executionem, & sic concurrunt carnifex, satellites, vendentes supplicii instrumenta, &c.

Not. 2do. circa hanc materiam nec Galli cum exteris, nec utique secum invicem conveniunt: 1mo. itaque juxta exteros quisquis alium criminaliter accusat, seu contra eum agit ut puniatur, contrahit irregularitatem, si Judex accusato mortem aut mutilationem inferat. Ratio est, tùm quia tunc directè ac per se expetitur vindicta sanguinis; tùm quia Bonifacius VIII. cap. 2. *De homicid.* in 6. eos solùm Clericos ab irregularitate excusat, qui de malefactoribus apud Judices conquerendo *petunt emendam* seu satisfactionem *sibi fieri, protestando expressè quòd vindictam seu pœnam sanguinis non intendunt*; ergo qui accusat criminaliter, semper irregularis est, etiamsi protestetur se nolle mortem accusati, quia protestatio facto contraria planè inutilis est: qui verò civiliter, seu ad boni sui recuperationem accusat, irregularitatem vitat, si protestationem à Bonifacio VIII. præscriptam emittat: secùs si omittat, etiam ex oblivione vel ignorantia.

Idem est juxta plures, si protestatio hæc non sit sincera; quia protestatio non operatur in ordine ad vitandam irregularitatem, nisi talis sit qualem eam lex requirit: porrò lex seriam non autem mendacem & fraudulentam protestationem requirit. Ità S. Antonin. Pontas, &c.

In Galliâ non subsistunt eæ difficultates, quia in hoc Regno nemo furem, aliumve insequitur, nisi civiliter; nam criminaliter insequi solius est Procuratoris Regii, vel jurisdictionalis. Si tamen accusator intenderet mortem malefactoris, irregularitatem non effugeret, ait N. Alexander: unde denuntiatores, qui Judicibus detegunt authorem criminis, quod nec sibi nec ulli è suis nocivum fuit, communiter pro irregularibus haberi debet, quia solam rei pœnam intendere videntur: secùs si eos denuntient qui grave aliquod malum meditantur: quia tunc mali hujus aversionem, non pœnam rei intendere præsumendi sunt, nisi contrarium aliunde constet.

2do. Juxta eosdem extraneos Theologos, testes in causâ sanguinis, secutâ illius contra quem testantur, morte vel mutilatione, irregulares sunt; quia reorum morti principaliter cooperantur: nec est quòd irregularitatem evadere putent, emittendo prædictam protestationem; ea enim non in testium, sed in accusatoris solius favorem introducta est. Excipiunt Suarez dis. 47. & alii casum in quo testis ad ferendum testimonium obligatur, seu jure naturali, ut si aliter inno-

* *Notarius actuarius.*

innocentis vita conservari nequit; seu præcepto Superioris, seu metu in virum constantem cadente, neque enam, inquiunt, credibile est Ecclesiam eos ab altaris ministerio arcere qui implent id à quo sine peccato, vel gravi detrimento abstinere non possunt.

Aliter sentiunt Galli, præter paucos; testesque ab irregularitate eximunt: 1mo. quia alioqui pessimè consultum esset bono publico, si ii qui facinorosos cognoscunt, eosdem, ob irregularitatis metum detegere non auderent; 2do. quia Canones quibus nituntur Ultramontani, vel hoc in Regno recepti non sunt, vel nihil probant, ut * ostendit Pontas. Censent tamen Doctores nostri, irregularitatem contrahi à testibus, cùm eos ad testandum inducit, non boni publici desiderium, sed mortis alienæ libido.

3tio Exteri Theologi pro irregularibus habent Procuratorem, Advocatum & Scribam: moventur iisdem rationibus ac supra, nempe quod ii omnes in mortem sontis proximè influant.

Aliud communiter sentiunt authores Galli de Procuratore & Advocato, nisi ambo vel innocentis causam malè defendendo, ipsius mortem procurassent; vel reum injustè tuendo, fuissent in causâ cur justus accusator mortem sonti debitam subiisset. Major est controversia de Scribis, ideoque censet Pontasius tutius esse, ut iidem Scribæ dispensationem obtineant *ad majorem cautelam*: & id sequerer in praxi.

4to. In Galliâ & alibi irregulares sunt 1mo. Procurator Regius, vel alius hujusmodi, qui reum morte plectendum esse *concludit*; 2do. Judices qui sententiam mortis ferunt; 3tio. Lictores qui sontem deducunt: 4to. tortor qui eum morte afficit. Ratio est, quia ii omnes proximè influunt in mortem rei. Qui verò furem comprehendunt, aut in causa sunt clamore suo ut ab aliis comprehendatur, aut eum Judici tradunt, non sunt irregulares, quia nemo eorum habetur ut proxima mortis causa.

Sed quid de Clericis qui reorum supplicio intersunt. R. eos peccare contra id Concilii Lateranensis sub Innocentio III. * *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit.* Nulla tamen hinc pertimescenda irregularitas: 1mo. quia nemo per simplicem assistentiam, reorum morti cooperatur; 2do. quia id docet Glossa communiter recepta; 3tio. quia peccatum illud communiter pro veniali solùm haberi consuevit. Quæ-

* *Cas.* 58. ** *Cap.* 9. Ne Clerici, *&c.*

Quæres an irregularitati subjaceant funium vel furcarum artifices, qui hæc justitiæ ministris ad reorum occisionem præbent. R. cum S. Antonino: Vel quis *fecit scalas, vel funes, vel gladium, non ad mortem inferendam, sed ad omnes usus, & casu posteà aliquis utitur ipsis ad occisionem;* & tunc irregularis non est, quia vendidit aliquid tùm in se, tùm in intentione suâ indifferens, quodque forsitan non vendidisset, si futurum ejus usum cognovisset: vel hæc instrumenta, sciens & volens, ad aliorum occisionem vendit, & tunc videtur irregularis; quia actione suâ in mortem alterius tendit: unde faber qui in solos tortorum usus laboraret, non levem crudelitatis notam in ore populi sustineret. A fortiori irregularis est qui projicit vel defert ligna, ut vivus quis comburatur; secùs, si solùm ut comburatur cadaver illius qui jam suffocatus est.

Si quis per accidens solùm & præter intentionem causa est cur reus citiùs moriatur, non fit inde irregularis; quia effectus per accidens non imputatur ei qui dat operam rei licitæ: unde qui a Judice impetrant ut reus per viam consuetam non ducatur, ne juxta matris suæ domum transeat, irregulares non sunt, etsi inde fiat ut reus per viam breviorem ducatur, & citiùs pereat. Neque etiam irregulares sunt qui reum consolationis gratiâ comitando dicunt: Eia pergamus; sicut nec Confessarii qui carnificem monent se suo jam functos esse officio.

Dixi, *qui per accidens solùm. &c.* non enim ità clarum est eos ab irregularitate immunes esse; qui etiam bono & misericordi animo, rei mortem directè accelerant, unde, ait Nat. Alexander; irregularitatis periculo se exponunt qui carnificem hortantur ut furciferum citiùs interficiat, nè diù vexetur; ut omnino suffocet eum qui necdum satis strangulatus apparet, nè diutiùs langueat, ut crura hoc modo frangat, quia sic aperiet venam, unde reum citius moriturum esse continget. Utique, pergit idem Theologus, qui hæc faciunt, magnæ imprudentiæ rei sunt, & in dubio à suis functionibus abstinere, & à Papâ dispensationem efflagitare debent.

Quæres an irregularitatem incurrat Sacerdos qui grassantia crimina reprimi intendens, suadet Principi ut legem ferat, quâ qui scelera hæc commiserint, capite plectantur. Itèm an irregularis fiat Princeps qui legem hanc tulerit; vel Confessarius qui absolutionem denegat, seu Principi qui hujusmodi legem ferre non vult; seu Magistratui qui ut sonti par-

cat;

cat; secundum legem hanc judicare non vult; seu reo qui juridicè interrogatus, crimen suum detegere non vult.

R. neminem ex istis irregularem fieri: quia, ut quis incurrat irregularitatem, necesse est, ut in mortem proximè influat, & liberè, atqui ii de quibus agitur in quæstione propositâ, vel proximè non influunt in mortem, vel saltem non liberè; 1mo. quidem non influunt proximè. Qui enim fert legem quâ certorum criminum deinceps rei capite plectantur, directè & primariò tendit in Reipublicæ bonum, nec in quempiam determinatè animadvertit, sed generaliter loquitur: ergo non est causa particularis cur hic vel iste morti detur; ergo nec qui legem hanc tulerit, irregularis est, nec qui eam ferri suaserit aut præceperit; 2do. etiamsi proximè influerent, non tamen influerent liberè; cùm Confessarius non possit absolutionem tribuere Judici id, ad quod tenetur, facere nolenti.

At, inquies, non magis Confessarius in casu præsenti immunis est ab irregularitate, quàm Judex: atqui iste non, ex toties dictis; ergo nec ille. Prob. maj. Ideò Judex licet à ferendâ mortis sententiâ abstinere non possit sine peccato, contrahit nihilominùs irregularitatem, quia homicidium eidem saltèm in causâ voluntarium est, utpote qui Judicis officium spontè amplexus fuerit: atqui pariter Confessarius, Confessarii officium liberè amplexus est; ergo.

R. ad 1. neg. maj. Ad 2. ideò Judex ratione occisionis irregularitatem incurrit quia occisio malefactorum, officiò ejus necessariò & primariò annexa est, ità ut eam in se ut Reipublicæ bonam velit. At aliter se res habet de Confessario, cujus ministerium in solâ peccatorum reconciliatione consistit: ex quo fit, ut cùm specialiùs in reorum mortem influit, hanc non in se & directè velit, sed solam pœnitentis salutem, quæ pendet ab observatione legum, sive eæ mortem rei, seu aliud quid præcipiant.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De Militibus & Chirurgis.*

Circa milites, eosque qui in bello justo pugnant, quæritur 1mo. an simplex armorum gestatio, hominem militiæ adscriptum constituat irregularem. R. 1mo. etsi solent Bancarii Expeditionarii Curiæ Romanæ, iis qui arma gestaverunt, authores esse, ut dispensationem postulent; constat tamen eos de

jure

jure communi non esse irregulares; idque satis colligitur tùm ex c. 24. *De homicidio*, ubi Sacerdos qui contra Saracenos dimicaverat, eo solùm in casu ab altaris ministerio abstinere præcipitur *si de interfectione cujusquam in illo conflictu*, sua eum *conscientia remordet*; tùm ex unanimi Casuistarum consensu, qui omnes docent, neminem in bello justo irregularitati subjacere, nisi qui propriâ manu alium invaserit.

R. 2do. eum qui pugnæ interfuit, & dubitat cum fundamento, an quempiam interfecerit, aut qui de interfectione suspectus est, teneri dispensationem obtinere; sive nè aliis scandalo sit, sive nè partem minùs tutam in dubio homicidii sequatur.

Quæres 2do. an irregularis sit qui in bello justo, non occidit quidem propriâ manu, sed aliis occidentibus, aut mutilantibus opem tulit. R. eorum qui sive in bello, sive in rixa, occisioni iniquæ cooperantur, neminem ab irregularitate liberum esse; quia jus eos omnes punire voluit qui concurrunt ad crimen homicidii: at non idem est in bello justo in hoc enim ii solùm irregulares à jure constituti sunt, qui per se & propriâ manu occidunt, aut mutilant; quod meritò statutum est, nè ex actione unius aliquando hominis, tot alii canonicum hoc impedimentum contraherent, & sic à bellis etiam justis retraherentur. Eadem de causa irregulares non sunt etiam Clerici qui bellum justum consulunt.

Quæres 3tio. an aliquando ab irregularitate liberi sint qui in bello etiam justo mutilant vel occidunt. R. irregulares esse eos omnes qui in bello aggressivo mutilant vel occidunt, non autem qui in bello defensivo, nisi eò venerint animo præliandi. Prima pars patet tùm ex cap. 24. *De homicid.* tùm quia qui in bello justo occidunt, similes iis sunt qui authoritate publica malos tollunt è medio: ii porrò irregulares sunt, ut ostendimus. Secunda pars certa est, quia pejor non est conditio eorum qui in bello, quàm qui extra bellum, necessitate compulsi occidunt nè occidantur: atqui isti irregularitatem non incurrunt; ergo nec illi. Unde irregularitatis expertes sunt qui in bello etiam injusto positi præcisè ut milites spiritualiter adjuvent, aut pacem componant, in eas aliquando angustias veniunt ut vitam suam non nisi hostilis vitæ dispendio servare possint.

Dixi, *nisi eò venerint animo præliandi*; censent enim Suarez, & plures alii, eum qui pugnandi animo ad bellum etiam justum processit, irregularem fieri, si occidat etiam in propriæ vitæ defensionem: 1mo. quia qui præliandi animo aciem ingreditur,

ingreditur, saltèm in causâ vult homicidium, cui se exponit: atqui homicidio in se, vel in causâ volito, annexa est à jure irregularitas; 2do. quia Judex, licèt malefactorem occidere teneatur, non desinit esse irregularis, quia sponte accessit ad officium Judicis; ergo à pari miles qui excubias agit, quique occidendus est nisi occidat, non vacat ab irregularitate.

Quæres 4to. an qui alium hortatur ad fundendum pro fide sanguinem, irregularis sit secuta morte. R. negat. non enim causa est cur Judex impius mortem inferat, sed cur Christianus vividæ charitatis actum eliciat. Idem dicendum de eo qui alium precatur, ut se conjiciat in flumen, unde aliquem aquis abreptum extrahat: is enim non intendit mortem illius qui in flumen se conjicit, quam etiam probabiliter non prævidet, ut supponimus, sed solam pereuntis liberationem.

Quod spectat ad Medicos & Chirurgos.

Dico 1mo Laici qui medicinam aut Chirurgiam exercent, non sunt irregulares, morte etiam secutâ, licè membrum abscindant, modò secundùm artis suæ regulas operentur. Ratio est, quia in iis operationibus, non deest lenitas, sed elucet misericordia: neque enim membrum amputant in vindictam & pœnam, sed ad totius conservationem: unde patet quantùm eos inter & Judices intersit differentiæ.

Dixi, *modò operentur secundùm artis regulas*; si enim culpâ vel imperitiâ Medici aut Chirurgi, mors sequatur, incurrunt irregularitatem ex delicto; quia imperitia in iis qui ut periti operam suam promittunt, culpæ annumeratur. Cùm autem irregularitas ex delicto, non nisi ob peccatum mortale contrahatur, evidens est incuriam quæ Medico aut Chirurgo irregularitatem procurat, debere esse mortalem: sed simul fatendum in re tanti momenti, in quâ de vitâ hominum agitur, minùs ad culpam letalem requiri quam in aliâ materiâ. In dubio an Medicus aut Chirurgus necessaria usus sit diligentiâ, pro irregulari habere se debet, ut colligitur ex cap. 18. *de homicid.* A fortiori irregularis est qui ut potionis sibi non satis cognitæ experimentum faceret, eandem propinavit ægroto qui ex eâ mortuus est.

Si Medicus porrigat ægroto medicinam quam dubitat illi profuturam esse, videndum est an aliud præsto habeat remedium, aut certum, aut â prudentioribus Medicis in eodem casu adhiberi solitum, an non. Si habet; peccat & irregularis est, qui in re tanti momenti dubia & incerta certis præponit. Si non habet, videndum rursus an infirmi salus desperata sit, necne. Si necdum desperata sit, adhuc peccat; & irre-

& irregularitatem contrahit, quia censetur incerto remedio eum peremisse, quem natura sanare potuit, aut qui fortasse vixisset donec certiori remedio reficeretur. Si verò jam desperata sit ægrotantis vita, non videtur irregularis si applicet remedium, de quo dubitat profuturumne sit, an secus; quia satius est aliquid de se non malum tentare cum spe salutis, quàm inertem & otiosum mortis alienæ spectatorem manere. Hinc patet quid sentiendum de Chirurgo qui membrum abscindit dubius, sitne abscindendum.

Dico 2do. Clericus, etiam in sacris, non fit irregularis exercendo medicinam aut chirurgiam secundùm artis regulas, citra incisionem aut adustionem. Ratio est, quia id nullibi prohibitum est Clericis; unde si mors sequatur, modò non ex eorum incuriâ & culpâ, irregularitatis expertes sunt. Sicubi tamen medicinam aut chirurgiam exercent Sacerdotes cautè simul & sobriè gerere se debent: cautè, nè periclitetur eorum castitas & fama, si frequentiùs cum feminis versentur, & aliquos curent morbos qui pudicum oculum lædunt: sobriè, ut pauperum, non itèm omnium medici esse videantur, utque id non faciant quod alii istius professionis homines facere possunt.

Dixi 1mo. *secundùm artis regulas;* quia qui eas ignorat, occidendi periculo se exponit, ac proinde secutâ morte irregularis est.

Dixi 2do. *citra incisionem, &c.* quia Concilium Lateranense * prohibet nè *ullam chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit:* unde Sacerdos, etsi omnem adhibeat diligentiam, & secundùm artis regulas brachium abscindat, erit irregularis si mors inde sequatur:

Circa hanc assertionem quædam notanda: 1mo. Clericus si tantùm consulat, imperet, aut opem ferat Chirurgo, ut membrum abscindat; irregularitatis expers manet, etiamsi mors sequatur modò non sequatur ex consilii vel jussionis imprudentiâ, sed ex vi morbi. Ratio est, quia etsi Clericis sacris vetitum est, ut per se adurant, aut incidant, non tamen ut id ab aliis fieri suadeant aut imperent, si sat periti sint, ut id prudenter suadere valeant. Et verò pœna in operantes imposita non ligat mandantes, nisi lex exprimat, 2do. si Subdiaconus urgente necessitate putâ tempore pestis, deficientibus vel nolentibus Chirurgis, membrum incidat vel amputet, non erit irregularis; quia excusat necessitas, 3tio. si Clericus extra casum necessitatis abscindat membrum, & mors non sequatur, peccabit quidem contra legem Concilii



* *Cap.* 6. Ne Clerici.

cilii Lateranensis suprà relatam: at non erit irregularis; quia irregularitas ex eâ solùm mutilatione incurritur, quæ per se ordinatur ad privationem membri, non autem ex ea quæ ordinatur ad conservationem totius, qualis ea est de qua agitur in præsenti. In dubio an mors secuta sit ex adustione, an ex vi morbi, vel ex ægroti culpâ qui regimen sibi præscriptum sequi noluit; tutius est, ut quis se gerat ut irregularem, nisi anteà obtinuerit licentiam artis hujus exercendæ. A fortiori qui contra Medici præceptum, aliquid tradit, aut tradi consulit infirmo; aut qui cùm debet, non obstat nè id tradatur, etiamsi id faciat nè æger diutiùs careret optato cibo, irregularitatem incurrit, si infirmus inde pereat, aut mors ejus acceleretur.

Quæres quis in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare possit. R. solus Papa vel quibus id ab eo concessum fuerit. Ratio est, quia per Tridentinum solummodò conceditur Episcopis, ut dispensent in irregularitatibus ex delicto, &c. porrò irregularitas ex solius lenitatis defectu non est ex delicto.

# PARS TERTIA.

## *DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO.*

## CAPUT PRIMUM.

### *De Irregularitate ex homicidio.*

HOmicidium dividitur in necessarium, voluntarium & casuale. Necessarium, illud est ad quod aliquis quasi obligatur, seu ratione legitimæ defensionis, ut cùm vitam suam aliter tueri non potest; seu ratione officii, ut cùm Magistratus sontem morti addicit.

Homicidium voluntarium, illud est quod contra æqui regulas intenditur directè; vel in se, ut cùm alicui collum abscinditur, vel in causâ adeò cum effectu conjunctâ, & ut tali cognitâ, ut non possit quis causam velle, quin effectum ab eâ inseparabilem voluisse censeatur; ut cùm quis venenum maximè mortiferum propinat alteri.

Homicidium casuale, illud est quod agens nec in se, nec

in

in causâ cum effectu necessario conjunctâ voluit, quodque ideò hoc sensu est præter intentionem agentis. Homicidium casuale duplex est: aliud purè casuale, quod etiam inculpatum vocatur: aliud mixtum & culpabile. Homicidium purè casuale, est illud quod præter intentionem agentis sequitur ex actione, ex quâ nec prævidetur, nec moraliter prævideri potest esse secuturum. Tale est homicidium ab eo factum * qui *cùm pulsaret campanas, ut conveniret populus ad divina, cadens tintinnabulum percussit quemdam puerum, qui* ex eo vulnere *decessit*. Homicidium casuale mixtum, est illud quod quis nec intendit, nec prævidit, sed prævidere potuit & debuit, & eatenùs impedire, sive majorem adhibendo diligentiam, sive abstinendo ab opere periculoso, in quo satis peritus non erat. Hinc patet in homicidio casuali mixto mortem partim casualem esse, quia ab agente non intenditur; partim voluntariam in causâ, quatenùs agens libere voluit aut omittere diligentiam debitam, aut suscipere opus in quo satis peritus non erat. Hinc rursùs homicidium non est voluntarium, prout voluntarium opponitur casuali mixto, quoties est contra intentionem agentis, etiamsi ex tali opere non rarò sed sæpius, modo tamen non necessario & inseparabiliter sequatur. Ratio est, quia in materiâ admodùm pœnali, illud duntaxat homicidium pro simpliciter voluntario habendum est, quod ut tale exhibetur à Jure & à Conciliis: atqui Jus & Concilia illud duntaxat homicidium ut voluntarium exhibent, quod directè volitum est, sive in se, sive in causâ cujus volitio cùm effectûs nolitione non compatitur. Homicidium enim simpliciter voluntarium à Jure & à Conciliis exhibetur, ut homicidium ** quod quis committit *per industriam, per insidias; voluntate suâ ex proposito, non ex casu*; atqui tale homicidium necessariò importat intentionem directam, voluntatem & propositum occidendi; cùm ibi non sit sermo de aliâ voluntate vel proposito quàm occidendi; ergo.

A contrario homicidium erit simpliciter voluntarium, etiamsi rarò admodum ex actione quæ posita est sequatur, modò ab agente intentum & præcogitatum fuerit: quia casuale & voluntarium in intentionem præsertim refundi debent: sicut ergo qui nec in se, nec in causâ inseparabili homicidium voluit, non censetur directè & simpliciter homicida; sic voluntariè homicida judicari debet, qui homicidium intendens; usus est causa quæ effectu suo frustrari poterat. Unde si quis campanam pulsat ea intentione ut cadens



* *C.* 23. De homicid. ** *C.* 1. De homicid. *Trid. Sess.* 14. *c.* 7

malleus aliquem obruat, quem de facto obrui contingat, pulsator ex hoc facto licèt parùm communi, homicidii voluntarii reus erit. His præmissis dicemus 1mo. de homicidio voluntario; 2do. de casuali.

---

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Irregularitate ex homicidio voluntario.*

HOmicidium simpliciter voluntarium gravissimam inducere irregularitatem, demonstrat id Synodi Tridentinæ sess. 14. cap. 7. *Qui suâ voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum conferri liceat, &c.*

Porrò voluntarii hujus homicidii ii omnes rei sunt, qui actione sive physica, sive morali, proximi mortem directè intendunt & procurant. Unde homicidæ voluntarii sunt: 1°. omnes qui in duello, in bello clarè injusto, &c. ex proposito alium injustè & spontaneè necant, sive protinùs & absque mora, sive sensim & via longiori; ut si quis alteri præbeat venenum, quo paulatim & aliquando plures post menses extinguitur: idque verum est, etiamsi dederit venenum animo ejusdem efficaciam experiendi; vult enim directè mortem, tanquam effectum in quo veneni sui vis manifestanda est. Quin & si is qui talem applicuit causam de facto suo sincerè doleat, priusquam eadem causa operetur, non ideo desinet fieri irregularis: quia sicut pœnitentia irregularitatem jam contractam non tollit, sic nec impedire potest quin eadem contrahatur, præcipuè in casu præsenti, in quo non impedit nè homo verè & efficaciter sit homicida, & dignus pœna tam civili quàm Ecclesiastica.

2°. Homicidæ simpliciter voluntarii sunt mandantes, consulentes & alii cooperantes; hi enim omnes veræ sunt homicidii causæ.

Circà mandantem hæc notanda: 1mo. eum homicidam directum reputari, etsi homicidium non expresfsè sed tacitè solùm mandaverit: unde * *si injuriatus dicat filio, vel famulo, Ne redeas domum, donec aliquid novi de te audiam*, censebitur autor homicidii inde subsecuti. Si tamen mandans mandatum revocavit, expresfsè, vel æquivalenter, jam nec

* *Avila.*

nec causa est homicidii, quod in mandatarii nequitiam refundi debet: nec irregularitatem contrahit.

2do. Si mandatarius à principio mandatum acceptare noluerit, illudque postea mutata voluntate exequatur, fortè etiam contra ipsam mandantis voluntatem qui à priori proposito recessit, idem mandans adhuc subjacet irregularitati: quia in hac materia non est sermo de mandato quod veram obligationem inducat, sed de mandato quod consistat in petitione, vel exhortatione acri; quâ alter ad agendum impellatur: hæc porrò omnia licèt ab initio repudiata, semper idonea sunt ad movendum, semperque mandatarii animo exhibent eam esse mandantis voluntatem, ut hostis ejus occidatur, donec ipsemet sufficienter declaraverit se voluntatem hanc abjecisse.

3tio. Si contingat mandatarium ab eo cui mortem intentat, occidi, mandans, (idem est de consulente) irregularis efficitur, non quidem irregularitate ex homicidio voluntario, cùm mandatarii mortem non intenderit; sed irregularitate homicidii casualis, quia causa fuit cur alter propriæ mortis periculo se exponeret; vix enim fieri potest, ut quis sine sui periculo, mortem alterius tam proximè machinetur.

Quod spectat ad consulentem, quæritur 1mo. an quisquis homicidium consulit, irregularis fiat. R. eum ab irregularitate immunem esse, si is cui consilium dedit, jam adeò ad homicidium paratus erat, ut nullam ex hoc consilio determinationem receperit. Aliter dicendum si consulens occidendi voluntatem in alio adaugeat, putà si suo efficiat consilio ut alter faciliùs, citiùs, crudeliusvè aut animo firmiori homicidium committat; tunc enim irregularis est, quia jam consilium in mortem influit. Si parato ad occidendum aut mutilandum suadeas, ut tantùm percutiat, idque suadeas non intuitu & desiderio percussionis, sed ut ab homicidio vel mutilatione retrahas, irregularitatem non incurris; non enim verè causa es cur fiat percussio, sed cur non fiat homicidium.

Quæritur 2do. quâ ratione agnosci possit an consulens influxerit in homicidium. R. interrogandum esse eum cui consilium datum est, qui si dicat se consilio motum non fuisse, aut voluntatem suam nullatenùs ex eo obfirmatam fuisse in proposito occidendi, consulens ab irregularitate liber erit: modò tamen is qui consilium accepit, talis sit ut fidem mereatur, putà si in sermone verax sit & sincerus. Quod si consilii influxus ab ipso homicidâ resciri nequit, recurret vir prudens ad conjecturas: perpendet, v. g. an consulentis verba animum homicidæ commovisse visa sint, an statim aut

paulò post in crimen proruerit: in dubio autem, præsumet consilium influxisse; quia id ut plurimùm contingit, ac proinde stabit pro irregularitate.

Quæritur 3tio. quomodo qui alteri consilium occidendi dedit, gerere se debeat ut vitet irregularitatem. R. eum omni modo consilium à se datum revocare debere, & quidem efficaciùs quam mandans mandatum suum revocare teneatur: in mandato agitur de ipsâ re mandantis, cujus in gratiam agit mandatarius; ac proinde revocato mandato, tota agendi vis aufertur; at in consilio agitur de re ipsius consulti, & in ipsius gratiam consilium datur; unde quandiù subsistent motiva animo ejus instar veneni malignè instillata, consilium ipsum subsistet, eique proin attribuetur quidquid consultus operabitur mali. Quapropter debet consulens terri quod injecit consilii motiva motivis aliis elidere, & precibus importunis uti; ut hominem à sententiâ suâ deterreat. Quòd si verba sua nihil operari animadvertat, debet occidendum, secundùm charitatis & prudentiæ regulas, seu generatim, seu specialiùs ad arbitrium viri prudentis, commonere ut sibi caveat: quo semel peracto, liber erit ab irregularitate, morte etiam secutâ, quæ in occisi solius negligentiam refundetur: quòd si illum monere nequeat, eo interfecto irregularis evadet; unde Clericum qui abortûs consilium dederat conjugatæ, à quo eandem posteà dimovere non potuit, irregularem judicavit Navarrus.

De cooperantibus iniquæ mutilationi vel occisioni una omnium vox est eos irregularitatem homicidii voluntarii contrahere; unde irregulares fiunt: 1mo. omnes & singuli milites in bello injusto, etsi non nisi eorum unus quempiam ex hostibus mutilet; quia ii omnes cùm conjunctis viribus pugnent, sibique mutuò opem ferant, sunt una causa moralis cædis. Eâdem de causâ, qui arma, pecunias & similia, intentione hujus belli præbent, aut milites conducunt, irregulares judicantur, quod ad eos etiam qui sarcinas custodiunt extendunt Navarrus & Avila; 2do. qui testificantur, accusant, judicant injustè, aut injustè accusato viam legitimæ defensionis præcludunt. Idem est de iis qui invaso arma ipsius quibus tueri se posset, occultant animo mortis eidem procurandæ; 3tio. qui homicidio adsistunt armati; licèt arma non educant, si opem occisori ferre parati sunt; hi enim occisorem ad pugnam acuunt præsentiâ suâ, & sic stragi suo modo cooperantur; 4to. Si plures communi consilio se se concitent ad cædem, nemo effugiet irregularitatem etiamsi unus tantùm occiderit. Si autem absque consilio, in rixa subitò

exortâ

exortâ, uno quis letali vulnere percussus sit à Titio, ab aliis verò leviter, solus Titius de homicidio tenebitur; in dubio quis letale vulnus inflixerit, omnes pro irregularibus habendi sunt; aliàs nemo eorum esset irregularis, sicque daretur culpa sine pœna, quod est absurdum. Si certus esses te leviter solùm percussisse, non esses irregularis, essent verò ceteri ob dubium.

Irregulares etiam esse possunt ex homicidio voluntario, qui ei consentiunt. Quâ de re hæc lex mihi statuenda videtur, ut tunc solum consensus irregularitatem pariat, cùm parit restituendi obligationem. Unde cum ratihabitio damni quod nomine alicujus illatum est ipso nesciente, eundem restitutioni obnoxium non faciat, si aliàs in damnum non influxerit: sic nec homicidii nomine & intuitu tuo commissi ratihabitio seu approbatio subsequens, irregularitati obnoxium te facit; quod verum est, etiamsi homicidam remuneres.

Quæres, an non impediens homicidium quod impedire potest, fiat irregularis.

R. 1mo qui solùm ex charitate homicidium impedire tenetur, non fit irregularis non impediendo. Ratio est, quia qui solum violat charitatem, non potest esse strictè & verè homicida; cùm homicidium essentialiter pugnet contra justitiam. Hinc irregulares non fiunt licèt gravissimè peccent: 1mo. qui pauperem fame pereuntem non refovent; 2do. qui parato ad ferendam alicui opem nè occidatur, malo animo consulunt ut non ferat: consulens enim non aliud admittit crimen quàm ipse consultus: is verò ex hypothesi non peccat nisi contra charitatem. Aliter dicendum si quis ad subveniendum homini periclitanti, ex sola charitate paratus, ab alio per vim vel dolum retrahatur quia retrahens tunc peccat contra justitiam, sicut & contra eam peccat qui per vim vel fraudem impedit, nè pauper eleemosynam sibi destinatam recipiat.

R. 2do. qui ex justitiâ ad avertendam proximi cædem obligantur, si non obstent quantùm possunt, irregularitati subjacent: quia ii proximum re ipsi debitâ privant; ac proinde ut restitutioni sic & irregularitati subjacent. Undè irregulares sunt 1mo. Judex qui injustæ mortis sententiæ non obstat; 2do. ferarum custos, qui non cavet nè animalia custodiæ suæ credita, obvios quosque occidant; 3tio. qui puellæ quam decepit, abortum proponenti, non contradicit; debet enim ex justitia vitam prolis servare.

ARTI-

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Irregularitate ex homicidio casuali.*

CUm homicidium casuale, ut irregularitatem pariat, voluntarii quidpiam habere debeat, non quidem in se, sed in causâ per accidens, ex quâ tamen secuturum prævideri potuit & præcaveri; hinc videndum hîc 1mo. an qui operam dat rei licitæ ex quâ sequitur homicidium, irrregularis sit, si sufficientem adhibuerit diligentiam; 2do. an irregularis sit si res eadem illicita quidem esset, sed de se non periculosa; 3tio. quid dicendum, si res illa simul illicita fuerit & periculosa. Sit

CONCLUSIO I. Qui vacat rei licitæ, & debitam adhibet diligentiam nè quem occidat, non contrahit irregularitatem aliasve homicidii pœnas, etiamsi ex facto ejus sequatur homicidium.

Prob. Homicidium non inducit irregularitatem, nisi voluntarium sit & culpabile: atqui homicidium in præsenti casu nec voluntarium est, nec culpabile; non enim reus est qui facit aliquid liciti, unde sequitur aliquid quod nec præcavere nec impedire potuit.

Hinc irregularis non est, qui ex improvisâ equi ferocitate raptus, obvium infantem opprimit, secùs si cognovisset vitium equi, eumque fræni impatientem esse, aut frænum nimis tenue esse ut equum coërceret.

Dixi, qui vacat rei licitæ *& debitam adhibet diligentiam*, si enim interveniat culpa aut vitandi periculi negligentia incurritur irregularitas, quia homicidium quod vitatum non fuit, cùm vitari potuit & debuit, meritò reputatur voluntarium. Hinc irregularis est Magister qui in discipuli correctione nimium excedit, aut eum percutit in capite, * *si discipulus ex ipsa percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de quâ noscitur expirasse.* Et verò percussio in quâ non leviter exceditur, aut quæ fit in capite, parte de se periculosa, periculum involvit, & multùm supponit negligentiæ.

Ceterùm ad contrahendam hanc casualis homicidii irregularitatem requiritur culpa mortalis, ac proinde gravis negligentia. An autem ea negligentia requiratur, cùm quis vacat rei illicitæ; an non tunc sufficiat levis vel levissima, discutiendum manet. Pro solutione, nota quòd res aliqua

* C. 2. De homicid.

duabus

duabus de causis illicita esse potest, vel omnibus, vel certo personarum statui: 1mo. quia periculosa est, seu quia de se ad mortem tendit; sic periculosum est chirurgiam per incisionem aut adustionem exercere; 2do. res aliquando prohibita est, quia licèt de se periculosa non sit, alicui tamen virtuti vel præcepto adversatur: sic prohibetur certis temporibus venatio, ea etiam quæ fit sine periculo, putà nè noceatur conceptui, aut segetibus. His positis, sit.

Conclusio. II. Qui dat operam rei illicitæ, sed non periculosæ, non nisi ex culpâ latâ, casualis homicidii irregularitatem incurrit; unde ab eâ immunis est, si ad præcavendum homicidium eandem adhibeat diligentiam quam adhibent communiter, qui similem actionem licitè exercent.

Prob. 1mo. Irregularitas non incurritur nisi in casibus jure expessis: atqui nullibi expressum est in Jure, ut Irregularitatem incurrat is ex cujus actione, illicita quidem sed non periculosâ subsecutum est homicidium, quando sufficientem adhibuit diligentiam, nè tale quid ex actione suâ sequeretur. Imò contrarium exprimit cap. 48. dist. 50. ubi qui equos furando, quæ actio sanè illicita est, collisit mulierem quæ abortum fecit, furti solùm damnatur, non autem irregularitatis aut censuræ, quibus, ait Canonis autor, *non potest nec debet addici per leges*, quia *voluntas illius non agnoscitur perniciosa fuisse*, id est, cujuspiam mortem intendisse.

Prob. 2do. quia in oppositâ opinione dicendum est eum qui interdicti tempore campanas pulsat ad convocandum populum, esse irregularem si ex cadendo quempiam mutilent, non autem si alio tempore hominem occidunt. Item irregularis erit qui cædendo proximi arborem, omnem adhibuit diligentiam, nè quis ab eâ opprimatur; non erit verò irregularis, si cum eâdem attentione arborem suam cædat. Pariter irregularitatis expers erit Laicus, qui venando in suo saltu ex errore invincibili hominem occidit pro ferâ; erit verò si ex eodem errore hominem occidat in saltu alieno: atqui hæc omnia absurda sunt.

Conclusio. III. Tenendum est in praxi, eum qui vacat rei illicitæ & non parùm periculosæ, secuto homicidio irregularem fieri, licèt sufficientem ad illud vitandum diligentiam adhibuerit.

Prob. In dubio an quis culpabiliter sit homicida, Judicari debet, eum esse irregularem; atqui cùm aliquis rei prohibitæ simul & valdè periculosæ indulgens, hominem occidit, ad minùs dubium est an sit culpabiliter homicida. Si enim

id negent Theologi graves gravibus momentis suffulti, ex adverso stant Theologi fortè graviores, rationibus non minùs firmis innixi. Ità inter alios S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 8. Navarrus, Fagnan, Cabassut. Babin, Pontas, &c. Ratio est, quia homicidium quod prudenter judicatur voluntarium in causâ, parere debet irregularitatem: atqui homicidium quod ex actione de se ad mortem tendente, ideòque prohibita quia periculosa, sequitur, prudenter judicatur voluntarium in causa; qui enim vult causam adeò periculosam, effectus inde sequentes velle censetur; nec præsumitur sufficientem adhibere diligentiam, nisi penitùs cesset ab opere. Nulla enim est diligentia quæ rerum naturam mutare possit, & efficere, ut id quod valdè periculosum est, non sit periculosum, ac proinde ut qui opus periculosum posuit, de effectu inde contingenti non teneatur.

Obj. Canones non statuunt irregularitatem de qua loquimur, nisi ob homicidium aliquo modo voluntarium: atqui mors nullatenùs est voluntaria ei qui in actione quantumvis periculosa tantam adhibet diligentiam, ut nullo prorsùs modo suspicari possit periculum occidendi. Ut enim mors censeatur voluntaria in causa, non sufficit ut causa hæc nata sit in genere parere homicidium, sed oportet ut hic & nunc nata sit illud parere, spectatis omnibus circumstantiis quæ humanitùs spectari possunt: ergo si his omnibus spectatis non appareat actio hic & nunc periculosa, mors fortuitò secuta nullatenus imputari poterit operanti, nec proinde erit ei sic voluntaria ut irregularitatem pariat.

R. ad 1. dist. min. Mors nullatenùs est voluntaria, reipsâ, transeat; non est voluntaria interpretatione legis, N. fatente enim Gibalino potuit Ecclesia imponere irregularitatem ei qui prohibitum aliquid & periculosum faceret, quoties inde contingeret homicidium, etiam omninò aut quasi omnino casuale: quòd autem id statuerit de facto, evincunt aut saltèm admodùm probabile reddunt argumenta superiùs adducta. Atque hæc irregularitas erit homicidii, non quia culpa absolutè erit homicidii, sed quia non nisi eo secuto imponitur; imò homicidium illud quadantenùs voluntarium erit, quia profectum erit à causâ specialiter ipsius homicidii intuitu prohibitâ.

Quæres an & quis in irregularitate homicidii dispensare valeat.

R. 1mo. potest Papa dispensare in quâlibet irregularitate, etiam ex homicidio injusto prodeunte, Ratio est, quia hæc irregularitas juris est solùm positivi.

Quo-

Quoniam verò multa licent quæ non expediunt, rarò admodùm dispensat Apostolica Sedes cum homicidis omnino voluntariis, qui de industriâ, vel per insidias occiderunt, saltèm si necdum ad ullum ordinem promoti fuerint; idque ex mente Tridentini, * quod hujusmodi homicidas ab *omni Ordine ac Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuò* excludit. Sed *cum jam promotis*, si homicidium voluntarium occultum fit, *longè frequentiùs dispensat S. Pœnitentiaria, cùm urgens justaque ratio id postulat. Veluti si Sacerdos è loco commissi delicti discedere nequeat, nec ibi abstinere possit à celebratione Missæ, quin scandalum generet & suspicionem præbeat de perpetrato homicidio cujus author ignoratur, &c.* Ità Fagnan.

R. 2do. Episcopi non possunt dispensare in homicidio voluntario justo vel injusto. Ratio est quia in amplâ quæ Episcopis datur facultate dispensandi in irregularitatibus, *ea excipitur quæ oritur ex homicidio voluntario*, vel ex defectu: ergo Episcopi nec in homicidio voluntariè injusto, quod Trident. Synodus directè excepit, nec in homicidio justo, quale illud est quod publicâ authoritate fit, dispensare possunt, cùm illud pariat irregularitatem ex defectu. Quin & prohibitio Episcopis facta, nè in homicidio voluntario etiam occulto dispensent, de se extenditur etiam ad exercitium minorum ordinum, & Beneficium simplex, prout docent Navarrus & Fagnan. Potest tamen Episcopus dispensare cum homicidâ occulto, ut ministret in Sacris, si magna urgeat necessitas, & ad Papam recurri non possit.

R. 3tio. possunt Episcopi dispensare in irregularitate, quæ provenit ex mutilatione injusta, si hæc occulta sit: quia Episcopi dispensare possunt in qualibet irregularitate, modò hæc oriatur ex delicto occulto quod homicidium voluntarium non sit: porrò mutilatio non est homicidium. Possunt etiam Episcopi dispensare in irregularitate contracta ex homicidio casuali occulto: quia homicidium casuale mixtum, non est strictè & propriè voluntarium, prout suprà probatum est. Hinc dispensare possunt Episcopi: 1mo. cum eo qui leviter solùm percutere intendens, occidit; 2do. cum eo qui mandavit servo ut percuteret, expresè inhibens nè occideret; 3tio. cum eo qui prægnantem percutiendo abortum procuravit, si eam gravidam esse probabiliter ignoraverit, aut leviter percutere intendens, errante manu duriorem inflixerit plagam; is enim homicida simpliciter voluntarius non videtur.

CAPUT

* *Sess. 14. c. 7.*

# CAPUT SECUNDUM.

## *De Irregularitate ex iteratione Baptiſmi.*

QUæres 1mo. an qui rebaptizat & rebaptizatur, ambo irregulares ſint. R. affirmat. De rebaptizatis habetur expreſsè c. 65. diſt. 50. non eſſe *unquam permittendum ut ad Clericatûs gradum promoveantur.* Idem de rebaptizantibus colligitur ex c. 2. *De Apoſtatis*, ubi etiam junior Acolytus qui in fratris ſui rebaptizatione, *miniſterium* exhibuerat, irregularis declaratur; quantò ergo magis, inquiunt Theologi omnes, irregularis eſt qui per ſemetipſum rebaptizat? ſicut ſi irregularis eſt qui occiſioni cooperatur, quantò plùs qui occidit.

Haud tamen irregularis eſt, qui in infantiâ ſemel & iterum baptizatus fuit: idemque dicendum de eo qui rebaptizat eum, quem antè baptizatum fuiſſe neſcit, aut de cujus priori Baptiſmo legitimè dubitat: eſt enim hæc irregularitas ex delicto; porrò nullum eſt in caſibus modò aſſignatis delictum.

Sed quid ſi Sacerdos vel malâ fide, vel temerè veritus nè perturbata aut imperita obſtetrix erraverit, eum quem domi ſecundùm formam communem baptizatum fuiſſe reſcivit, denuò in Eccleſiâ ſub conditione baptizet; aut baptizet abſolutè eum de quo ex oblivione non interrogavit, fueritne jam baptizatus? R. in neutro caſu incurri irregularitatem; non in poſtremo, quia irregularitas hæc ei ſolùm inuritur qui rebaptizat cum intentione baptizandi: atqui probabile non eſt Sacerdotem nullo infectum errore, novum homini jam baptizato Baptiſma conferre voluiſſe; ejus ergo intentio legitimè præſumpta, fuit virtualiter conditionalis, ità ut infantem, ſi jam tinctus eſſet, baptizare noluerit. Non in primo caſu; quia Sacerdos ille non rebaptizat reipsâ, cùm non habeat intentionem baptizandi, ſi is qui ſibi præſentatur, jam fuerit baptizatus; hæc enim verba: *Si non es baptizatus*, &c. etiam mentaliter ſubintellecta, idem ſunt ac iſta: *Si es baptizatus, ego te non baptizo.* Graviter tam peccaret Sacerdos in caſu propoſito, quia non licet ſub conditione rebaptizare, niſi res ſit dubia. Addo eum qui ex mera ſuſpicione, & abſque maturo anteà examine, ſe ſe rebaptizari curaret, irregularem evaſurum eſſe.

Quæres 2do. quis in hac irregularitate diſpenſet. R. eam ſi publica ſit, reſervatam eſſe ſummo Pontifici; ſi verò occulta ſit, ab Epiſcopo relaxari poſſe.

Quæres 3tio. an irregularitas ex indignâ aliqua Baptiſmi receptione incurratur. R. incurri 1mo. cùm quis ab Hæretico declarato liberè & ſine neceſſitate Baptiſmum recipit, Can. 18. 1. q. 1. 2do. cùm quis Baptiſmi receptionem uſque ad mortem differt, de quo jam ſuprà.

Quæres 4to. an iterata alterius præter Baptiſmum Sacramenti receptio, vel confectio irregularitatem inducat. R. neg quia id nullibi expreſſum eſt in jure. Unde qui bis Confirmationem recipit, bis Diaconatum confert, bis eandem hoſtiam conſecrat, liber eſt ab irregularitate, non tamen à gravi ſacrilegio.

---

# CAPUT TERTIUM.

## *De Irregularitate ex occaſione Ordinum.*

POteſt quis irregularis fieri, Ordines malè recipiendo, vel malè exercendo: verùm non quæcumque mala ordinum receptio irregularitatem inducit; ſic etſi peccat, & quidem graviter juxta multos, qui ordines ante Confirmationem recipit, haud tamen eſt irregularis: quia id nullibi conſtitutum eſt in jure. Hic ergo videndum quæ peccata ordinandum faciant irregularem.

Dico 1mo. qui Ordines recipiunt furtivè, id eſt, qui examen fraudulenter effugerunt, ſed per dolum, aut ignorante Epiſcopo, immiſcent ſe ordinandis, fiunt irregulares.

Prob. ex cap. 1. *De eo qui furtivè, &c.* ubi qui furtivè Diaconatum accepit, dicitur ad Sacerdotium promoveri non poſſe abſque diſpenſatione.

Ab hac irregularitate diſpenſare poteſt Epiſcopus, ſi ipſe furtivam hanc Ordinum receptionem ſub excommunicationis pœna non prohibuerit: ſed quia paſſim hodie, juxta Pontificale Romanum, Archidiaconus ante ordinationem monet ſub excommunicationis pœna, *nè quis non deſcriptus, examinatus, approbatus & nominatus, ullo pacto audeat ad ſuſcipiendos Ordines accedere,* idcirco hæc irregularitas, ſi publica ſit, ſemper eſt Papæ reſervata, nec ab Epiſcopo poteſt relaxari, niſi ſub conditione ut furtivè ordinatus, *in aliquo Monaſterio ſeu Canonica habitum ſuſcipiat regularem; tunc enim, ex quo in illo habitu aliquanto tempore fuerit laudabiliter converſatus;* poterit cum eo Epiſcopus diſpenſare. Ità habetur cit. cap.

Dico 2do. Qui ſcienter ordinatur ab Epiſcopo excommunicato

municato excommunicatione majori, ſuſpenſo, interdicto, depoſito, vel degradato, peccat mortaliter, & eſt ſuſpenſus ab Ordinis ſic ſuſcepti executione, & aliquo modo irregularis.

Prob. ex Can. 4. IX. q. 2. ubi prohibetur ei qui ſic ordinatus eſt, tùm ſuſcepti Ordinis uſus, donec impoſitam ab Epiſcopo pœnitentiam peregerit, tùm ad ſuperiores Ordines aſcenſus, *niſi neceſſitas vel utilitas maxima flagitaverit, & ipſius ſancta converſatio promeruerit*; quæ verba ſuſpenſionem & irregularitatem quadantenùs exprimunt.

Hæc autem de ordinato ab excommunicatis, &c. qui tales nominatim denuntiati ſunt, intelligi debent; quanquam à peccato excuſari non poteſt qui à quocumque excommunicato ut tali cognito, Sacramenta ſine neceſſitate recipit, ut alibi docent Theologi.

Dico 3tio. Qui *durante matrimonio nondum etiam conſummato, aliquem de ſacris Ordinibus præſumit accipere... nec in ſic ſuſcepto Ordine miniſtrare, nec ad ſuperiores Ordines provehi* poteſt, *ſoluto* etiam *matrimonio*. Ità Joan. XXII. tit. 6. *De voto &c.* Porrò cui expreſsè prohibetur Ordinis ſuperioris ſuſceptio, verè eſt irregularis.

Jam dicendum de irregularitate ex pravo Ordinum uſu: peccat autem quis dupliciter in Ordinum uſu: 1mo. malè exercendo eos quos habet; 2do. eos etiam exercendo quos non recepit. Uſus is, ſeu potiùs abuſus irregularitatem aliquando parit; quandonam verò, paucis expediendum, ſit

CONCLUSIO I. Ligatus majori excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto, etiamſi toleratus ſit & occultus, irregularitatem incurrit exercendo ſolemniter ſeu ex officio actum majoris Ordinis, niſi legitima ratio excuſet.

Prob. 1. pars ex cap. 7. XI. q. 3. ubi omnis ſpes diſpenſationis denegatur ei, qui in excommunicatione poſitus, Ordinis ſui functiones exercuerit.

Prob. 2. pars de ſuſpenſis ex c. 1. *De ſent. & re judic.* in 6. qui *ſuſpenſione durante, ingerit ſe divinis* celebrandis *irregularitatis laqueo* innodari dicitur.

Prob. 3. pars de interdictis ex cap. 18. & 20. *De ſent. exc.* in 6. ex quorum priori, *qui ſcienter in loco celebrat interdicto, niſi ſuper hoc privilegiatus exiſtat, aut à jure ſit conceſſum eidem, irregularitatem incurrit.* In poſteriori autem, eidem ſubjacet pœnæ, qui perſonaliter ab Eccleſiæ ingreſſu, ac proinde à divinorum celebratione interdictus, *divinis ſe ingerit, in ſuo agens officio ſicut priùs.* Hi porrò textus de quibuſcumque cenſuratis generatim & indiſtinctè loquuntur.

Dixi,

Dixi, *nisi excusetur*, v. g. ex ignorantia invincibili, inadvertentiâ, oblivione, necessitate vitandi scandali, de quibus dictum est suprà. Hinc irregulares fiunt Clerici censurâ ligati: 1mo. cùm Hebdomadarii officium peragunt in Ecclesia, vel extra Ecclesiam, ut in exercitu: ad hoc autem necesse, est, ut dicatur *Dominus vobiscum*, qui enim illud omittit, nihil aliud facit quàm quod facere solent Moniales; 2do. cùm canunt solemniter Epistolam vel Evangelium, id est, cum manipulo & stola; 3tio. cùm matrimonium solemniter benedicunt; aut cùm solemniter baptizant: hæc enim propria sunt sacri Ordinis munia. Aliud esset si privatim & sine solemnitate baptizarent in casu necessitatis; id enim aliquando præstant mulieres. Si tamen Sacerdos post censuram sacramentaliter absolvat clanculum, etiam invalidè, fiet irregularis: quia absolutio, etiam occultè data, sacræ functionis usum continet; imò nec ullam habet aliam solemnitatem, quàm quæ in verborum prolatione consistit.

Quæres an qui duplici ligatus censurâ, Ordines sacros exercet, geminam incurrat irregularitatem. R. affirm. quia duo specie committit delicta, quorum unicuique sua pœna respondet. Aliud esset si una solùm censurâ ligatus pluries celebrasset.

CONCLUSIO II. Qui seriò, scienter, & quasi ex officio, sacrum quem non recepit Ordinem exercet, est irregularis. Ità communiter Theologi, & colligitur ex c. 1. & 2. *De Cleric. non ordin. minist.*

Dixi *seriò*; quia si id facit repræsentativè, ad discendas v. g. aut docendas Missæ ceremonias, aut etiam jocosè, non erit irregularis, etsi peccare aliquando possit.

Dixi 2do. & *scienter*; citatus enim Canon *temeritatem* & præsumptionem requirit; unde si quis bonâ-fide, & non ex ignorantia affectatâ, in Ordine quem non habet ministraverit putans se eum habere, aut ministerium quod exercet, esse sui Ordinis, irregularitatem non contrahet.

Dixi 3tio. *quasi ex officio*, seu *solemniter*; is autem actum Ordinis ex officio seu solemniter exercere dicitur, cujus actus talis est, ut non possit taliter exerceri ab alio quàm ab eo qui talem Ordinem habet: unde si quis Evangelium legat sine stolâ, non erit irregularis.

Dixi 4to. *Ordinem sacrum*; nam irregularis non fit qui Minores exercet; neque etiam qui eas exercet functiones, quæ licèt à solis Sacerdotibus aut Diaconis exerceantur, ab eorum tamen Ordine non pendent. Unde Laicus qui conciones sacras habet, eo more & modo quo ex officio haberi solent, non est irregularis;

gularis: tum quia id per se ad Ordinem sacrum non pertinet; tùm quia irregularitas hæc nullibi in jure constituta est; tùm quia S. Congregatio, re diligenter examinatâ, censuit munus *prædicationis* committi posse etiam Clerico, qui non sit in Sacris.

Quæres, an qui non est Sacerdos, si confessionem alterius excipiat, irregularis sit. R. affirm. sive absolutionem proferat, sive non: hæc enim functio, *divini officii* nomine satis exprimitur, & per se ad usum clavium pertinet.

Quæres 2do. an Sacerdos qui Eucharistiam, Pœnitentiam, & alia id genus ministrat non subditis, inde irregularis efficiatur. R. negat. quia jus non constituit irregularitatem contra eum qui exercet jurisdictionem quam non habet, sed contra eum qui exercet Ordinem quem non recepit: porrò in casu præsenti exercet quis Ordinem quem recepit, tantùmque alienam jurisdictionem usurpat.

Quæres 3tio. quis in hac irregularitate dispenset. R. in irregularitate contracta ob violationem censuræ per Ordinis exercitium, solus Papa dispensat, si crimen publicum sit; Episcopus verò si sit occultum. In eâ verò quæ incurritur per exercitium Ordinis nondum recepti, dispensat Episcopus quoad usum Ordinis quem quis jam habebat, * post pœnitentiam *biennio toto vel triennio* peractam; Papa verò quoad ascensum ad Ordines superiores, modò tamen crimen publicum sit; si enim occultum fuerit, Episcopus etiam ad Ordines superiores dispensat.

# CAPUT QUARTUM.

## *De Irregularitate ex delicto hæresis.*

JUre communi irregulares sunt hæretici, apostatæ à fide, eorumque fautores & defensores: unde nè quidem post receptam absolutionem ordinari possunt. Patet id 1mo. de hæreticis, ex cap. 21. 1. q. 7. ubi gratiæ instar conceditur iis qui ab hæresi resipiscunt, ut *ademptâ sibi omni spe promotionis*, in Ordine jam suscepto *maneant*; ergo hæretici ad Ordines superiores gradum facere non possunt, imò nec in iis quos susceperint ministrare, nisi ex gratia quadam & dispensatione. Idem decernitur de apostatis, c. 32. dist. 50. & meritò quia apostatæ à fide, in omnibus rejiciunt fidem, quam hæretici non nisi

* C. 2. De Cleric. non ord. min.

nisi in uno quodam puncto abjiciunt. Idem denique de hæreticis simul & eorum fautoribus statuitur c. 2. *De hæret.* in 6. ubi vetat Alexander IV. nè ulli eorum ad Ecclesiastica Beneficia, vel *officium publicum admittantur*: Ordo autem pertinet ad officium publicum.

Circa hæc notant satis communiter Doctores: 1mo. ut incurratur irregularitas ex hæresi, necessum non esse ut hæresis notoria sit, etiam notorietate facti: sed satis esse si non sit merè interior; 2do. eos qui hæresim exteriùs professi, ex metu, v. g. vel animo assentationis, fidem servant in corde, licèt graviter peccent, haud tamen irregularitati adversùs hæreticos sancitæ obnoxios fieri, quia reipsâ hæretici non sunt; posse tamen irregularitatem ex infamiâ incurrere; 3tio. eos qui exteriùs solùm à fide apostatant, v. g. idolis sacrificando, fieri nihilominùs irregulares; quia citatum caput 32. dist. 50. in eos omnes cadit *qui immolaverunt*; 4to. eos qui à professione Religiosâ apostatant, *ad Clericatûs officium admitti* non debere, ex cap. final. dist. 50. unde sequitur eos esse irregulares. Aliud est de Clericis qui ab habitu & tonsurâ clericali apostatant: ii enim nullibi in jure declarantur irregulares.

In Galliâ * hæretici, Calvinistæ, v. g. non habentur pro irregularibus, unde cùm ab errore conversi, absolutionem receperunt, possunt absque dispensatione ordinari, & Beneficia recipere: & hoc verum est, etiam post Edicti Nannetensis revocationem.

Quæres an schismatici sint irregulares.

R. non esse si purè sint schismatici, quia id nullibi constitutum est in jure. Si verò simul sint hæretici, ut esse solent, quia ** *nullum schisma non aliquam sibi confingit hæresim*, irregulares erunt, non præcisè ratione schismatis, sed ratione hæreseos eidem annexæ.

---

## CAPUT ULTIMUM.

### *De dispensatione Irregularitatis.*

QUasdam hic proponemus regulas, quarum ope quidquid ad hanc spectat materiam, facilius retineri possit; sed & unicuique regulæ suas, si quas habet, exceptiones adjungemus.



* Idem sentiendum est in Germania & in Polonia de iis, qui in hæresi nati & postea fidem Catholicam Professi sunt.

** C. 26. XXIV. q. 3.

Regula I. Omnis irregularitas ex defectu, quæ causam habet transitoriam, cessat cessante eadem causâ, absque ullâ Superioris dispensatione. Hinc qui sunt irregulares defectu ætatis, scientiæ, natalium, &c. irregulares esse desinunt adeptâ ætate, scientiâ, vel per subsequens matrimonium legitimatione.

Hæc regula extenditur etiam ad infamiam facti, quæ licèt sit ex delicto, potest aliquando per solam agendi rationem contrariam tolli. At eadem regula non comprehendit, ut ex ipsius terminis patet, irregularitates quæ causam habent permanentem, quales sunt ex Ecclesiæ judicio ceteræ irregularitates, præter eas quas modò recensui: unde irregularitas bigamiæ, defectûs lenitatis, &c. licèt non sint ex delicto, semper perseverant, nisi à Superiore relaxentur. Idem contingit in irregularitatibus ex delicto, quæ, si infamiam excipias, & hæresim non auferuntur, etiam posita delicti emendatione, & læsæ partis satisfactione.

Regula II. Irregularitas quælibet ex delicto proprio consurgens, tollitur per Baptismum; (vel, ut accuratiùs loquar, nulla irregularitas ante Baptismum incurritur ratione proprii delicti.) Ratio est, quia Baptismus omnem maculam, ac proinde omnem quæ ex eâ maculâ sequi posset indecentiam tollit; unde ex consequenti aufert omne fundamentum irregularitatis ex delicto quæ post Baptismum suboriri posset. Aliud est de irregularitate ex defectu, nisi defectus sit lenitatis: nam bigami, illegitimi, laborantes aliquo corporis vel animi defectu, quo quis ad Ordines inhabilis fit, accepto etiam Baptismo, ad Clericatum absque dispensatione promoveri non possunt.

Regula III. Duos potissimum habet effectus professio in Religione approbata secundùm jus commune: 1mo. enim faciliorem reddit cujuscumque irregularitatis dispensationem 2do. efficit ut illegitimi ad sacros Ordines, licèt non ad Prælaturas etiam Regulares, possint promoveri, cap. 1. *De filiis Presbyt.*

Regula IV. Nulla est irregularitas canonica in quâ Papa dispensare non possit; sequitur ex dictis.

Regula V. Episcopis licitum est * *in irregularitatibus omnibus ... ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare.* Illud porrò delictum in præsenti materia occultum dicitur, quod licèt probari possit per testes, quia à duobus v. g. aut tribus personis cognoscitur, hac-tenus

* *Trid. Sess. 24. c. 6.*

tenùs tamen notorium non evasit, neque per sententiam, aut saltèm decretum Judicis, vel rei confessionem in judicio factam; neque per tantam facti ipsius divulgationem, ut jam nullâ possit tergiversatione celari in totâ viciniâ, aut majori ejus parte; prout dixi supra p. 458.

Sed hic not. 1mo. semper censeri occultum id quod certò & indubiè non est cognitum: unde quod solo rumore publico nititur, non est verè publicum; cùm fama *veris addere falsa* gaudeat.

Not. 2do. crimen quod publicum est in ratione criminis, non semper parere irregularitatem publicam. Sic si notorium sit Sacerdotem ex atroci, v. g. Sacerdotis alterius percussione incurrisse excommunicationem, & certum non sit eum absolutionem non recepisse, antequam sacra celebraret, irregularitas non erit publica: unde qui publicè excommunicatus non publicè sed clam celebraret, publicè irregularis non esset. Sic quoque si Sacerdos censura notoria perculsus publicè celebret coram populo qui sciat id esse malum, sed nesciat inde contrahi irregularitatem, non erit habendus pro publicè irregulari. Ità Sambovius, Tiburt. Navar. & M. P. Leo, ambo Romanæ Pœnitentiariæ Ministri.

An autem qui Parisiis irregularis est ex delicto publico, si aliò se transferat ubi delictum illud occultum est, & tale remansurum meritò conjicitur, an, inquam, possit is ab Episcopo loci illius dispensari, magna est inter Jurisperitos dissensio; ex qua sequi videtur, validam fore dispensationem quæ in hoc casu concederetur ab Episcopo, quia Episcopus dispensare potest quoties dubitatur, an dispensatio sit Papæ reservata. Monet tamen Tib. Navar. ut cùm impedimentum in uno loco occultum, in alio publicum est, & qui eodem tenentur impedimento ad Pœnitentiariam solam rescripserunt, *non facta mentione quod delictum sit publicum* alibi; monet, inquam, Confessarios, ut in hisce casibus *nunquam dispensent, nisi expressè in Brevibus seu Literis sacræ Pœnitentiariæ detur eis facultas in hujusmodi occultis dispensandi.* Quia, inquit, *Pœnitentiaria non solet admittere* ( id est, dispensando relaxare ) *hoc genus occulti, quod est publicum in alio loco.*

Not. 3tio. non omne delictum quod ad forum contentiosum deducitur, parere irregularitatem Papæ reservatam. Nam 1mo. necesse est, ut reus saltèm citatus fuerit: à citatione enim Judicium inchoatur, unde non sufficeret vel solus conquestus apud tribunal ecclesiasticum, vel informatio ab eodem tribunali facta; 2do. necesse est, ut reus innocentiam suam non probaverit; si enim ex falsis etiam probationibus absolutus fuerit, cense-

tur crimen cujus occultum, quia accusatio sine effectu nihil operatur; 3tio. si reus nec absolutus fuerit, nec condemnatus, sed composuerit & transegerit cum parte, vel cum Curiâ ad quam res deducta erat, delictum hoc adhuc ab Episcopo vi Tridentini relaxari potest, ex Piasecio.

Not. 4to. eos qui ab Apostolicâ Sede irregularitatis dispensationem obtinere volunt, ad Datariam ubi oratoris nomen & Diœcesis exprimenda sunt, recurrere debere, si crimen sit publicum; si verò occultum fuerit, satis est ut ad Pœnitentiariam recurrant, ubi nihil horum exprimitur.

Regula VI. Irregularitates omnes ex defectu, paucis exceptis, communiter sunt Romano Pontifici reservatæ. Idem dicendum de irregularitatibus ex delicto publico. Ratio est, quia dispensatio irregularitatis interdicta est Episcopo, quoties eidem non est permissa à jure, vel à consuetudine sufficienter præscriptâ porrò jus & consuetudo non permittunt Episcopis ut dispensent nisi cum illegitimis & cum bigamis similitudinariis; idque cum, limitationibus suo loco assignatis.

Dixi, *communiter*; quod ut explicem, sit

Regula VII. Irregularitates ceteroqui Papæ reservatæ, in duplici casu ab Episcopis relaxari possunt.

1mo. Quidem cùm dubiæ sunt. Ratio est, quia reservatio utpotè odiosa, & Episcoporum potestati incommoda, restringi debet ad casus certæ irregularitatis; unde ut alibi diximus, Episcopi in dubio castitatis voto, dubia censurâ, dubio & incerto matrimonii impedimento dispensare possunt. Ità Galli & Ultramontani. Eadem de causâ irregularitates relaxari ab Episcopis possunt, cùm dubium est an Papæ reservatæ sint.

2do. Eædem irregularitates ab Episcopo relaxari possunt vel in perpetuum, vel ad tempus, cùm irregularis vel nunquam ad Apostolicam Sedem recurrere poterit propter paupertatem suam; vel saltèm hic & nunc recurrere nequit ob imminens scandalũ. Ratio est, quia alioqui reservatio esset in destructionem.

Quæres an irregularitas quam quis incurrit, violando proprii sui Episcopi censuram, possit, etiam cùm publica est, ab eodem Episcopo relaxari.

R. neg. nisi aliud loci usu constitutum sit. Ratio est, quia licèt censura, cujus occasione incurritur irregularitas, feratur ab Episcopo, ipsa tamen irregularitas fertur à jure communi, ac proinde irregularitatis in genere naturam sequitur.

Nota obiter irregularitatem cui annexa est plena jure privatio Beneficii, tolli posse à Papâ absque eo, quòd quis ad Beneficium hoc rehabilitetur; irregularitas enim & inhabilitas, sunt pœnæ omninò dispares, quarum prior posteriori remanente, auferri potest.

FINIS TOMI IV.

Conversat. Crimen fuga tempus ordo secunda morbus affinis vox publica cumque clamant.

17

~~wir haben geendigt~~

~~den 25ten Juny~~

Qui nimirum, dum agriculturam docebant, pondus jejunii duplicabant.

Legat







